Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 E
11

XI. 3. 10
K. 9.

Bibliothecae Colbertinae.

EXPLICATIO

Grauiſsimae Quaeſtionis

vtrùm Excommunicatio, quatenùs Religionem intelligentes & amplexantes, à Sacramentorum vſu, propter admiſſum facinus arcet; mandato nitatur Diuino, an excogitata ſit ab hominibus.

Autore Clariſs. viro THOMA ERASTO D. MEDICO.

Opus nunc recèns ex ipſius Autoris authographo erutum, & in lucem, prout moriens iuſſerat, editum.

AD OPERIS CALCEM ADIECTAE ſunt clariſſimorum aliquot Theologorum Epiſtolae, partim ad ipſum Autorem ſcriptae, partim ad alios, quibus ſuum rogati, de hac re iudicium ac ſententiam proferunt.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.

PESCLAVII

Apud Baocium Sultaceterum Anno Salutis.
CIↃ. IↃ. LXXXIX.

BIBLIOTECA NAZ...

TYPOGRAPHVS, VERITATIS STVDIOSO LECTORI. S. D.

CVm iam multos annos, de THOMAE ERASTI Medici, ac Philoſophi, noſtra tẽpeſtate clariſsimi, Tractatu quodam à pluribus rogitarer; quem de Eccleſiaſtica Diſciplina, dé que Excommunicatione ſcripſiſſe illum dictitabant; cuius etiam in manibus multorum eiuſdam argumenti Theſes, neſcio quas, manu-ſcriptas, vidiſſe ſeſe affirmabant; quae quidem Theſes à viris & doctis & pijs, atque partium ſtudijs alienis, mirum in modum probarentur; Ego his cognitis, animum ad hanc rem adiungere coepi; ponereque in perquirendo libro quantum poteram diligentiae, operae, atque induſtriae. Quem vbi nondum euulgatum, ſed deliteſcentem inter alias huius viri ſchedas, tineis & blateis eſcam, comperiſſem; quòd autore vita functo, Haeredes eius nõ eam, quae par fuiſſet, rationem haberent: elaboraui, ac denique perfeci, vt pretio Haeredibus depenſo, Liber cui extremam Auctor manum impoſuerat, in meam deueniret poteſtatem. Hunc poſtea, vbi primum per tempus licuit, diligenter typis meis excudendum tradidi. Quod autem operaepretium fecerim, hactenùs animi pendeo. Illud quidem certè mihi minimè du-

bium eſt, complures fore, qui ſtudijs partium magis quàm veritati addicti, meum hoc inſtitutum accuſabunt, reprehendent, ac miris denique modis exagitabunt: quaſi ego auaritia inductus & rerum nouarum ſtudio, Eccleſiae ſtatum, his praeſertim iniquis temporibus; tanta rerum omnium perturbatione, bellicis tumultibus, malorum colluuie, & doctrinarum labyrinthis; ſatis ſuperque iactatum; nouo dogmate nouíſque contentionibus exagitandum adhuc magis propoſuerim. Quae quidem res, magnum ſanè mihi dolorem, grauémque ſollicitudinem allatura fuiſſet; niſi me laborantem erexiſſet, atque conſolata fuiſſet ipſa veritas; cui accedebat auctoritas praecipuorum noſtri temporis Theologorum; quorum etiam Epiſtolas ad libri calcem adiecimus: ac denique quòd à quam plurimis etiam alijs eruditis viris, & veritatis amantibus, hoc ſcriptum, ſummis extolli laudibus viderem. Quamobrem, etiamſi mihi in odium offenſionémque incidere cuiuſquam, acerbum erat; tamē ne veritas per me diutiùs oppreſſa diceretur, neque tanto bono pios omnes defraudarem, quos multo iam tempore libri huius editionem vehementer expetiſſe intelligebam; nil moratus paucorum odium, peruerſámque imperandi cupidinem, qua maximè hoc genus hominū flagrat; operi me ſummo ſtudio accinxi, praeſtitique quod videtis. Igitur vos, qui procul à liuore, & maleuolentia, rectum animi ſenſum in iudicando ſequimini, noſtram hanc diligentiam, & bonis omnibus gratificandi

ficandi ſtudium æqui boníque conſulite: noſtríq; patrocinium defenſionémque aduerſus maleuolos, & obtrectatores libenter ſuſcipite: quo nobis animũ faciatis, alios deinceps, in veſtrum commodum, libros bonos, typis noſtris excudendi. Qua quidem in re dabimus operam, ne diligentiam officiúmque noſtrum deſideretis. Interim fruimini doctrina tanti viri; ſummas immortali Deo gratias agentes, quod is tales operarios in meſſem ſuam extruſerit, qui in colligendis denique frugibus, non autem diſsipandis, omnem curam, diligentiam, operam, ac ſtudium collocant. Valete foelicisſimè.

Ex officina noſtra Peſclauienſi Cal. Ian. Anno nouiſsimi temporis LXXXIX. ſuprà M. D.

THOMAS ERASTVS MEDICVS, pio & veritatis ſtudioſo lectori, S. P. D.

VT ne miretur aliquis, in haec noſtra ſcripta incidens, quae me cauſae impulerint, adeóque permouerint, vt hanc diſputationem de Excommunicatione mouerim; originem & occaſionem motae diſceptationis, breuiter & verè exponam. Anni exacti ſunt plus-minus ſexdecim, ex quo nonnulli febre quadam excommunicatoria, (quam titulo diſciplinae eccleſiaſticae ornabant, & ſanctam atque à Deo praeceptam Eccleſiae, contendebant) correpti ſunt, quam vehementer toti Eccleſiae maximè affricare cupiebant. Rationem eius hanc eſſe aiebant, vt certi Presbyteri Eccleſiae totius nomine ſederent, & qui ad coenam dignè, vel indignè accedere poßint, iudicarent. Mirabar eos tum haec agitare conſilia, cùm neque excommunicandos, neque excommunicatores idoneos haberemus. Etenim vix trigeſima populi pars doctrinam intelligebat, & approbabat: coeteri omnes hoſtes nobis erant infeſtißimi: adeò vt nullus mente praeditus non proſpiceret, periculoſam multitudinis ſcißionem neceſſariò ex ea re conſequuturam. Proinde non hoc mihi tunc videbatur quaerendum, quo modo è ſocietate Eccleſiae aliqui exturbarentur: ſed contrarium potius agendum iudicabam, vt quo modo plurimi ad veritatis cognitionem adducerentur, inqúe Eccleſiam includerentur, ratio iniretur. Quos verò praeeſſe oportuiſſet, neque aetate & vſu, neque ingenio & iudicio, neque moribus & auctoritate tantùm caeteris praeſtabant, vt rem tan-

tam cum dignitate ſuſtinere poſſe viderentur. Quocirca cum abſque pernicie & euerſione Eccleſiae obtineri non poſſe viderem, quod vehementer illi cupiebant, monui ſoepiùs, vt rem accuratè perpenderent, nec temerè aliquid inchoarent, cuius eos deinde fruſtrà poeniteret. Etſi autem in ſacris literis præceptam excommunicationem tunc opinabar, modum tamen, quem nobis proponebant, mandatum in eis non reperiebam. Quare cum modum nobis liberum reliquiſse videretur Chriſtus, de via & ratione, quae noſtris rebus eſset aptior, minúſque turbarum ſecum traheret, ipſe quoque ſedulò cogitabam. Quod eò faciebam ſtudioſiùs, quo exitioſiorem Chriſtianitati hanc rem non olim tantùm, ſed etiam hodiè fuiſse obſeruaueram.

Dum in hac verſor cogitatione, & quid veteres ſuper hac re ſcripſiſſent, exquiro, infirmioráque apud eos omnia cōperio, quàm mihi perſuaſeram, de tota re nonnihil dubitare coactus ſum. Conſului mox etiam Scholaſticos, apud quos nihil inueni melius. Ab his ad Recentiores me contuli. Sed ne apud hos quidem exactius & firmius aliquid deprehendi: imò manifeſtè eos inter ſe in quibuſdam diſsentire animaduerti: quod me multò reddidit attentiorem. Ergò relictis interpretibus ad ſacras literas redij: atque inter legendum pro captu meo diligenter notaui, quid diſsentaneum vel conſentaneum receptae opinioni eſset. In qua re non vulgariter me adiuuit contemplatio ſtatus Reipublicae & Eccleſiae Iudaicae. Sic enim apud me cogitabam: Deus ipſe teſtatur Deut. 4. populum ſuum ſtatuta, & leges habere tam iuſtas & ſapientes, vt cum illis nullarum gentium inſtituta, nullius Reipublicae ſanctiones, nullae ordinationes,

tiones, quantumuis ſapienter excogitatae, contendere poßint. Proindè neceſse eſt, vt praeclariſsimè, ſapientiſsiméque diſpoſita ſit Eccleſia, quae ad Iudaicae formam proximè accedit. At in hac ita fuerunt conſtitutae res à Deo, vt duo diuerſa de moribus iudicia, Politicum, & Eccleſiaſticum, nuſquàm reperiantur. Quid igitur prohibet, quominùs nunc quoque Eccleſia, cui clementiſsimus Deus Chriſtianum largitus eſt Magiſtratum, vna gubernatione contenta eſſe poßit?

Contuli deindè cum viris bonis, pijs, & doctis cogitationes meas, eóſque, vt non obiter tantùm cauſam expenderent, hortatus ſum. Videri enim mihi minimè neceſsarium, vt duo ponantur capita in vno viſibilis Eccleſiae corpore, quorum imperia, decreta, & gubernationes diuerſae ſint hactenùs, vt vnius rectio alterius curationi non ſit ſubiecta, ſed vtriuſque gubernatio in ſuo genere ſumma exiſtat. Equidem Senatum Eccleſiaſticum ſiue Presbyterium, ſic volebant ordinari, vt ſummum ius haberet vitia puniendi, in ipſis etiam Magiſtratibus: attamen poenis non corporalibus, ſed prohibitione Sacramentorum priuata primùm, deinde, ſi parùm ſic proficeretur, ſolenni & publica. Ego verò putare me dixi, vnum à Deo conſtitutum Magiſtratum, flagitioſos non minus hodiè coërcere omnes poſſe, quàm olim potuerit. Exemplo mihi proponebam illuſtriſsimum Salomonis Regnum, quod Eccleſiae Chriſti in hac terra regnantis, veluti quidam typus eſſet. Neque ſub hoc, neque ſub Moſe, vel Iudicibus, vel alijs Regibus, vel optimâtum vocata procuratione duo nos ita diſcrepantia iudicia inuenire. Natura negat, (inquit Muſculus) in eodem populo duas authenticas gubernationes, quarum vna non ſit alteri ſubiecta. Non ſum ab illis, quibuſcum contuli,

parùm

parùm adiutus: partim quia nonnulla quàm ego rectiùs obſeruarunt, partim quia de alijs quibuſdam exactiùs cogitandi occaſionem praebuerunt.

Interim quietum me continui: nec cum quoquam hac de re contendi, à quo non prouocarer. Prouocatus etiam moderatiſsimè ſemper reſpōdi: propterea quod neque vtile, neque neceſſarium videbatur Eccleſias noſtras hac diſputatione turbare, dum nemo illis palàm formulam iſtam adminiſtrationis obtrudere ſciretur. Illi verò qui longè putant eſſe ſuauius ac dulcius imperare, quàm parere, non ſic quiuerunt, ſed quibuſcunque potuerunt artibus (quod poſtea cognoui) ſanctiſsimo Principi conati ſunt perſuadere, vt aliquid tale conaretur in Eccleſias noſtras inuehere. Ac niſi obſtitiſſent alia quaedam, fortè perſuaſuri fuerāt. Quibus interim cōuitijs me (quē ſibi nō conſentire, & ne voti cōpotes fierent, operā da re non neſciebant) vbique proſciderint, nō attinet hoc loco referre.

Accidit deinde, vt Anglus quidam, qui propter rem veſtiariam, ex Anglia ferebatur exceſsiſſe, Doctoris titulo cuperet inſigniri, & de adiaphoris ac veſtibus diſputationem proponeret. Hanc Theologi admittere noluerunt, nè ſcilicet Anglos offenderent, (tametſi quaedam in poſterioribus quoque theſibus de hac re continerentur) vt autem noſtrae res turbarentur, pro nihilo, vt videtur, duxerunt. Quare inter alias hanc theſim propoſuit, oportere in quauis rectè inſtituta Eccleſia hanc ſeruari procurationem, in qua miniſtri cum ſuo delecto ad eam rem Presbyterio ius teneant, quoſuis peccantes, etiam Principes excommunicandi. Quanquam metuebam decertationem hanc non fruſtra inſtitutam fuiſſe, ſperabam tamen nihil aliud fore, quàm ordinariam diſputationem, quales non ad decidendas controuer-

ſias,

ſias, ſed ad iuuentutem exercendam, & ad dyudicanda ingenia eorum, qui publicos petunt honores, inſtitutae ſunt. Itaque nec ego aliquid monere volui, nec propter negotia, intereſſe potui. Hortatus quoque ſum alios, quos contrà diſputaturos videbam, vt maiorem haberent Eccleſiae rationem, quàm imprudentiae paucorum. Diſputauit nihilominus vnus atque alter: quos ſi deinde vnà mecum non vocauiſſent profanos, Satanicos, Diabolicos, turbatores, hoſtes pietatis, phanaticos, &c. nil aliud, quàm ordinaria diſceptatio fuiſset.

Equidem, quod ad me attinet, ſanctè affirmare poſſum, me nunquam induxiſse in animum meum de hac re, & controuerſia aliquid ſcribere, priuſquam eos tam intemperanter publicè, priuatímque agere audiui, & vidi. Quippe putaui diutius ſilere, nil eſse aliud, quàm veritatem prodere. Quia verò tunc eram praeter ſolitum occupatiſſimus (propter milites, qui tunc, anno videlicet 1568. cum Duce Caſimiro &c. ex Gallia varÿs morbis affecti, redibant) cogitationes meas fruſtillatim, vt in tantis negotÿs, quouis tempore quaelibet occurrebat, annotaui. Quas licet perturbatè congeſsiſsem nulloque ordine certo, propter dictam cauſam diſtribuiſsem, partim dum tranſcribebantur, partim mox atque tranſcriptae fuerant, nõnullis quorum iudicio plurimum tribuebam, & à quibus me nõ vulgariter amari non ſine cauſa quidem, & falsè tamen, credebam, examinandas, iudicandáſque dedi: ſimúlque rogaui, vt ſi quid non rectè affirmatum, firméue probatum inuenirent, melioribus rationibus liberè confutarent. Si nihil aliud, hoc ſaltem impetraturum me ſperabam, vt viſis argumentis noſtris miteſcerent aliquàtum, & non ſine argumentis ab ipſis diſsentire, cogitarent. Vnus ex duobus primis, quibuſcum

cum decreueram praecipuè conferre, de quatuor partibus, tres vidit, ac legit, priuſquàm omnia deſcripta fuiſſent. De quibus ſententiam rogatus, poſtmodùm ſe dicturum promittebat, vbi totum perlegiſſet. Obiter tamē de fermento neſcio quid proponebat, ac veteris Eccleſiae conſenſum magni aeſtimandum putabat: demùm alia quaedam talia adferebat, ex quibus facillimum mihi erat de ſententia animóque eius iudicare. Intellexi eodem ferè tempore hunc-ipſum de Excommunicatione Tractatū ſcripſiſſe, in quo ſententiam cōmunem probaret. Quo cognito dubium nō erat, quid reſponſurus eſſet. Nôram enim eum ab eo, quod ſemel affirmauiſſet abſque periculi metu non diſceſſurum. Itaque cùm haec ipſa, quae opponebat, in parte poſtrema confutata eſſent, alteri totum obtuli: quo mihi amiciorem viuere neminem putabā. Is non tantum faſtidioſè (neſcio vtrùm admonitus prius fuerit) librum à me accipiebat, ſed apertè negabat ſe legere velle: etſi vrgerem, inuitum huc ſe adigi, affirmabat. Reliqui ei nihilominus per aliquot dies, & quanto ſtudio, quantíſque precibus potui, vt perlegeret, mihíque ſuum de eo iudicium exponeret, oraui. Quod cùm fruſtrà me ab eo flagitare certis argumentis cognouiſſem, poſt dies plus-minus duodecim ab eo repetiui, vt aliorum iudicia exquirerem. Caeterùm, quia ſcriptum illud longius erat, quàm vt breui tempore à pluribus perlegi poſſet, in theſes quaſdam contraxi: quò facilius pluribus communicari poſſet. Cecidit conſilium hoc in parte non infoeliciter. Nam & complurium per Germaniam clariſsimorum & ſummorum Theologorum ſententias perſpexi, quod vnicè cupiebam: & ſic inter ſtudioſos ſparſae fuerunt, vt, qui me rogante legere noluerant, contra ſuam voluntatem deinde legere coacti ſint.

Vt

Vt porrò conſtaret omnibus, me praeter nudam veritatem nihil quaerere aliud, Praefationem praefixi, in qua duo haec petiui: Primum quidem, vt omnes diligenter ſingula examinarent, & ad ſacrarum literarum trutinam expenderent, ac ſi me in errore eſse viderent, ab eo me liberarent, quò ipſe quoque alios liberare poſsem. Pollicitus ſum ex toto corde (teſtor Deum cordium ſcrutatorem) me ei, qui errorem mihi monſtraſset, coràm Deo & hominibus gratias acturum. Quoniam autem futurum praeuidebam, quod poſtea accidit, rogaui ſecundo loco, vt ſi quid reprehendere conſtituiſsent, illis modis ac locis facerent, quibus & mea interpretari, & iniuſtè damnata, iuſtè tueri mihi liceret. Etſi enim me conſtantiſsimum ſibi amicum, & ad omnia officia parātiſsimum experti ſemper fuiſsent, vix tamen ſperare ex antegreſsis poteram, eos ſic mecum acturos, vt cum ipſis ego egeram. Nec opinione mea ſum falſus. Etenim ex amiciſsimis, vt ſtultè credideram, hoſtes mihi repentè facti ſunt, adeò, vt ne alloquio quidem ſuo dignarentur ampliùs, quantumuis nec dicto, nec facto eos vllo per omnem vitam læſiſsem, ſed optimè de eis mereri ſemper ſtuduiſsem, quod adhuc facere cogito. Deo interim gratias agebam, quòd in re tali potiùs, quàm alia quapiam, de fide, & beneuolentia eorum periculum facere contigiſset.

Non quieuerunt interim: ſed poſtquàm ſe per Magiſtratum fruſtrà viderunt tentauiſse, Theſes ex ſtudioſorum manibus extorquere, aliud auſi ſunt: nempè ſub ſpecie legum, quae nullibi extant, petiuerunt, vt, quemadmodum Theologi in dogmata & iura aliorum nihil tentent, ità etiam alijs profeſsoribus mandaretur, vt à Theologorum ſchola abſtineant. Si fuiſset hoc antè

annos

annos ſexaginta petitum, tolerabile videri poterat: nunc quo modo ferri poßit, iudicent alij. An ſolis illis, qui pro aliquot centenis florenis annuis Theologiam docent, dictum eſt, Scrutamini Scripturas: Probate Spiritus num ex Deo ſint. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete? & quae huius generis alia legimus? Putaui communem eſſe doctrinam Theologiam Chriſtianorum omnium, ideóque publicè eam vbique doceri. Quid aliud petunt, cum, vt ab eorum ſchola ſic abſtineamus, petunt, quo modo ipſi in iura, & dogmata aliarum facultatum nihil tentent? Non puto eos hoc velle, vt non audiamus eorum praelectiones, aut in locum illum non intremus diſcendi gratiâ: praeſertim cum propter meas theſes modeſtiſsimè propoſitas id petiuerint. Quis quaeſo illis Medicinae, Philoſophiae, Linguarum, & Iuris ſtudio interdixit? An quia haec ipſi ſtudia non curant, nos Theologiae ſtudium negligere ſimiliter debemus? Si non plus incommodi ex ignoratione Sacrarum litterarum, quàm ex inſcitia illarum rerum acciperemus, gratificari ipſis fortè poſſemus. Facilè vicerint, ſi contradicere ſtatutis eorum nulli conceſsum ſit. Idem iam olim Romanenſes à nobis petiuerunt, ac paulò meliore iure petiuerunt. At ego neutris gratificari poſsum, dum aliud me iubet Seruator meus Chriſtus.*

Nihil interim me mouet, quod dicunt, dedecere me Theologica tractare: méque ſic exiſtimationi meae parum rectè conſulere: fortè quia ſine mercede veritatem inquiro. Etenim ſi ſtipendio conductus Theologica docerem, nihil, ſecundùm ipſos, ab officio, & munere meo in hac parte alieni facerem. Ego verò nihil aliud cupio, quàm veritatem intelligi, Deum glorificari, & me pudefieri potius, quàm vt veritas prematur. Non fruſtrà dixit

dixit alicubi Chriſtus, illos credere non poſſe, qui mutuam gloriam quaerunt, neglecta Dei gloria.

Ergo cum ne hoc quidem ex ſententia cecidiſſet, conceptumque odium continere non poſſent, argumentis oppugnare coeperunt: quae non ſine atrocibus criminationibus, quauis opportunitate oblata, propoſuerunt. Quae etſi mihi à pluribus indicarentur, facilè tamen, pacis cauſa, contempſi, & ſperaui futurum, vt, cum impetus ille animi langueſcere coepiſſet, atque ira aliquantulum deferbuiſset, aequiores nobis redderentur. Veruntamen nimis falſus hic etiam ſum. Etenim poſt quintum ferè menſem, neque de odio aliquid remiſerunt, neque impugnare noſtra partim conuitÿs, partim calumnÿs, partim neſcio quibus ratiunculis ſophiſticis, deſtiterunt. Quam ob rem Theſes centum ſub incudem reuocaui, quas redegi ad ſeptuaginta quinque, & ſuo ordine collocaui, quae de principio, non vbi oportebat poſueram, ſed vbi occurrerant. Expoſui in ÿſdem nonnulla planiùs: & probaui etiam quaedam firmiùs: deniquè operam dedi, vt veritatis amantibus, plenè ſatisfacerem, quod in ſcripto tam breui, hoc à me praeſtari potuit.

EXPLICATIO

Grauiſsimæ quæſtionis, vtrùm excommunicatio, quatenus religionem intelligentes, & amplexantes, à Sacramentorum vſu propter admiſſum *facinus arcet, mandato nitatur Diuino, an* excogitata ſit ab hominibus?

Theſis prima.

EXcommunicationis nomen videtur ex 1. ad Corinth. cap. 10. deſumptum eſſe: atque amotionem ſignificare à communione illa, quæ ibidem corpus Chriſti nominatur. Sanè Excommunicatio nunc ab omnibus ferè definitur excluſione è ſocietate & communione fidelium.

II.

Eſt autem duplex fidelium ſocietas, interna ſcilicet ac ſpiritualis, & externa ſeu viſibilis, ac politica. Quam recentes quidam Pontificij tertiam comminiſcuntur, nec aptè fingitur, nec ad præſentem cauſam pertinet.

III.

Tantum verò inter vtramq; diſcrimen eſt, vt, qui in alterutra continetur, non etiam comprehendatur neceſſariò in altera. Nam vt membrum Chriſti eſſe poteſt, qui iniuſtè ex viſibili aliqua Eccleſia eiectus eſt, aut inter infideles latere, habitaréue cogitur: ita qui in viſibili cœtu numerantur, non omnes etiam membra viua ſunt Chriſti. Ex quo ſequitur, diſcrepare res illas poſſe, quæ vni nos coniungunt, non alteri: & ab vna nos abiungunt, non ab altera.

IIII.

Ac membra quidem Chriſti efficimur, id eſt, internæ ſpiritualiq; Chriſti, & fidelium ſocietati coniungimur, per ſolam fidem, quæ per charitatem eſt efficax: & ex eadem hac per ſolam infidelitatem excidimus. Proindè non poteſt nos huic inſerere, aut ex eadem excludere, niſi qui fidem viuã nobis donare, eandémque nobis iterùm auferre poteſt.

V.

Externæ verò viſibiliſq; eccleſiæ conſortes reddimur, eiuſdem fidei profeſſione, eiuſdémque doctrinę approbatione, denique eorundem Sacramentorum vſurpatione. In quo tria haec inſunt: is tantiſper, dum ei inſunt, inter membra externi fidelium coetus computatur: etiamſi ad internam ſpiritus & mentis communionem non pertingat.

VI.

Ergo qui ex Eccleſiae communione externa eijcitur, (id eſt, qui excommunicatur) vel ab omnibus hiſce tribus: vel à duobus: vel ab vno tantùm remouetur. Sed à duobus primis, nempe à confeſſione fidei, & à Chriſtianae doctrinae approbatione (ſub qua volo comprehendi etiam verbi ſeu doctrinae auditionem) repelli nullus debet: quin potius huc inuitandi & quauis ratione adducendi ſunt omnes. Quocircà relinquitur, vt, qui excommunicatur, à ſola (ex tribus commemoratis) Sacramentorum participatione prohibeatur. Huic, vtrùm inſeparabiliter cohaereat priuati commercij negatio, an ſeparari poſſit, poſteà conſiderabimus. Alias poenas non pertinere ad ſubſtantiam excommunicationis huius, certum eſt. Etenim poſſunt eaſdem etiam non excommunicatis infligi: & excommunicatis non infligi.

VII.

VII.

Itaque malè Pontificij praeter hanc excommunicationem (quam ipſi minorem appellarunt: ac ſola Sacramentorum negatione rectè definierunt) aliam inſuper addiderunt, quam maiorem & Anathema vocarunt: atque contra apertam ſcripturam interdictione Templorum, priuati commercij, & actus cuiuſuis liciti definierunt. Quoniam Apoſtolus in 1. Corinth. 14. palàm oſtendit, neque Ethnicos, neque alios quoſlibet à Diuini verbi auditione, lectione, gratiarum actionibus ac precibus Chriſtianorum prohibitos fuiſſe.

VIII.

Ex dictis liquet, excommunicationem nihil aliud eſſe, quàm publicam & ſolennem Sacramentorum, praeſertim coenae Dominicae (quam priuatim Apoſtolus communionem (κοινωνίαν) appellat: vt de principio dictum fuit) interdictionem, praeeunte Seniorum cognitione: quò peccantes reſipiſcant, rurſusque ad Sacramentorum perceptionem admittantur.

IX.

Hic iam oritur quaeſtio, vtrùm aliquis propter commiſſum peccatum, aut vitam impurè actam, ſiquidem, vſurpare Sacramenta cum caeteris Chriſtianis cupiat, ab eorundem vſu & perceptione ſit remouendus? Quaeſtio de eo proponitur, qui eandem fidem nobiſcum profitetur: Eccleſiae per Baptiſmum inſertus eſt: atque in doctrina ab eadem non diſſentit, (vt in 5. poſuimus) ſed in ſola vita & moribus errat. Hoc ergò quaeritur, vtrùm in ſacris litteris vel mandatum vel exemplum aliquod exſtet, quo tales iubeantur aut doceantur à Sacramentis ſubmoueri?

X.

Reſponſio noſtra eſt, nullum exſtare: ſed contraria potiùs tum exempla, tum praecepta paſsim in Biblijs occurrere. Etenim apud Moſen lib. Exodi cap. 12. & 23. & 34. Num. 9. Deut. 16. ſcriptum legimus, ter debere coràm Deo ſingulis annis comparere omnem maſculum circumciſum: videlicet in feſto Azymorum, Hebdomadum, & Tabernaculorum. Nam & peregrinos (modò eſſent circumciſi) iubebat lex celebrare Paſcha vnà cum Iudaeis. Mandatur etiam immundis, & peregrè profectis, vt eodem die ſecundi menſis, eodémque modo cum Iudaeis Paſcha edant. Additur quoque capitis pœna afficiendum eſſe illum, quicunque Paſchae celebrationem neglexerit: qui, ſcilicet, neque peregrinetur, neque immundus ſit. Quocirca voluit ac iuſſit Deus, omnes circumciſos celebrare Paſcha: nec vel ab hoc Sacramento vel ab alijs ritibus, ceremonijs, ac ſacrificijs quenquam excluſit, immundis exceptis.

XI.

In Leuitico diuerſa imperantur Sacrificia pro diuerſitate peccatorum (ſiuè per ignorantiam & errorem, ſiue voluntate, & ſtudio commiſſorum) quibus eiuſcemodi peccata expiarent, qui ea admiſiſſent. Similiter iubet Deus Deut. 14. ſine exceptione malorum, OMNIBVS, vt decimas ſuas Hieroſolymis edant coràm Domino: cauſamque addit, vt ſic diſcant timere Dominum Iehouam omnibus diebus ſuis. Erant ergo Sacramenta incitamenta ad pietatem: & proindè ab ijs nemo arcebatur, ſed ad ea magis inuitabantur omnes.

XII.

Equidem nullum vnquam propter dictam cauſam legimus

legimus apud Iudæos à Sacerdotibus, Leuitis, Prophetis, Scribis, Phariſæis, prohibitum venire ad ſacrificia, ceremonias, & Sacramenta. Sacerdotum principes, & Phariſæi pro peſſimis habuerunt Chriſtum, & Apoſtolos: at nuſquam hoc tentauiſſe vel viuo vel mortuo Chriſto inuenimus, vt à ſacrificijs & Sacramentis à Deo inſtitutis eos repellerent. Sed nec Publicanum aliquem Iudæum, nec alium circumciſum improbè viuentē à templo & ceremonijs abegerunt. Non enim neſciebant, hoc ſibi per legem non licere. Chriſtum reprehenderunt quidem apud Mat. 9. quòd cum Publicanis ederet ac biberet. At quòd cum eis in templo oraret: quòd ſacrificijs & ritibus intereſſet: quòd cum his alijsq; omnibus Hieroſolymam ad paſchæ celebrationē aliáſq; ſolemnitates quotannis aſcenderet: nuſquā, & nunquam ei exprobrarunt. Quemadmodum etiam Sadducæos crudeliſſimos nebulones & ſceleratiſſimos hæreticos adeò non conati ſunt à ceremonijs ſuis repellere, vt eos, ad ſummi ſacerdotij honorem conſcendere permitterent. Quanto interim odio alteri alteros proſequerentur, ex Ioſepho, & act. Apoſt. patet. Obuijs vlnis amplexati fuiſſent (ſi eis licuiſſet) occaſionem hanc vlciſcendi ſuos hoſtes.

XIII.

Quinimò ne potuiſſent quidem malos à Paſchatis eſu arcere: cùm non coràm Sacerdotibus, ſed in priuatis domibus ederetur: vt Chriſtum quoque cum Diſcipulis ſuis celebrauiſſe poſtremum Paſcha legimus. Fungebantur tunc omnes quodammodo Sacerdotis munere, vt de paſchate loquens Philo Iudaeus, his verbis teſtatur: ἐν ᾗ (ἑορτῇ) θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος: τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες: ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει παντὶ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς αὐτουργίαν θυσιῶν. Quod ſi in vna domo pauciores eſſent, quàm vt integrum agnum peredere poſſent, ex vicinis alios ſibi quiſque adiungere iubebatur, Exodi. 12. vt totum abſumerent. Ratio ſimilis in circumciſione obſeruata fuiſſe videtur: niſi

quòd non oportuit Hieroſolymis tantùm circumcidi infantes, ſicut paſcha ibi celebrandum erat. Non memini enim me legere, ſacerdotis praeſentiam ad eam rem fuiſſe neceſſariam.

XIIII.

Idem praecurſor ille Chriſti Iohannes Baptiſta conſtanter obſeruauit: cùm ad ſe venientes Phariſæos, & Sadducæos (quorum mores prçclarè nouerat: vnde progeniem Viperarum eos palàm nominabat) vnâ cum Publicanis, alijſque cunctis baptizaret. Math. ac Luc. 3. cap. quò pœnitentia prioris vitæ ducti ſeipſos emendarent, itáque venturam Dei iram effugerent. Parùm veriſimile eſt, hunc tantum virum, tot ſceleribus coopertos, imò reſurrectionem mortuorum impiè publicéque negantes, admiſſurum fuiſſe, niſi ſciſſet à lege neminem talium excludi. Lex enim neminem arcet circumciſum, præter leproſos aut immundos, vt antè dictum eſt.

XV.

Porrò immunditia hæc, erat legalis ceremonia, non erat vitæ morúmq; impuritas. Quippe non qui peccatũ admiſiſſet, aut ſcelus perpetraſſet, immundus erat: ſed qui funus, cadauer, excrementũ, gonorrhœa vel menſtruis laborantem, aliúdue ſimile attigiſſet, immundus erat. Hanc ob cauſã noluerunt prætorium ingredi Phariſæi, cùm Chriſtũ Pilato traderent occidendũ, ne impedirẽtur Paſcha edere. Certè non ſic figurauit Moſaica immunditia noſtra flagitia, vt, quemadmodum illa inquinati arcebantur à Tabernaculo & conſuetudine aliorum, ita hæc ſignificârit Sacramentorum negatione ſeu ex viſibili Eccleſia excluſione coercenda puniendáque eſſe: quod ex ſequentibus clariſſimè liquet. Primò, non puniebantur tunc ſcelerati eadem pœna cum immundis, dum vigeret illa legis immunditia, & ſce-

& ſceleratorum ſimul magna eſſet turba. Quomodò ergo veriſimile fuerit poſt ſublatas, ſeu deletas haſce ceremonias, ſic punienda ſignificauiſſe? Secundò pugnauiſſet ſecum Moſes apertè, dum, quos per ceremonias indicabat pellendos, eos reipſa ad templum & ceremonias admittebat. Certum namque eſt, à Tabernaculo & cœtu aliorum nullum propter vitioſitatem morum depulſum: ſi iuxta legis præſcriptum nec cadauer tetigiſſet, nec alia ratione conſimili ſeipſum contaminauiſſet. Proindè figuram immundorum gerentes puniuiſſet, ac reipſa immundos impunitos (quod ad hanc pœnam ſpectat) reliquiſſet. Sic rem eandem ſimul negaſſet ac affirmaſſet. Tertiò, erat impuritas legis qualitas & macula quædam corporis, cùm ſcelera ſint operationes, atque in actione conſiſtant. Cauſa namque radixque ſcelerum congenita nobiſcum eſt, nec ab hominibus punitur, dum nullos profert fructus: alioquin omnes excommunicandi eſſent homines. Quippe non liberabimur ab hac animorum labe, quantiſper in hac vita mortali ſuperſtites erimus. Altera verò macula corporis exiſtens impuritas, ſecluſione à conuictu aliorum punitur: etiamſi fructum nullum ediderit, ſiue, qui maculatus eſt, nihil contra legem egerit. Opera ſeu peccata immundorum, ſi, quatenus immundi erant, contra legem aliquid admitterent, inſtar aliarum tranſgreſſionum à magiſtratu coercebantur. Quartò confitentur aduerſarij non quaelibet peccata excõmunicatione vindicanda eſſe, cùm quamlibet immunditiam lex iubeat punire excluſione à Tabernaculo & ſacrificijs publicis. Quare non omnia ſcelera poterant figurare. Quintò non poteſt quiſquam inuitus peccans excommunicari: cùm frequentiſſimè homines immundi fierent inuiti, & abſque culpa ſua, imò magno ſuo cum dolore. Quae culpa haerebat in eo, cui noctù nolenti ac dormienti ſemen fortè profluxiſſet? cuius vxori praeter ſpem menſes erupiſſent? cui liberi, vxor, parentes, moriebantur? aut alia talia vſu veniebant? Quod autem voluntaria ſint flagitia, propter quae à Sacramentis depellendos eſſe aliquos

nonnulli opinantur, nullius eget probationis. Sextò conſtituta fuit pœna multò grauior hominem contra & praeter voluntatem ſuam occidenti, quàm dierum aut ſeptimanarũ aliquot depulſio à Sacramentis: quae grauiſſimae fermè immunditiej pœna erat. Quoniam igitur peccatum inuoluntarium, ac proinde leuiſſimum, acerbiore pœna caſtigabatur, quàm foediſſima impuritas legalis, facilè apparet, huius poenam non eſſe transferendam ad punienda flagitia. Septimò perſaepè eueniebat, vt ſanctiſsimus atque integerrimus quiſque immundus fieret, & à Templi aditu & ſacrificiorum vſu arceretur, dum ſceleroſiſſimus aliquis ad eadem, nemine impediente, admitteretur. Quod ſi eadem debebat eſſe in Eccleſia Dei vtrorumque pœna, multò magis hic, quàm ille, arcendus fuerat. Octauò conſtat Deum nullo vel loco vel tempore abſolutè prohibuiſſe omnem impuritatem legis. Quia enim voluit aliquos adeſſe morientibus: & aliâs morbo immundo infectis: item qui mortuos ſepelirent: denique etiam, qui immundos purgarent (qua ratione ipſos etiam inquinari contingebat. Num. 19.) hoc etiam voluit, vt non omnis immunditia legis caueretur. At flagitia Deus omnia & omnibus & ſemper prohibuit: nec vllo vel tempore vel loco flagitioſè agere permiſit. Nonò, mandat Deus, vt ſcelera igne, gladio, laqueo, lapidibus, plagis, mulcta, carcere, aliiſque poenis ſimilibus reprimantur: impuros iuxta legem aqua luſtrari, ac ſimilibus alijs rationibus purgari praecipit. Decimò non fuit pro ſcelerato damnatoque reputatus, qui iuxta legis definitionem factus fuiſſet, immundus, adeóque ad mortem vſque talis permanſiſſet: vt cum feminae menſibus laborantes, aut viri gonorrœha affecti, vel lepra, morerentur. At qui ſic viuit, vt etiam moriens Excommunicatione dignus iudicari à viris bonis ac iuſtis poſſit, non poteſt non improbus & impius cenſeri. Vndecimò, non habuit locum legis immunditia, praeterquam vno in populo & certo quodã tempore. At ſcelera vbique pullularunt apud omnes gentes, omniq; loco & tempore. Quocirca cùm & punita ſint & punienda

iudicata fuerint ſcelera, cùm apud gentes alias, tum apud Iudaeos, priuſquam legis impuritas introducta fuerit, aliud certè ſignificauit, quàm flagitioſorum pœnam hanc multò certè leuiorem, quàm qua Dei voluntati ſatisfiat. Duodecimò, purgabatur vnuſquiſque certo temporis aut dierum ſpacio, certis quibuſdam vſurpatis ceremonijs, qualisqualis animo eſſet, hoc eſt, ſiue volens ſiue nolens immundus factus fuiſſet. At à ſceleribus nullus liberatur, niſi ex animo doleat, ac verè ſerioq; cupiat melior eſſe ac fieri. Decimotertiò, erat vnuſquiſque ſuo iudicio purgatus, (exceptis leproſis cum alijs paucis quibuſdam) nec opus habebant iudicibus aut ſenioribus, qui, vtrum purificati eſſent, aut non eſſent, decernerent. De excommunicatis aliter cenſent aduerſarij. Etenim Seniorum ſuorum iudicio ſtandum in hac parte volunt: non eorum affirmatione, qui ſe pœnitere peccatorum aſſerunt. Decimoquartò ſanus & mundus pronunciandus erat, quiſquis à vertice vſque ad pedis plantam totus erat leproſus, ſic vt vniuerſi corporis cutis vnius eſſet coloris. Contrà verò, qui in parte vna vel pluribus ſolùm fœdatam cutim habebat, impurus habebatur. In ſceleroſis longiſſimè alia eſt ratio. Non enim qui totus eſt ſceleribus coopertus (quomodo ſus in cœno volutata tota lutulenta eſt) melior eo eſt, qui honeſtatis ac pietatis vmbram aliquam retinuit. Decimoquintò, nihil imperatur leproſis, quod pro emundatione ſui moliantur, ſed tantùm iubentur ſe oſtendere ſacerdoti: vt is pronuntiet, vtrùm purificati ſint, an non ſint. Sceleratis autem hoc præcipitur, vt vitam corrigant, animíque dolorem bonis ſanctiſque operibus teſtatum faciant. Decimoſextò, permulti reddebantur impuri ex contactu illarũ rerum, quibus alij purificabantur, & dum alios repurgabant, Num. 19. At nullus meretur excõmunicari per id, quo alios ſceleribus ac vitijs inquinatos ſtudet ſanare ac purgare. Quod ſi reſpondere figuram contendas, omnes illos excommunicandos concedere te oportet, qui per hanc pœnam alios in viam reuocare conantur. Decimoſeptimò non interdicebatur immundis iuxta legem Sacramentis omnibus,

bus. Quippè ritus patrios omnes priuatos cuſtodire, Sabbathum ſeruare, feſtum expiationis, quo præcipuè Chriſti operum fructus exprimebatur, celebrare, ſub pœna capitis cogebantur, Leuit. 16. & 23. Non enim pro condemnatis & deploratę ſalutis hominibus (vt ſuprà dixi) habebantur. Vtrùm alia ſit excommunicatorum ſecundùm aduerſariorum ſententiam ratio, non eſt cur pluribus tentem oſtendere. Decimo octauò contaminabant legaliter immundi veſtes, domos, loca, homines, quibuſcum agebant. Vitioſi autem nec templum, nec res alias, nec homines, prçterquàm vitijs communicantes inquinabant. Non eſt infectum Templum quoties introductę fuerunt adulteræ, Num.5. & Ioh.8. Telonius quoque ſeu Publicanus non fœdauit ſua præſentia cùm aſcenderet cum Phariſęo comprecatum. Luc. 18. Certè Phariſæus qui eum improbum exiſtimabat prę ſe, non ſe putauit contaminari. Cùm Iudas in templo abijceret nummos proditionis, non legimus Templum ab eo ſordidatum fuiſſe: nec inuenimus Phariſæos hac de re quæſtos: qui in prætorium tamen ingredi noluerant, ne immundi redderentur. Quod ſi vel menſibus, vel profluuio muliebri laborans femina, vel qui funus curauiſſet, aut cadauer etiam inuitus attigiſſet, in templo conſpectus fuiſſet, immunda fuiſſent omnia: nec licuiſſet vel ſacrificare, vel alium cultum exercere, antequàm fuiſſet repurgatum. Eodem modo non maculauit cœnam vltimam Iudas ſuis facinoribus: quod tamen accidiſſet, ſi vel ipſe vel alius ex Diſcipulis rem mortuam tetigiſſet. Demùm fuit immunditia legis figura diſtortæ corruptæq; noſtræ naturæ, quæ niſi ſanguine Chriſti puriſſimo abluta purificatáque fuerit, in cœlum non intromittetur. Etenim ſicut Tabernaculum ſignificauit cœlum, depulſio ab hoc, damnationem ſeu excluſionem è cœleſti Ieruſalem, ita purificatio per aquam communem vel luſtralem, emundationem per mortem Chriſti prçfigurauit. Non igitur fuit qualitas operis figura, ſed qualitatis, ſeu deprauati ingenij noſtri: nec prçmonſtrauit quomodò ſcelera eſſent coercenda (hoc enim apertis & explicatis verbis docuit Moſes)

ſed

ſed quę futura eſſet conditio noſtra in altera vita, ſcilicet in cœleſti regno, quod terra Chanaan adumbrabat: quæ omnia ex 21.cap. Apocal. manifeſtè ſatis perſpiciuntur. Auguſtinus aduerſus Donatiſtas ſcribens putauit ſignificare haereticorum excluſionem. Ex multis & magnis inter vtramque impuritatem differentiis etiam caecus videat, non ſic potuiſſe alteram figurare alteram, quomodò aduerſarii contendunt.

XVI.

Quanquàm praeter dictam exceptionē Moſes aliam nullam ponat, attamen ad aliam obiectionem, quae ex verbis Moſis ſtrui poſſet, reſpondebo: Sic enim fortè argutetur aliquis: Iudaei per Moſen iuſſi ſunt Paſcha ſine fermento edere: quod Paul. in 1.Corin.5.interpretatur ſpurcitiam vitae. Conſentaneum igitur videri alicui poſſit, vt cœna Domini, quae Paſchati ſucceſsit, excluſis facinoroſis celebretur.

XVII.

Reſpondeo primùm quidem parùm veriſimile eſſe, Deum apertis verbis aliquid mandare, & idem eodem tempore figuratè rurſus prohibere. Praecipit apertè, mandato aliquoties repetito vt omnis maſculus (exceptis immundis & haerentibus in via) Paſcha celebrent. Non igitur per figuram fermenti voluit aliquos alios abſterrere. Erant tunc mali ſatis multi praeſentes, vt non fuerit opus per fermentum eos figurare. Nec minùs in ſenſus incurrebāt flagitioſi, quàm fermentum. Proindè cùm figurae non proponantur rerū praeſentium, & in ſenſus aequè incurrentium, (praeſertim ſi ipſis figuris notiores ſint ac frequētiores res figuratæ) fruſtra hîc figura quaeritur. Deindè non iubet Moſes illum à Paſchatis eſu arceri, qui fermentū ederit: ſed occidi iubet. Quare facinoroſi non à cœna arcendi, ſed capite plectendi fuerint:

fuerint: quam ego conſecutionem haud aegrè admiſero & vt fiat opto. Nihil enim deſidero magis, quàm vt ſeueriſſima in eccleſia morum diſciplina ſeruetur: ſed quam Deus inſtituit, non quam finxerunt homines. Tertiò, licebat Iudaeis fermentum edere toto anno (exceptis ſeptem illis diebus Azymorũ) quos cum paſchatis eſu inchoabant. Si ad cœnam Domini accommodare velis, concedere oportet, vt toto anno impurè viuatur, tantùm tempore celebrationis cœnae Dominicae à ſceleribus caueatur. Quartò loquitur Moſes hîc tantùm de Paſchate, non de alijs Sacramentis. Proinde à ſola domini caena, non à Baptiſmo forent prohibendi facinoroſi. Quintò non comparat Apoſtolus feſtum Iudaeorum cum cœna Domini, ſed cum tota noſtra vita. Nos dicit eſſe Azymos (vt qui Chriſti ſanguine abluti & ab omni fermento expurgati ſimus.) Ideóque conuenire ait, vt in Azymis ſinceritatis & veritatis; non in fermento malitiae viuamus. Longè differunt fermentum ſimpliciter dictum: & fermentum malitiae ſeu veritatis. Sic ſumptum aut poſitum fermẽtum nullus neſcit eſſe figuratè ſumptum. Senſus analogicus ſeu figuratiuus, dicunt Scholaſtici, non eſt argumẽtatiuus. Certè quidquid per fermentum intelligamus, non hinc poteſt Excommunicatio contra apertum Dei praeceptum ſtabiliri aut fulciri.

XVIII.

Attamen mentionem, inquiat aliquis, hîc facit Paulus Paſchatis. Sed hoc ad rem noſtram quid facit? Quaſi verò nomen hoc, Paſcha, in nouo Teſtamento pro cœna Domini poſitum ſit. Chriſtus, inquit Apoſtolus, eſt Paſcha noſtrum immolatus pro nobis: non cœna eius. Senſus eſt, ſicut Iudæi ſuum feſtum Azymorum ab agni eſu inchoantes tantùm, per totam deinde ſeptimanam infermentata edebant: Sic & vos, qui in Chriſtum credere incepiſtis, eiuſque ſanguine purgati & Azymi redditi eſtis, totam reliquam ſeptimanam, hoc eſt, totum vitæ ſpacium, purè caſtéque tranſigere debetis.

XIX.

XIX.

Iam quòd neque in alijs veteris Teſtamenti voluminibus aliquid reperiatur diuerſi, vel ex hoc ſolo intelligitur, quòd iuxta Moſis inſtituta ac leges viuendum poſteris fuit: Contraq; ea inſtituere nihil licuit, quod ad cultum Dei pertineret. Equidem Iudices pij, Sacerdotes, Prophetæ, ac Reges nullos à Sacramentis & ſacrificiis abegerunt: ſed ſummo potius ſtudio vniuerſos ad ea inuitarunt. Nota eſt ſanctiſſimi Regis Ioſiæ hiſtoria 2. Par. 30. qui cunctos Iſraëlitas (quos nuper Diis alienis ſeu Dæmonibus thura adoleuiſſe non neſciebat) & præter hos, illos quoque qui propter breuitatem temporis mundari non poterant, ad Paſchæ celebrationem conuocauit. Ex quo loco etiam perſpicitur, Sacramenta, incitamenta ſeu inuitamenta eſſe ad pietatem: Et horum frequenti vſu potiùs, quàm priuatione homines reddi meliores: ſiquidem rectè & fideliter ſimul doceantur.

XX.

Quamobrem non poterit excommunicatio ex capit. 1. Eſaiæ. Pſal. 50. & ſimilibus alijs compluribus locis, in quibus dicitur, Deum nolle ſacrificia & oblationes malorum defendi. Quippè in talibus omnibus locis reprehendit Deus abuſum: quod præclarè ſe Dei voluntati ſatisfeciſſe putarent, ſi externa iſta perfeciſſent, quomodocunque tandem animus affectus eſſet. Deindè non iubet vel Prophetam, vel per hunc alium quendam, malos à ſacrificijs & ceremonijs repellere: ſed ſe non auditurum eos indicat, niſi etiam vitam corrigant. Alia eſt ratio externæ in Eccleſia politiæ: & alia voluntatis Dei erga nos noſtrâ vel probantis vel improbantis. Poſtremò, ex ijſdem locis eodem præcisè modo demonſtrabitur, nemini malo licere inuocare nomen Domini. Sed nec laudare Deum, nec gratias ei agere

gere licebit: quoniam miniſtros & ſeniores interdicere facinoroſis omnia hæc oportebit. Nam ſimiliter in impijs hęc auerſatur Deus: vt ex citatis & ſimilibus omnibus locis manifeſtum eſt. Quòd ſi hoc eſt abſurdum, etiam illud abſurdum eſt.

XXI.

Ne illud quidem nobis aduerſatur, quod in lib. 1. Eſdræ cap. 10. legitur. Etenim res illa politica fuit: ad Sacramenta non pertinet. Nam magiſtratus, non ſacerdos Eſdras ſolus (qui tamen erat pars Magiſtratus. Nam Ioſepho teſte, regebantur optimâtum gubernatione: licet Ducem haberent) edictum promulgauit, vt ſub pœna confiſcationis bonorum, & excluſionis, non à Sacramentis & ſacrificijs, ſed à populo, qui ex captiuitate redierat, omnes intrà triduum Hieroſolymis adeſſent. Non hîc quærimus, vtrùm Magiſtratus ius habeat hoc vel illo modo puniendi: ſed an ſacerdotes potuerint diſſolutè & turpiter viuentes à ſacrificijs remouere? Non potuit hoc Eſdras contra mandatum Dei facere. Adde, quòd hanc pœnam, remotionem ſcilicet à Sacramentis, Moſes non iuſſit illis infligi, Deut. 7. qui alienigenas duxiſſent vxores. Et quomodò Eſdras punire legis tranſgreſsores debuerit, cap. 7. eiuſdem libri habetur: morte, exilio, corporis cruciatibus, multatione bonorum, vinculis ſeu carcere. Deniquè longè aliud erat ex illorum cœtu, qui ex captiuitate redierant, excludi, quàm à templo & ſacrificijs arceri. Conſtat enim ex ca. 12. Exo. & Num. 9. etiam peregrinos ad Paſchatis celebrationem admiſſos fuiſſe: modo circumciſi eſſent. Tunc etiam plurimi ex illis, qui vel in Iudæa permanſerant, vel ex incolis deſerta impuritate Gentilium ad Iudæos tranſierant, vnà cum cæteris omnibus Paſcha concelebrârunt: vt in fine cap. 6. eiuſdem libri ſcribitur. Hi tales à ſacrificijs, templo, vel ceremonijs non prohibebantur: quamuis in illorum numero, qui ex Babylone redierant, nequaquàm recenſerentur. Sic & ſacerdotes

dotes aliquos à ſacerdotij munere amouerunt, propterea quòd genealogias ſuas docere non poſſent, vt ex cap. 2. Eſdræ liquet. Ex omnibus patet impoſſibile eſſe, vt hinc inuetur Excommunicatio.

XXII.

Supereſt vnica illa è Synagogis eiectio, quâ nonnulli ſibi mirè placent: dum pro Excommunicatione aſſerenda producunt, quæ Ioh. 9. & 12. & 16. de hac re ſcribuntur. Sed multiplex ac vera hîc quoque ſuppetit reſponſio. Nomen, Synagogæ, aliquandò ſignificat locum, vt quandò Ieſus in Synagogam introijſſe, inque ea docuiſſe ſcribitur: aliquandò verò concionem ſiue conuentum, ſiue is in ipſa Synagoga haberetur, ſiue alibi: vt cùm Phariſæi primos accubitus in cœnis, & primos locos in Synagogis appetiuiſſe leguntur. In eodem hoc ſignificato (vel vtroq; ſimul) ponitur Math. 10. & 23. Cùm Chriſtus pios in Synagogis, flagris cædendos prædicit: Et Math. 10. Marc. 13. Luc. 12. & 21. quibus in locis publicum iudicium ſignificat, in quo ſignificato ſæpè à 70. Interpretibus hoc nomen poſitum eſt: vt deindè monebimus opportuniore loco. In prædictis proximè locis, vt Math. 10. & Mar. 13. apertè συνέδριον & συναγωγὴ ſic ponuntur, ac ſi idem per vtrumque intelligi debeat: in cæteris locis ταῖς συναγωγαῖς mox adduntur ἡγεμόνες καὶ βασιλεῖς vt Luc. 21. (pro quibus idem Euangeliſta cap. 12. poſuerat τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας) Marc. 13. & Math. 10. Ex locorum collatione manifeſtiſſimè demonſtratur, Euangeliſtas ſiue Chriſtum his poſtremis locis nihil aliud intellexiſſe per nomẽ συνεδρίου & συναγωγῆς quàm iudicia Iudæorum, quae à conſeſſu plurium exercebantur: ſicut Gentilium iudicia nominibus ἀρχῆς, ἐξουσίας, ἡγεμόνων & βασιλέων exprimuntur: quibus ferè vnus præerat aliquis: aut ſi plures adminiſtrarent, vnius nomine adminiſtrabant. In his conuentibus ſiue Synagogis, virgis, flagris, pugnis cædebantur nocentes iudicati, Math. 10. 23. Act. 17. & 26. & 2. Corint. 11. quem locum ex Deut. 25. quiuis facilè intelligit. Ex tali Sy-

nagoga

nagoga eiectio, erat politica quaedam ignominia & poena, adeóque veluti localis quaedam relegatio: vt ex 4. cap. Lud. conijcimus. Ad Sacramenta non poteſt traduci, quae in templo (quod vnicum erat) & Hieroſolymis (excepta circumciſione atque alijs quibuſdā) duntaxat celebrabantur. Haud diſsimilis videtur poena fuiſſe illi, de qua proximè dictū eſt in explicatione ſententiae apud Eſdram ſcriptae. Synagogae tales in ſingulis fuiſſe vrbibus, nullus eſt qui neſciat. Ergò ſiue pro loco, ſiue pro ipſa concione nomen Synagogae accipi dicatur apud Ioh. noſtrae ſententiae nulla in parte repugnat. Quod ſi maximè negetur politicum fuiſſe, ſaltem hoc conſtaret, ad religionem pertinuiſſe. Ego autem hîc non diſputo, vtrùm qui prauè de religione vera ſentit, excommunicandus ſit. Etenim Phariſaei, inquit Ioh. 9. conſpirauerant in hoc, vt è Synagoga illi eijcerentur, qui Ieſum haberent pro Chriſto. Ac quod in Synagoga eſſe honor tantùm, & ex ea eijci, ignominia fuerit, ex eo videtur poſſe colligi, quod Ioh. 12. ſcribitur principes quoſdam Iudaeos (in quorum numero fortaſſe Nicodemus ille quoque fuit) in Chriſtum credidiſſe, at non auſos fuiſſe confiteri propter Phariſaeos: ne ab eis è Synagoga eijcerentur: atque additur ratio haec; Magis enim gloriam hominum, quàm Dei dilexerunt. Praetereà conſtat publicanos circumciſos non fuiſſe admiſsos in Synagogas: quomodo in praeſentia de Synagoga diſputamus: Etenim Phariſaei ne colloqui quidem ſuſtinebant cum illis: Chriſtúmque hoc nomine ſugillabant, quòd familiariter cum eis ageret. At eoſdem, hos ad Paſcha, templum, ſacrificia, non admiſſos fuiſse, nullus ſanae mentis, opinor, affirmabit. Quocircà longiſsimè differunt ex Synagoga excludi, & à Sacramentis & ceremonijs à Deo inſtitutis repelli; vt ex omnibus iam dictis conſtat, & ex 5. cap. Act. clarè perſpicitur. Quippe diſcipuli acriter à Synagoga obiurgati, nihilominùs in templo quotidiè docebant. Ex quot Synagogis fuit eiectus Paulus Apoſtolus? Hunc tamen nunquam Iudaei reprehenderunt, quòd in templum ingreſsus fuerit, & pro ſe atque alijs oblationem fieri curârit. Ad extremum hoc etiam libet addere, ſi, quam maximè doceri poſset, è Synagoga

exclu-

excludere, & à Sacramentis arcere, eadem apud Phariſæos fuiſſe (id quod nullo vnquam tempore verum fuiſſe, eſſe, fore, demonſtrabitur) feciſſent nihilominùs hoc, quemadmodum alia multa, contrà manifeſtum Moſis præceptum: ideóque factum eorum non imitari, ſed damnare cogeremur. Non enim exemplis, ſed legibus viuendum eſt nobis: nec imitandum quicquam cum lege Dei pugnans, niſi confundere omnia velimus. Exempla bonorum & bona, non malorum aut mala damnatáue expetamus. Haec ideò tam multis, attamen breuiter attigi, quia hoc argumento ſibi quidam mirificè blandiuntur, cùm interim ſeipſos atque alios fallant.

XXIII.

Manet igitur hoc firmum, immobile, & inconcuſſum, in veteri Teſtamento nullum fuiſſe propter delicta morum à Sacramẽtis remotum: ſed ad eorundem celebrationem cunctos ſecundùm legem à pijs ſacerdotibus, Prophetis, Iudicibus, Regibus, tandémque ab ipſo quoque antecurſore Chriſti clariſsimo & ſanctiſsimo Iohanne Baptiſta, fuiſſe inuitatos magis quàm repulſos.

XXIIII.

Cœterùm Sacramenta veterum & noſtra, quod ad res ſignificatas attinet, eadem ſunt, vt in 1. Cor. 10. Paulus clarè oſtendit. Quarè niſi legem Moſis hac in parte vel abolitam vel mutatam conſtet, contrarium inducere nulli homini licebit.

XXV.

Vt enim aduerſus Anabaptiſtas firmiſſimo hoc rectè vtimur argumento, quia circumciſioni Baptiſmus ſucceſſerit, & Chriſtus infantes nullibi baptizari vetuerit, non mi-

nùs nobis licere noſtros infantes baptizare, quàm Iudæis ſuos licuerit circumcidere: Ita hîc etiam non minùs firmiter poſſumus hoc pacto ratiocinari: Paſchatis eſui ſucceſſit cœna Dominica. At Paſchatis negatione vitia non puniebantur, nec propter hæc vlli arcebantur: ſed potius omnes, maſculi præſertim, ad eius celebrationem inuitabantur à lege. Quæ cùm nullibi legatur antiquata & abolita, ne cœnæ quidem Dominicæ negatione punienda ſunt, aut hoc nomine reijciendus aliquis fuerit. De veteri Teſtamento ſatis multa: nunc ad Chriſtum & apoſtolos, id eſt, ad nouum Teſtamentum deſcendere nos conuenit.

XXVI.

Chriſtus ſeruator ac Dominus noſter eodem modò nulli vſu Sacramentorum interdixiſſe legitur: quinimò nec Apoſtolis alicubi iuſſiſſe, vt tale quid facerent, inuenimus. Etenim non venit in hunc mundum Chriſtus, vt legem ſolueret, ſed vt eam impleret atq; perficeret. Proindè cùm iuberet lex omnes Paſcha celebrare præter immundos, prohibere ipſe nulli voluit.

XXVII.

Conſtat etiam, Chriſtum nullos vnquam reprehendiſſe, quòd Sacramentis vterentur, & frequenter adeſſent in templo, & Sacrificijs: ſed vt rectè eadem iuxta Dei voluntatem atq; legem vſurparent, ſolummodò monuiſſe. In idem ſemper templum ingreſſus eſt cum Phariſæis, Sadducæis, Publicanis alijſq; cunctis, malis pariter & bonis: ijſdem cum his Sacrificijs aſtitit: eadem cum vniuerſo populo Sacramenta vſurpauit: eodem quoque baptiſmate à Ioanne baptizatus eſt, quo nequiſſimi illi iam nominati baptizati ſunt.

XXVIII.

Hac eadem de cauſa Iudam quoque proditorem ſuum à poſtremi agni eſu non arcuit, ſed vnà cum 12. diſcipulis

ſuis diſcubuit. Quanquam verò ſunt, qui probare conentur, Iudàm nouae Chriſti cœnae non interfuiſſe (quod perdifficile, ne dicam impoſsibile, fuerit ex ſacris literis clarè oſtendere) ſed priùs abijſse, quàm à Chriſto inſtitueretur: nullus tamen puto negare audebit, eum iuxta legem ad Paſchatis eſum admiſsum fuiſse. Quo poſito immotum perſtat argumentum noſtrum. Etenim ſiuè antè alterius cœnae inſtitutionem exierit, ſiue non exierit, (quod eſt probabilius, & à pluribus ſemper creditum) hoc ſemper conſtat, cum primae adfuiſse, áque ſecunda non iuſsum eſse apertè abſtinere. Quinetiam nullibi legitur à Chriſto iuſsus exire, vt nouae cœnae non intereſset. Quod ſi ergo exijt, ſuapte ſponte exijt, nec ob eam cauſam exijt. Nos autem quid Chriſtus fecerit, quærimus, non quid Iudas egerit. Sufficit nobis, quòd Chriſtus eum non iuſsit à ſua coena abſtinere.

XXIX.

Friuolum & leue eſt, quod pro excuſatione adfertur, crimen non fuiſse publicum, ideóque non debuiſse amoueri. Quippè cum Phariſæis iam pactus precium fuerat. In ipſa quoque cœna Chriſtus diſcipulis aperuit, publicúmque fecit: quo magis exemplum fuiſset ſtatuendum. Poſtremò, vt aliquid hoc ſit, ſaltem pro fure antè notus erat. Et quanquàm talis eſſet, nihilominùs miniſterium ei commiſit Dominus: poteſtateque Daemones eijciendi, aegros ſanandi, aliáque miracula faciendi ornauit: denique omnibus annis, quibus cum Chriſto fuit, Paſchatis celebrationi eum, ſicut caeteros, adhibuit. An non ſatis argumenti hoc eſt, eum non velle, vt flagitioſi negatione Sacramentorum puniantur? Certè maius quiddam eſt, malum in miniſterium cooptare, quàm ad cœnam talem quempiam admittere. Vtrumque Iudae contigiſſe à Chriſto videmus.

XXX.

Obſeruandum illud quoque eſt, quòd diſcipuli in ipſa cœna prima inter ſe contendere cœperunt de eminentia & dignitate, attamen eam ob cauſſam nullus ex ipſis remotus eſt. Quinimò iuſſit ac voluit vt OMNES ex calice biberent (par ratio eſt calicis & panis: quod ad hanc rem attinet) teſte Math. 26. cap. quod Marc. 14. factum teſtatur. Quid aliud his verbis voluiſſe Chriſtus credi poteſt, quàm confirmare ea, quae per Moſen Deus olim praeceperat? vt videlicet à publica & ſolenni iſta gratiarum actione nullus excluderetur baptizatus, qui intereſſe vellet? Ex quo apparet nullum à menſa Domini remouendum, qui Chriſti doctrinam amplectitur, ac ſe doceri à Chriſto patitur.

XXXI.

Non vult anguſtioribus in his terris finibus regnum ſuum circumſcribi Chriſtus (de externo loquor) inter Chriſtianos, quàm voluerit olim concludi & definiri inter Iudaeos. Proindè ſicut iuſſit Deus omnes circumciſos externè participare eiſdem Sacramentis ac ceremonijs, ſceleratos autem gladio alijſque pœnis coerceri plectique mandauit: Ita vult hîc etiam Chriſtus omnes baptizatos ſeu Chriſtianos, rectè puréque de Religione ſentientes, ijſdem externis ceremonijs & Sacramentis vti: flagitioſos autem à magiſtratu morte, exilio, carcere, alijſque pœnis talibus puniri. Hûc ſpectare videntur ſimilitudines illae, retis, nuptiarum, zizaniae.

XXXII.

Apud Apoſtolos, Paulum inprimis, haud pauciora, nec minùs plana & firma argumenta inuenimus. Primùm

mum hoc eſt,quod nullo in loco reperiuntur Excommunicationem hanc vel docuiſſe vel exercuiſſe Apoſtoli. Quod argumentum per ſe inualidum indiſſolubile redditur, ſi cogitemus, eos Moſaicarum legum, quas non aboleuiſſet Chriſtus,ad mortem vſque obſeruantiſſimos fuiſſe: vt vel ex vnico cap.21. & vltimo Act. cognoſcere vnuſquiſque poterit. Quocircà nunquam tentauerunt vel tentare voluerunt à noſtris Sacramentis, (quae à veterum Sacramentis,ſignis tantùm & ſignificandi tempore differunt) aliquem arcere, qui ſe Chriſtianum eſſe, & de doctrina rectè ſentire profiteretur. Nuſquam enim contra Moſis praecepta aliquid fecerunt aut docuerunt, quae ſublata à Chriſto non fuiſſent, ſed non minore ſtudio legem deindè ſeruarunt, atque ante mortem Chriſti ſeruauerant: vt loco nuper citato teſtantur Apoſtolorum principes. Quippè gentibus tantùm permiſerunt ſine lege Moſis viuere, non Iudaeis ad Chriſtum conuerſis: quod diligenter hîc propter ſequentia etiam notandum eſt. Et quod ad ſubſtantiam doctrinae attinet, nihil à Moſe & Prophetis abhorrens docuerunt. Quoniam ſi aliter docuiſſent, non fuiſset eorum doctrina ſcripturis iudicata conſentanea à Berrhoenſibus. Act.17.

XXXIII.

Dicam aliquid amplius, pro ſententia Moſis, quae eadem etiam noſtra eſt, plurima: pro diuerſa opinione nulla apud Paulum inueniri argumenta. Quippe in 1. ad Cor. 8. neque illos excluſit Apoſt. qui adhuc aliquid putabant eſſe idola: neque Gnoſticos illos elatos & tumidos, qui palàm Idolothytis in ipſo εἰδωλείῳ, id eſt, templo, vel certè triclinio ad ſolenne publicúmque idolorum epulum deſtinato, cum profanis impijſque idolorum cultoribus veſcebantur: id quod Deus per Moſen apertè vetuit Exod. 34. per Apoſt. Act. 15. denique per Iohan. 2. cap. Apoc. Non fuit minùs graue peccatum hoc,quàm ſi quis hodiè intereſſe

Pontificiae auderet Miſſae: quod ex 10. eiuſdem epiſtolae cap. vnicuique colligere promptum eſt. Quoniam hoc in loco citato probat Paulus, illos tales non minùs declarare facto illo ſuo, ſe ſocios & κοινωνοὺς eſſe Diaboli, quàm coenae Dominicae vſurpatione teſtentur, ſe myſtici corporis Chriſti membra eſse.

XXXIIII.

Deinde cap. 10. ſic ratiocinatur Paulus. Quemadmodū Deus non pepercit olim res malas appetentibus: Idololatris: ſtupro ſe inquinantibus: Chriſti tentatoribus & murmuratoribus: tametſi eodem cum caeteris omnibus Baptiſmate baptizati fuiſsent, eundémque cibum ſpiritualem ediſsent ac potum bibiſsent: ſic ne vobis quidem, quicunqꝫ talibus eſtis contaminati vitijs, parcet, quantumuis ſimiliter de vno omnes pane edatis, & de eodem omnes poculo cum omnibus ſanctis bibatis. Ex his perſpicitur, primùm quidem, noſtra & veterum Sacramēta eadem eſse (quod ad rem internam ſeu coeleſtem attinet) aliàs argumentum Apoſt. nullum foret. Deindè liquet vtrobique multos flagitioſos & quidem publicè notos admiſſos fuiſſe. Tertiò illud etiam conſtat, neminem iuſſum eſſe abſtinere quomodo excommunicati abſtinere iubentur. Apoſtolus non dicit, illos tales arcendos eſſe: ſed à Deo ſic praedicit puniendos, vti veteres puniti fuerint. Etenim partem eorum Moſes cum Leuitis trucidauit, Exod. 32. partem Deus igne, ſerpentibus, gladio, terrae hiatu, conſumpſit: quod etiam Corinthijs vſu-uenit. Quoniam multos eorum morbis tunc conflictatos, multos etiam mortuos fuiſſe affirmat.

XXXV.

Sequente capite neque rixoſos & Sectarios, neq; in ipſa celebratione cœnae factos ebrios, alijſque ſceleribus pollutos,

tos,

tos,ab vſu eius imperat abiungi. Huius certè interdictionis nullo verbo meminit: cùm longè minora corrigat,vt quod quiſque domi edere debeat. Quomodò hoc in loco potuiſſet hanc rem tacere, ſi eam approbauiſſet, neceſſariamque Eccleſiae putauiſſet? Sciebat Apoſt. aliter legem iubere: aliumque in Eccleſia Sacramentorum vſum eſſe: quàm vt eorum negatione morum vitia punirentur. Ideo mandat, vt vnuſquiſque ſeipſum probet: non hoc praecipit, vt alij alios examinent ac probent. Hortatur praetereà omnes,vt dignè ſtudeant edere, ne quis ſibi iudicium edat: Indignè edentes nequaquam iubet arceri, ſed caſtigationē Domini interminatur. Edentium genus diuidit per oppoſitas differentias in duas ſpecies, in eos ſcilicet, qui dignè edunt, & eos, qui indignè edunt: neutros iubet non edere, ſed omnes cupit dignè edere.

XXXVI.

Poſtmodùm in ſecunda Epiſt. cap.12. & 13. non minatur illis,quos poſt admonitionem non pœnituerat impuritatis,libidinis,& impudicitiae, quam patrauerant, amotionem à menſa Domini: ſed pro authoritate poteſtateque à Deo ſibi tradita, rigidè duriterque ſe in eos animaduerſurum oſtendit: quod in ſuis ſcriptis ſaepè fecit: interdictionem Sacramentorum, de qua praeſens eſt quaeſtio, nullibi docet: neque vel presbyteris vel alijs vllis hoc vt faciant imperat. Quòd ſi hoc modò coercere facinoroſos voluiſſet, iuſſiſset eos à Sacramentis, vſque ad emendationem, amoueri: praeſertim cùm anteà in eadem eccleſia Seniores ordinaſset 1.Cor.*6*. & cœnae celebrationem correxiſset. Sed hac de re poſteà plura dicemus fortaſsè.

XXXVII.

Sicut in Sacramentorum celebratione nullam videmus Excommunicationis mentionem fieri, ſic neque in eorundem inſtitutione aliquid huiuſmodi deprehenditur. Sed

nec in finium & vſus eorum explicatione meminit ipſius ſcriptura. At ſi ad hunc etiam finem data Eccleſiae fuiſſent, vt eſſent ſcelerum aut ſceleratorum pœnae quaedam, alterutro in loco mentio eius aliqua facta fuiſſet. Cœnae Dominicae fines, propter quos inſtituta fuit, hi ſunt: vt ſolenniter celebremus mortem Domini, publicéque gratias ei agamus pro liberatione noſtri: vt admoneamur & teſtemur noſtra praeſentia, nos cibum & potum vitae alium nullum habere, quàm Chriſtum crucifixum, & ſanguinem ipſius pro nobis effuſum: vt declaremus nos pœnitere vitae anteactae: cogitare de meliore: amplecti doctrinam Chriſtianam: membra Chriſti eſſe: ad eccleſiam ipſius pertinere: in qua piè & ſanctè deſideremus viuere deinceps ac mori. An haec aliquem facere alicubi ſcriptura prohibuit? At aliqui, inquies, ſaepè redierunt ad ingenium: & nihilo meliores ſunt redditi. Reſpondeo illum, qui ſic in praeſentia cogitat, vt iam dixi, impulſore ſpiritu ſancto, à ſcriptura non repelli. Vtrùm & quandò tandem ſit perſeueraturus in ſancto illo propoſito, nouit Deus. Noſtrum eſt ſemper benè ſperare de omnibus, etiamſi ſaepè falſi fuerimus: & praetereà Deum ex animo comprecari, vt illum & nos ſimul in bono confirmet. Interim obiurgandus & admonendus eſt, qui malè agit, vt ſeipſum probet, ne iudicium ſibi edat & bibat, vti Apoſt. docet.

XXXVIII.

Poſtremò, an ſunt Sacramenta vel authoritate & dignitate verbo praeſtantiora? vel vſu magis neceſſaria? Abſque verbo qui ſeruarentur nulli fuerunt: abſque Sacramentis, praeſertim abſque cœna, ſeruatos ac ſeruari potuiſſe multos (qui tamen non contemnerent) nullus dubitat. Haud aliter ſenſiſſe videtur Apoſt. quandò non ad baptizandum, ſed ad praedicandum verbum miſſum ſe fuiſſe ſcripſit. An non pleriq; omnes viſibilia verba dicunt eſſe? atque oculis proponere, quae verba auribus ſignificant?

cant? Cur ergo à verbo neminem, à Sacramentis, præſertim à coena Domini, aliquos arcere ſtudemus? idque contrà, vel ſaltem citrà expreſſum Dei mandatum? Quia, inquiunt, verbum omnibus, Sacramenta ſolis conuerſis inſtituta ſunt. Scio: nec ego de Turcis, aut non conuerſis loquor: ſed de vocatis à Deo in Eccleſiam ſuam, & huic inſertis: doctrinam probantibus: & Sacramentis ritè vti externè ſaltem cupientibus.

XXXIX.

Firmè hucuſque demonſtraui, neque apud Chriſtum, neque apud Apoſt. huius facinoroſorum caſtigationis, aut potiùs coercitionis, verbum aut exemplum exſtare. Quocircà cùm nec vetus nec nouum Teſtamentum hanc puniendi rationem imperârit, ſed contrarium in vtroque ſæpè occurrat, meritò putamus, humanum potiùs inuentum eſſe Excommunicationem (quatenùs propter vitae morumque ſcelera homines ab vſu Sacramentorum repellit) quàm diuinam quandam legem. Itaque conſequens nunc eſſe videtur, vt, quae aliter ſentientes pro ſe adducunt, inſpiciamus, & nihil habere in probando virium demonſtremus.

XL.

Praeceptum, inquiunt, exſtat apud Math. 18. cap. & in Epiſt. D. Pauli: exemplum autem in 1. Cor. 5. cap. reperitur: item in 1. Timoth. 1. De his ordine agemus: & primùm de loco qui apud Math. habetur.

XLI.

Propoſitum Chriſti non fuit in hoc capite nouam gubernationem, aut exercendæ Excommunicationis formam inſtituere, ſed Diſcipulos erudire, quomodò in depellendis priuatis iniurijs offenſionem cauerent. Quoniam enim qui

ius

ius ſuum mox perſequuntur apud Magiſtratum (præſertim Gentilem & profanum, quali tum ſuberant Iudaei) ſæpenumerò infirmos offendunt, primùm eos hortatur, vt condonent potiùs iniurias, quàm in qualibet cauſa ad Magiſtratum accurrant. Hac in parte nil aliud facit, quàm quod mandatum Moſis 19. Exodi (quod Syracides cap. itidem 19. fuſiùs repetiuit) in memoriam reuocat. Deindè præcipit, ſi fortè ad Magiſtratum deferre cauſam cogantur, ne fratres ſuos Iudæos apud Romanos accuſent, priuſquàm proprij Magiſtratus auxilium fruſtrà implorauerint: ſi modò ſcandalum euitare velint. Praeceptum ſimile tradit Corinthijs Apoſt. in 1. ad Cor. 6. (qui locus præſentis eſt velut expoſitio quaedam) ne videlicet temerè inter ſe litigent Chriſtiani apud Gentiles. Ergo genuinus huius loci & cap. ſenſus talis eſt: Cùm frater, hoc eſt, Iudæus, iniuriam tibi facit, ſolus eum tibi reconciliare ſtudeto. Si ſolus nihil profeceris, duobus aut tribus alijs aſſumptis idem tentato. Si ne ſic quidem te liberare ab iniuria poteris, Synedrio, id eſt, tui populi aut tuae religionis Magiſtratui indicato. Quòd ſi hunc etiam audire nolit, ſic aduerſus eum citrà cuiuſquam offenſionem agere poteris, quomodò aduerſus Publicanum aut Gentilem iniurium tibi inferentem (qui ad aliud quàm Romanorum Tribunal ſe pertrahi non patiuntur) ageres.

XLII.

Hanc eſſe propriam & legitimam huius loci interpretationem, ex tota orationis ſerie, præſertim verò ex concluſione, atque circumſtantijs omnibus, manifeſtè oſtenditur. Primùm non de grauibus & publicis ſceleribus ad religionem patrioſque ritus attinentibus (quorum coercitio penès Synedrium erat) differit hoc loco Chriſtus: ſed de priuatorum iniurijs, quorum remittendorum poteſtas penès quemuis eſt, loquitur. Euidenter, quod dixi, hoc probat, quòd tota oratio in ſingulari numero contexitur. Si peccauerit frater Tuus in Te (εἰς σέ) corripe Eum inter Te & ipſum

ſolum:

ſolum: Dic Eccleſiæ: ſit tibi &c. Eodem modo Luc. quoq; 17. loquitur, ſi frater Tuus ἁμάρτῃ εἰς σὲ. Et mox, ſi ſepties vno die peccet in Te, ac reuerſus ad Te dicat, ſe pœnitere, remittito Ei. Non poſſumus εἰς σὲ interpretari, in Eccleſiã. Quippè cùm poſteà dicit, dic Eccleſię, ſenſus foret, O Eccleſia, dic Eccleſiæ. Neque idem ſignificare poteſt, quod, te conſcio. Nam neq; verborum orationiſq; natura, neq; circumſtantiæ hoc patiuntur. Additur enim mox, inter te & ipſum ſolum. Quomodò ergo, ſi me conſcio, & non in me priuatim & ſolum peccauit, ſolus ſolum cogor monere, non potiùs vnà cum illis, in quos peccauit propriè obiurgare eum iubeor? At Chriſtus non concedit, vt primò cum alijs eum adeam. De iniuria ergo loquitur mihi priuatim à fratre meo facta. Quomodò etiam Luc. verba huic interpretationi congruunt, cùm dicit, ſi reuerſus fuerit ad te, remitte ei? An etiam hîc dicemus, ad te, poſitũ eſſe pro, te conſcio? Sed quid ſignificabit tunc remittere ei? An hic etiam dicere oportebit, eſto conſcius remiſsionis? An Prodigus Luc. 15. peccans in cœlum, conſciò cœlo peccauit? Quomodò in fratres malè faciendo peccemus, ex 1. Cor. 8. patet, ſed huius loci ratio eſt alia. Certè oratio & verba non ſinunt nos de alijs, quàm priuatis iniurijs exponere: quas ipſe poſſis pœnitenti remittere. Quòd ſi non ſua ſpontè eum pœniteat, hoc agere debes, vt pœniteat. Secundò probat idem, quod Apoſtoli aliter verba Chriſti non intellexerunt, vt ex Petri interrogatione patet, cùm ſic quaerit: ſatiſne eſt, ſi fratri meo in me ſepties peccanti, toties remiſero? Non ignorabat Petrus iniuriam, quæ ad Eccleſiam aut ad plures alios pertineret, ſe ſolum remittere neque poſſe neque debere. Tertiò probat vox, TIBI. Non dicit Chriſtus, ſit nobis, ſit Eccleſiæ, ſit alijs: ſed ſit tibi ſoli, qui ab eo iniuriam paſſus es vel pateris, velut Publicanus. Chriſtus etſi omnes ex æquo Apoſtolos alloquatur, iubet nihilominùs, iniurioſum illi ſoli velut Publicanum haberi, qui ab eo læſus fuit: idque poſt Eccleſiæ admonitionem. Proindè non de illis rebus loquitur, quae ad totam Eccleſiam, ſiue ad alios plures ſpectant: ſed quae

ad

ad ſingulos pertinent. Quartò loquitur de talibus peccatis, quæ toties remittere fratribus debemus, quoties illi ſe pœnitere dicunt. Et hanc tranſactionem ſeu remiſsionẽ inter ſolos duos factam litem omnem finire, apertè in his verbis dicitur, πάλιν λέγω ὑμῖν ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν &c. At graue facinus, quod ad plures totámue Eccleſiam pertinet, non poterit ab vno ſolo remitti. Notandum hîc obiter eſt, aduerbium πάλιν, quo ſe idem iam antè dixiſſe indicat, tametſi alijs verbis vſus fuerit. Quintò, loquitur Chriſtus de eiuſmodi peccatis, quorum, qui ea commiſit, non pudet: quæue coram quouis non ſit negaturus. Si de alijs grauioribus, & ad Eccleſiam alióſue plures ſpectantibus loqueretur, locum teſtes non haberent. Nullus enim tale factum, ſi occultum ſit, coràm teſtibus confitebitur. At in omnibus, de quibus hîc ſermo eſt, gradus à Chriſto poſiti ſeruandi ſunt. Quocircà de priuatis iniurijs, ad alios nihil pertinentibus, loquitur. Sextò loquitur de talibus, quæ Eccleſia, de qua hîc loquitur Chriſtus, non punit, ſed iniurioſum verbis duntaxat caſtigatum dimittit. Fruſtrà enim diceretur, ſi non audierit Eccleſiam, ſiquidem peccatum publica pœna coercere poſſet. Septimò, probat idem luculentè admodùm parabola mox ſequens, qua docetur, Deum non remiſſurum illis peccata ſua, quicunque fratribus ſuis pœnitentibus non remittunt ex animo iniurias citrà mulctã & pœnam. At Eccleſia ſic non debet, vt illi aiunt, remittere, ſed à Sacramentis, ſaltem ad tempus, arcere: dum Presbyteris ad hanc rem delectis pœnitentiam ſuam probent. Ergo non volet ſepties in die remittere dicentibus ſe pœnitere: ſed volet argumenta videre, de quibus hîc Chriſtus nihil dicit. Non vult alia argumenta quàm confeſſionem errati: quam qui non ſimulat, non redibit in die ſepties. Perſpicuè ex his demonſtratur, Chriſtum in hoc 18. Math. cap. non de erroribus Excommunicatione vindicandis, ſed de leuibus & priuatis iniurijs, earumque componendi modo diſſerere: ideóque ad excommunicationis negotium non pertinere. Si vel ſola concluſio Chriſti in fine capitis inſpiciatur,

ciatur, ablata erit omnis dubitatio.

XLIII.

Qui opinatur Chriſtum in hoc loco & cap. Excommunicationem inſtituiſſe, oſtendere cogitur, in quibus verbis mandatum hoc comprehenſum ſit. Si demonſtrare non poterit contineri, fruſtrà dicet hîc eam mandari. Ergo vel in his verbis ineſt, Dic Eccleſiae: vel cùm dicitur, ſit tibi velut Publicanus: vel in illis, quæcunque ligaueritis. At omnia haec nihil tale complecti certiſſimis argumentis probabo. Quocircà cùm in alijs nullis quaeri poſſit, fruſtrà in hoc capite quaeritur.

XLIIII.

Verba Chriſti, Dic Eccleſiae, hoc tantùm probant, poſſe eum qui iniuria affectus eſt à fratre ſuo, ac fruſtrà reconciliari cum eo ſtuduerit, de iniuria queri apud Eccleſiam ſiue Eccleſiæ Rectores aut praeſides. Praetereà quòd Eccleſia eadem ius & poteſtatem habeat iniurium hominem obiurgandi & monendi, vt iniurius eſſe deſinat. Non plus poteſtatis tribuitur hîc Eccleſiae, quàm teſtibus antè datum eſt: ſi vnum hoc excipias, quòd ſine teſtibus cauſa non defertur ad Eccleſiam. An non igitur inepta fuerit ratiocinatio hæc, Eccleſia ius habet illum, qui alios iniuria afficit, obiurgandi: Ergo ius habet eum excommunicandi, ſiue à Sacramentis arcendi? At verò, inquiat aliquis, Eccleſia non habet ius pœnis corporalibus aut gladio plectendi nocentes: proinde prohibitione Sacramentorum punire cogitur. Reſpondeo, non ſequi connexum hoc, etiamſi verùm eſſet, quod antecedit (falſum eſſe antecedens de viſibili Eccleſia acceptum, totum vetus Teſtamentum, omnium ſeculorum hiſtoria, noſtrimet oculi & ſenſus, nobis demonſtrant) neque probari vnquam poterit iſta rectè cohærere. Non poteſt punire gladio, ergò arcere debet à communibus Sacramentis eandem religionem profitentes.

XLV.

XLV.

Si reſpondeat, qui diuerſum ſentit, hoc verba illa velle, ſit tibi velut Publicanus & Ethnicus: reſpondebo ego falſum eſſe. Quippè nulla oratione, nulla perſuaſione, nullis argumentis in ſempiternum demonſtrabitur, hanc orationẽ Chriſti, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus, eandem eſſe cum hac, ſit excommunicatus, ſiue à Sacramentis excluſus. Etenim Chriſti ætate Publicani circumciſi, ſiuè Iudęi eſſent, ſiuè Gentiles, non arcebantur à Sacrificijs, templo, cæremonijs & Sacramentis. Sanè videtur Chriſtus cum Ethnico ideò coniunxiſſe Publicanum, ne quis iſtam Sacramentorum interdictionem, hîc iuberi arbitraretur. Quomodò potuiſſent ſecundùm legem arceri à Templo & cultu Diuinò, cùm vectigalium redemptorem eſſe peccatũ non eſſet? nec à Deo vſpiam prohibitum inueniretur? Chriſtus certè nullo in loco vetuit. Ioannes Publicanis interrogantibus quid facere neceſſe haberent, vt ſalui fierent, non mandat vt officiũ deſerant, ſed ne plus exigant, hortatur, quàm conſtitutum fuerat, Luc. 3. Chriſtus quoque Principi Publicanorum Zachæo non præcipit muneris huius abdicationem: nec iſto nomine ipſum reprehendit Luc. 19. Nec de illo, qui in Templũ aſcenderat oratum, & Chriſto iudice iuſtus domum redierat, legimus quòd Publicanus eſſe deſierit. Luc. 18. Sed nec alios illos, qui Deum laudabant & prædicabant, Luc. 7. & 15. & Chriſto atque Apoſtolis erant chariſſimi, mutauiſſe conditionem reperimus. Summatim dicam, ſacras literas, hoc eſt, Deum nullo tempore & loco Publicanos hoc nomine condemnare aut vituperare, quoad Publicani ſunt, hoc eſt, vectigalium redemptores: quod omnes ſani mecum libenter confitebuntur. Quo poſito, ſic argumẽtor. Deus nullum Publicanũ, quia Publicanus, condemnat in ſacris literis. Quem porrò Deus non damnat, is non poteſt ex lege Dei excommunicari. Nullus igitur Publicanus potuit iure Diuino prohiberi ab aditu Templi &

cultu

cultu diuino. Pergo iam, ſic concludens. Nullus Publicanus ex lege potuit damnari ſeu excommunicari. At Chriſtus non audientem Eccleſiam, de qua ibi loquebatur, iubet haberi vt Publicanum. Ergo iubet pro eo haberi, qui ex lege Dei non poſsit haberi execrabilis: hoc videlicet nomine, quia Publicanus ſit. Quod Excommunicatores dicunt verba hæc, ſit tibi velut Publicanus, idem ſignificare, ac ſi dixiſſet, ſit tibi qualis Publicanus eſt Phariſæis, abſurdum, falſum, & impoſſibile eſt. Non enim eſt credibile, Chriſtum in eo loco, in quo decreuit rem adeò magni momenti, adeoque vtilem & neceſſariam (vt dicunt aduerſarij) Eccleſiæ inſtituere, voluiſſe Regulam, quæ ſeruanda deinceps ab omnibus eſſet, ab impio facto improbiſſimorum hominum ſumere. Deindè probatum iam fuit, nullum vnquam apud Iudæos fuiſſe excommunicatum: quomodò nunc de hac re diſputamus. Denique pugnant omnia verba Chriſti cum eorum interpretatione. Etenim Chriſtus hic non de Phariſæis (aut cum his) loquitur, ſed cum diſcipulis agit: & de ratione cauendi ſcandala diſſerit. Hoc dicit, ſi iniurius homo Eccleſiam non volet audire, ſit tibi, quomodò Publicanus, ſcilicet tibi eſt: non quomodò Phariſæis eſt. Cæterùm conſtat Publicanos Chriſto & Diſcipulis ac religioſis omnibus non fuiſſe exoſos: certè non habuerunt pro dignis Excommunicatione, ſed cum eis quotidiè edebant ac viuebant. Quòd verò Ethnicum & Publicanum coniungit, cogit nos fateri, Chriſtum de re quapiam loqui, quae vtriſque communis eſſet. At hi in Templum ingredi poterant, non illi. Quarè de excommunicatione hîc nihil dixit Chriſtus. Longè ergo aliud ſignificant verba haec, Sit tibi tanquàm Publicanus, quàm haec, ſit tibi tanquam Excommunicatus. Senſus ergò huius loci hic eſt: Si Eccleſiam non audiat, poteris (in hac cauſſa) ſine offendiculo cuiuſquam ſic cum eo agere, ac ſi cum Ethnico vel Publicano negotium tibi eſſet. Qui cum talibus controuerſiam habebat, cogebatur apud Romanum

Magiſtra-

Magiſtratum cauſam ſuam diſceptare: (de ethnicis conſtat: de Publicanis ex eo patet, quòd Romanorum iurati eſſent miniſtri contra ſuam gentem: quodq́; à Phariſæis & principibus Iudæorum, qui eos pro deploratis & nebulonibus habebant, nihil æqui poterant expectare) quod Chriſtus nulli permittit aduerſus fratrem Iudaeum, priuſquàm eo modo reconciliationem requiſierit, qui ab ipſo eſt propoſitus,& olim fuerat in lege pręſcriptus. Hûc excuſatio Pauli Act. vltimo pertinet: ſcilicet non ſe appellauiſſe Caeſarem, niſi coactum: nec vt Iudaeos accuſaret, ſed vt ſeipſum à vi & iniuria defenderet. Si quid habebat Chriſtianus aduerſus fratrem apud Cor. iubet Apoſt. vt coràm delectis arbitris tentet tranſigere: non ſtatim litiget coràm profano magiſtratu. Quòd ſi Chriſtianus cum Ethnico negotium haberet, quis dubitat, quin apud Gentilem magiſtratum ius ſuum perſequi potuerit? Eodem modo ſi quis Seniorum in Eccleſia iudicium & ſententiam contemneret, poterat, qui laedebatur iniuriámue patiebatur, ad Gentilem Magiſtratum prouocare, ſine offenſione proximi.

XLVI.

Clarior euadet tractatio, ſi quae & qualis fuerit illa Eccleſia, cui iuſſit dicere, conſideretur. In cuius rei declaratione hoc pro initio & fundamento pono, quod ab omnibus probatum iri confido, & à nemine negatum ſcio: Chriſtum ſcilicet de Eccleſia loqui, quae tum eſſet. Quomodò namque iuſſiſſet eos Eccleſiae dicere, quae nullibi reperiebatur? & de cuius conſtitutione nihil adhûc audierant? Si nouam fundare Eccleſiam, aut nouam gubernandi formam Apoſtolis incognitam voluiſſet, mutilam valdè tradidiſſet inſtitutionem. Quippè neque qui ſint illa Eccleſia, neque ex quibus & quomodo colligenda, neque modum iudicij pœnáſque docuit: neque de omnibus peccatis locutus eſt, vt iam probaui: & illi, ipſi, qui ex hoc loco Excommunicationem exſtruunt, confiteri nobiſcum coguntur: dum de

occultis

occultis duntaxat erratis hîc agi palàm aſſerunt. Vbi noui aliquid inſtituit Chriſtus, nihil omiſit eorum, ſine quibus conſiſtere res illa non potuiſſet. Hîc tantùm iubet Eccleſiæ dicere: quam ſi non audiat, permittit eum veluti Publicanum haberi ab accuſatore: pœnam propterea nullam addit. Lucas cùm in hunc locum incidiſſet, ne illa quidem ſigillatim commemorat, quae Math. recenſuit: reliqui Euangeliſtæ mentionem nullam faciunt: non tacituri rem tantam & tam neceſſariam, ſi tum primùm à Chriſto inſtitutam cognouiſſent. Adde, quòd Apoſtoli Chriſtum non moriturum ritusq́; Iudaicos non mutaturum perſuaſiſſimũ habebant: quodque nullo verbo, nullo ſigno aut indicio declararunt, ſe Chriſti doctrinam non ſatis percipere: aut quaſi inuſitatum aut incognitũ aliquid audirent, vel interrogare voluiſſe vel admiratos fuiſſe. Hoc ſolùm mirabatur Petrus, quòd toties fratri iuberetur ignoſcere. Proindè non acceperunt hæc verba Chriſti de noua gubernationis forma ipſis incognita: ſed ſe doceri crediderunt (& rectè quidem) quandò ſibi liceret Iudæum fratrem apud prophanũ magiſtratum accuſare abſque offendiculo. Hodiè quoque non temerè videas Iudæum cum Iudęo apud Chriſtianum magiſtratum litigare.

XLVII.

Ergo non pertinet ad omnes hoc mandatum, interroget fortè aliquis? ſed ad illos ſolos qui ſub impio magiſtratu degunt? Reſpondeo priorẽ partem de tentanda reconciliatione antequã veniatur ad iudicem ad omnes Chriſtianos pertinere: poſteriorem hunc habere locum quandò ſub magiſtratu non Chriſtiano degunt pij. Idcircò Paul. Corinthios quoque hortatur, vt aliquos ex ſuo ordine eligant, qui lites dirimant, ne cogantur coràm profano magiſtratu litigare. Quis dubitat Corinthijs, ſi qui ſtare delectorum iudicio nollent, vel ſi iniurioſus propter horum ſententiam nihilo fieret melior, licuerit demùm ad Romanum Gentilemque

magiſtratum venire? Equidem Paulus, cùm ſe à Iudaeis iniquè premi cerneret, Cæſarem appellauit, Act. 25. Quod factum vt excuſarit apud Iudæos Romæ degentes vltimo cap. Act. indicatur. Planiùs intelliget ac certiùs videbit omnia hæc, qui locum Leuit. 19. Eccleſ. 19. & 1. Cor. 6. cum hoc capite Math. diligenter conferre tentabit: & quàm apertè omnia ſibi reſpondeant, obſeruabit: inprimis verò qui Pauli & Chriſti verba de poſtrema parte attentè notabit: quæ quia ſub Moſe & Eccleſiaſtico non habebant locum (quòd nulli tunc extero principi ſic parerent, vt Romanis deindè paruerunt) ab vtroque hoc meritò omiſſa fuerunt.

XLVIII.

Et hactenus quidem, vt opinor, facilè conuenit omnibus, nempè Chriſtum de Eccleſia loquutum, quæ in rerum natura ſeu in Iudæa tunc exſtaret: at mox diuaricantur ſententiæ, cùm quid per Eccleſiæ nomen intellexerit Chriſtus, inquiritur. Quippè aliquando pro tota concione ſeu multitudine ponitur: nonnunquam verò pro Senatu ſiuè Senioribus, qui eam gubernabant, accipitur. Hoc modo vſurpata reperimus nomina Hebraica ſignificantia Eccleſiam & concionem ſiue congregationem (quæ Septuaginta nomine *συναγωγῆς* expreſſerunt) Num. 35. Ioſ. 20. Pſal. 82. atque alibi. Porrò Chriſtum hoc in loco per Eccleſiam, non multitudinem vel turbam, ſed Iudaicum ſenatum. (*συνέδριον, γερουσίαν, συναγωγὴν*) intelligere nos voluiſſe, argumenta ſunt valida. Primum eſt, quòd conſtat Chriſtum formam iudiciorum & gubernationis, quæ ſecundùm leges adminiſtrabatur, non nouaſſe: nec contrà ea, quæ Moſes iubente Deo rectè ſanxerat, aliquid feciſſe, aut diſcipulis permiſiſſe. Iuſſerat autē Moſes cauſas tales proponere dijudicandas, non turbæ, ſed cuiuſque loci ſenatui ſiue *τῷ συνεδρίῳ*: quod in ſingularum vrbium portis.

tis initio conſidere ſolebat. Si contrà hoc Moſis inſtitutum hîc aliquid inſtituere cogitauiſſet Chriſtus, fuiſſent ea re non leuiter offenſi diſcipuli: qui per omnem vitam legis obſeruantiſſimi fuerunt. Cogitent apud ſe ſinguli, quos Phariſæi triumphos acturi fuiſsent, ſi verè Chriſtum arguere huius criminis potuiſſent: quod ſcilicet contrà doctrinam Moſis populum aduerſus magiſtratum incitauiſſet? Quem poterant illuſtriorem prætextum optare, ipſum vt ſeditioſum accuſandi, quàm ſi probauiſſent, eum contrà Dei praefinitionem tentauiſſe populũ aduerſus magiſtratum armare? teſtium examinationes permittere? poteſtatem ad ſe vocandi, quos vellent concedere? cauſas cognoſcendi ac iudicandi facultatem tradere? Alterum eſt quod Chriſtus ei Eccleſiæ iuſsit dicere, quæ poteſtatem habet accuſatum ad ſe vocandi, cauſam audiendi, teſtes examinandi. (ideò enim in ſecunda admonitione iubet nos duos aut tres adiungere, vt factum idoneè probetur) & demùm pronunciandi ſeu iudicandi. Hæc autem à turba & multitudine fieri non poſſe, niſi certos quoſdam eligat qui omnia moderentur, nullus ignorat. (Valdè puſillum oportet cœtum eſse, qui abſque Senatoribus per ſe res & cauſas tales poſsit expedire. Hac de cauſa rectè aliqui iudicarunt, hoc præceptum Chriſti, ſi de tota concione ſeu turba accipiatur, locum habere non poſse, niſi cum ex valdè paucis Eccleſia conſtat.) Proindè cùm, qui hoc modò præſunt, nihil aliud ſint, quàm Senatus ſiue συνέδριον quoddam, rurſus efficitur, Chriſtum non turbæ, ſed Synedrio iuſsiſse indicari. At verò populus Chriſti tempore non habuit poteſtatem eligendi ſibi magiſtratum & principes. Quocircà per Eccleſiam Iudaicum ſenatum nos intelligere oportet: quemadmodum diſcipulos intellexiſſe ex ſuprà dictis conſtat. Ergò ſi per Eccleſiam intelligamus ipſam turbam, Eccleſiæ dicere oportebit, quæ ius habeat eligendi ſibi ſenatum talem, qualis erat tunc Iudaicæ Eccleſiæ ſenatus. Noſtræ autem Eccleſiæ non habent poteſtatem talem ſenatum eligendi, qualis erat

Synedrium Iudaeorum: imò apud Iudaeos quoque non habuit eam facultatem populus ætate Chriſti: vt paulò antè dixi. His iam addamus, quòd ſcriptura, cùm de turba loquitur, ferè vtitur nominibus, populi, multitudinis, turbæ, Filiorum Iſrael, aut idem ſignificantibus alijs, vt cùm in tota Synagoga, vel in tota congregatione aliquid dictũ factúmue ſcribitur. Taceo quòd hic loquendi modus hodiè etiam vſitatus eſt. Quippè Imperio aut Reipub. indicauiſſe dicimus, quod Imperatori alijsque Imperij Rectoribus aut Reipub. Senatui expoſuimus. A Republica donatos dicimus, qui ab eius Senatu donum acceperunt. Huiuſmodi phraſes tam ſunt vſitatæ, vt mirum ſit à tam paucis in hoc loco obſeruatum fuiſſe. Summa eſt. Chriſtus non mutauit morem ſui temporis, nec in iudicijs aliquid mutauit: ſicut diſcipuli nullam mutationem aut nouationem ſuſpicari videntur. Quamobrem Synedrio dicere iuſſit, priuſquàm ad profanum magiſtratum iretur.

XLIX.

Cæterùm conſtat ex ſacris literis & hiſtorijs, Synedriùm illud legitimum fuiſſe magiſtratum: atque ius gladij tempore Chriſti adhuc retinuiſſe & exercuiſſe. Demonſtrant hoc primùm, quae in hiſtoria Paſsionis Chriſti leguntur. Deindè alia quoque teſtimonia. Emittit armatos ad comprehendendum Ieſum: Teſtes contrà eum examinat ſecundùm præceptum legis: vt videri volebat: Iubet Chriſtum coràm ſe iudicio ſiſti: Vinctum tradit Pilato, publicè prius à ſe condemnatum: Stephanum palàm condemnat, occidique iubet: Apoſtolos in carceres abduci publicos imperat: eoſdem caedi mandat, habito ſuper hac re conſilio publico: Paulo mandatum dat poteſtatemque ex alijs vrbibus pios Hieroſolymam vinctos pertrahendi, vt ibidem occiderentur: Act. 24. ipſimet Iudaei & iudices, ſiue τὸ συνέδριον explicatiſſimis verbis hoc affirmat per Tertullum Oratorem,

cùm,

cùm Paulum apud Felicem accuſantes ſic loquitur Tertullus, ὃν ϗ ἐκρατήσαμεν, ϗ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. Iuxtà noſtram legem, inquit, voluimus eum condemnare: niſi Lyſias eum (vt additur) nobis per vim eripuiſſet è noſtris manibus. Act. 23. ait Paulus ad Pontificem, túne ſedes vt ſecundùm præſcriptum legis me iudices, & contrà legis voluntatem me iubes percuti? Pòſt Act. 26. idem fatetur coràm Agrippâ Rege & Feſto, ſe multos ſanctos Hieroſolymis atque alibi carceribus incluſiſſe: poteſtate huius rei à ſacerdotum principibus accepta: ſe item ſententia & ſuffragio ſuo eos occidiſſe: per omnes quoque Synagogas cruciatibus & pœnis coëgiſſe ad blaſphemiam: deniq; ἐξουσίαν & ἐπιτροπὴν à principibus ſacerdotum accepiſſe ſimiliter in exteris vrbibus, & inter has Damaſci, pios tractandi. Sciebant, opinor, Agrippa & Feſtus vtrùm haec Synedrio liceret facere, an non liceret. Niſi hæc poteſtas penès ipſum fuiſſet, non abſoluiſſent Paulum ſuis ſententijs: vt mox faciunt. Quippè non minus fuiſſet Pauli peccatum contrà Cæſarem, quàm Phariſæorum. Non leuius enim peccat, qui illicita facit, permiſſu & iuſſu eorum, quorum non eſt iubere ac permittere, quàm qui talia iubent. At neutri accuſantur: ſed Paulus diſertè abſoluitur: tanquam nihil vinculis dignum admiſerit. Sed nec Pilatus dixiſſet Ioh. 18. tollite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum: ſi non habuiſſent hanc facultatem. Ergo cùm ſibi non licere aiunt interficere aliquem, intelligendum hoc eſt de die feſto, propter metum populi: vt Auguſtinus exponit: vel de mortis genere, quo Chriſtum affici optabant: vt Chryſoſtomus interpretatur. Huic ſententiæ verba Iohannis ſine medio conſequentia pulchrè conſonant. Facta hæc ſunt, inquit, vt adimpleretur, quod dixerat Ieſus, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Huc etiam ſpectat, quod 26. Math. Chriſtus ait, ſe alijs temporibus capi ab eis non potuiſſe, cùm in Templo ſubinde ſedens doceret: quia ſcripturam oportuerit adimpleri. Tum igitur cœperunt eum, cùm

propter inſtans feſtum, & populi metum. Math. 26. Marc. 14. occidere non poſſent. Quarè cùm viuentem ferre diutius nollent, nec occidere ipſis integrum eſſet, conſequens erat, vt Romanis traderetur: vt ſic euenirent omnia, quomodò Math. 20. diſcipulis prædixerat euentura: quod Ioh. primùm verba, deindè Auguſt. & Chryſoſtomus innuunt. Eodem illa quoque turbæ vociferatio pertinet, crucifige, crucifige eum Math. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 19.

L.

Liquet ex his, non eſſe verum, quod à nonnullis affirmatur, Synedrium poteſtatem gladij ſeu ius occidendi nullum habuiſſe: ac Stephanum ab eo per tumultum lapidibus obrutum fuiſſe. Poteſtatem habuiſſe, indiſſolubilibus argumentis probaui. Per tumultum non fuiſſe occiſum Stephanum, ex eo patet, quòd accuſatus eſt coràm conſeſſu: quòd teſtes auditi, quanquam falſi: quod extrà vrbem eductus: quòd ijdem teſtes lapides primi in eum iecerunt ſecundùm legis mandatum: vt ex depoſitione veſtium ad pedes Pauli perſpicuè intelligi poteſt. Idem hoc ex hiſtoria æquè dilucidè probatur. Permiſerunt Romani omnibus populis, nominatim autem Iudaeis, intrà & extrà Iudaeam habitantibus, in rebus ad religionem pertinentibus, ſuis vti legibus, ſuisque ritibus & moribus liberè viuere, teſte Ioſeph. lib. Antiq. 14. cap. 12. 16. & 17. iuxta diſtinctionem exemplarium Græcorum. Et in 12. quidem cap. Strabonem citat authorem de Cyrene vrbe ſcribentem, habuiſſe ibi principem, qui cauſas eorum audiret: Rempub. non aliter curaret, ac ſi perfectae reipub. princeps eſſet. Faciunt hûc etiam, quæ Act. 18. cap. de Gallione Corinthiorum præfecto legimus. Recitat idem auctor lib. 16. cap. 4. & 5. quomodò Herodes Iudaeis per Aſiam ab Agrippa impetrauerit, vt ſecundùm priuilegia à Romanis iam antè conceſſa viuere ipſis deinceps

inceps etiam liceret. Commemoro haec ideo, quòd Herodem Synedrium occidiſſe, poteſtatemque ei omnem eripuiſſe aliqui obijciunt: quaſi non fuerint alij in locum occiſorum ſubſtituti. Quomodò Herodes illis facultatem de rebus ad religionem pertinentibus iudicandi & decernendi ſecundùm legem ademiſſet Hieroſolymis, qui Aſiaticis eandem conſeruare & procurare ſtuduit? Deinde non ſub Herode vel Archelao docuit Chriſtus, ſed ſub Pilato. Sanè Iudæi ipſum quoque Pilatum coëgerunt ſigna militaria, quæ clam in vrbem curauerat importari, iterum ex vrbe tollere, ne contrà præceptum Dei imagines in vrbe ferrent. Seruarunt hanc ſibi poteſtatem ad excidium vſque vrbis, quod oratione Ioſephi, quam ad obſeſſos habuit, clariſſimè intelligitur. Romani, inquit, lib. de bello Iudaico 5. cap. 26. tributum petunt, quod maiores noſtri patribus eorum perſoluere ſoliti ſunt. Quod ſi impetrauerint, neque vrbem diripiunt, neque ſacra omnino tangunt. Concedunt autem vobis familias liberas & poſſeſſiones veſtras tenere: legesque ſacras ſaluas manere patiuntur. Eadem hæc poſt captam ferè vrbem ipſemet Titus Iudæis dixit lib. de bello Iud. 6. apud Ioſeph. cap. 34. Ergo ſiue ſacram ſiue Iudaicam hiſtoriam conſulamus, certo certius conſtat, Synedrium, cui Chriſtus iuſsit dicere, ius gladij ſiue necandi poteſtatem habuiſſe, præſertim eos, qui contrà religionem aliquid feciſſent. Nam in politicis rebus & cauſis iniuriarum, vbi lex nihil certi ſtatuiſſet, non ambigo, quin ad ſe Romani vel omnia vel certè pleraque rapuerint ſibique vſurpârint: vt ex hiſtoria facilè animaduertimus: & ex cap. 18. Act. illuſtri coniectura colligimus.

LI.

Non pugnat cum dictis, quòd ex Iudaeis aliqui Albino dicunt apud Ioſeph. lib. Antiq. 20. cap. 7. non

licuiſſe Pontifici Synedrium abſque permiſſione ſua conuocare. Etenim quid aliqui fecerint, hiſtoricè narrat: factum non laudat. Deindè non debuit tempore interregni, dum ſcilicet Feſto mortuo Albinus in itinere adhuc eſſet, antequàm nouus præſes poteſtatem ei confirmauiſſet, cogere iudicium ad rem tanti momenti agendam. Curauit enim Iacobum fratrem Domini, qui vulgò vocabatur Iuſtus, interfici: quòd, cùm charus eſſet omnibus, plurimi iniquiſſimè tulerunt. Fuerat etiam nuper creatus Pontifex, necdum à Romanorum praefecto confirmatus. Auidiſſimè eum arripuiſſe hanc interregni occaſionē oſtendit Euſebius 2. Eccleſ. hiſt. cap. 23. Sed quid hoc ad rem noſtram? An ideò Archelaus in Teſtamento ſui patris Herodis, Rex appellatus (idque conceſsione Cæſaris) Rex non fuit, quia nomen regis admittere, regiamque poteſtatem exercere nolnit, priuſquàm à Cæſare eſſet confirmatus? Idcóne Magiſtratus vrbis alicuius quæ principem habet, quales in Germania multae ſunt, Magiſtratus verus & legitimus non eſt, qnia mortuo principe ſuorum priuilegiorum confirmationem à ſucceſſore petere cogitur? Quòd enim Pontifex habuerit poteſtatem conuocandi iudices Synedrij, confirmatione prius accepta, ex eo liquet, quòd non dicunt Albino, hoc ei ſimpliciter non licuiſſe: ſed tantùm eum non debuiſſe inſcio Albino feciſſe.

LII.

Demonſtratum eſt nunc ſolidiſſimè, Dic Eccleſiae, non aliud ſignificare, quàm dic populi tui Magiſtratui (ſeu qui eiuſdem tecum ſit religionis) antequam apud profanum Magiſtratum cum fratre tuo litiges: vt Apoſt. Paulus in 1. ad Cor. 6. cap. vbi propter hanc cauſſam arbitros ex ſuo ordine eos iubet eligere, pulcherrimè exponit. Quis autem dubitat, hoc locum habere non poſſe, vbi magiſtratum Deus nobis largitur pium?

Equidem

Equidem Auguſtinus in 2.cap.lib.de fide & operibus,apertè ſatis indicat, ſe exiſtimauiſſe excommunicationem viſibilis gladij vicem ſupplere debuiſſe illo tempore, quo Eccleſia eo caruit. Quippe factum Moſis in tranſgreſſores gladio animaduertentis : & Pinehae adulteros occidentis praeſignificaſſe aut praefiguraſſe ſcribit malorum coercitionem per degradationem & excommunicationem: illo videlicet tempore, quo in Eccleſia viſibilis gladius fuerit ceſſaturus. Memini recentiores quoſdam ſcribere : ideò Iudaeos hunc morem obſeruaſſe excommunicandi (quod falſum eſſe indiſſolubilibus rationibus, argumentis, ac teſtimonijs probaui) quia gladius ipſis fuiſſet ereptus. Id ſi verum eſſet, ſequeretur locum ei non eſſe in Eccleſia, quæ ius gladij retinet:quemadmodùm neque iudices & arbitros nunc neceſſe habemus nobis creare praeter legitimos magiſtratus. Certo igitur certius eſt, Eccleſiam apud Math. nihil minùs ſignificare, quàm Senatum Eccleſiaſticum:qui poteſtatem obtineat à Sacramentis arcendi.

LIII.

Obijci duo adhûc nobis poſſunt: quomodò aliquis poſſit Eccleſiam non audire, ſi magiſtratus ſit, ac ius gladij poſſideat? Item, quomodò, quae deligando & ſoluendo dicuntur, cauſae aptentur? Ad prius eſt iam antè reſponſum: Iudaeos non habuiſſe tunc poteſtatem de quibuſuis rebus iudicandi: ſed pertinebant omnes propè controuerſiae, quae ad religionem non attinebant, ad Romanorum iudicia. Si ergo in talibus rebus quis Synedrij authoritatem negligeret, concedit ei, qui laeditur, Chriſtus, vt ius ſuum perſequatur apud Gentiles: ac ſi cum Gentili vel Publicanò diſceptandum ei foret. Adde, quòd multae tales cauſſae occurrant, quas Lex ſpeciatim non punit: aut nulla certa poena prohibet: quo tempore facilè contingit, vt reus verbis caſtigatus dimittatur. Quod ſi ergo nondum deſiſtat iniurius eſſe, poterit, qui ab eo offenditur, ius ſuum perſequi;

atque

atque apud Eccleſiam ſiue Magiſtratum inſtare, vt pœnas luat petulantiae ſuae. Etſi haec quoque reſponſio vera eſt, tamen videtur mihi prior, inſtituto Chriſti, temporibus, locis, ac reliquis circumſtantijs, magis conſentanea eſſe.

LIIII.

Ad alterum æquè facilis eſt reſponſio. Nam cum loquendi hîc modus & verba propè eadem hîc repetantur, quae 16. cap. Math. Chriſtus dixerat, neceſſarium prorſus eſt, vt ſi non idem omninò, ſimile tamen aliquid ſignificent. At ligare & ſoluere apud Math. 16. aliud nihil ſignificant, quàm Euangelium annunciare: quo, qui ei credit, à peccatis & morte ſolutus ſit. Proinde hîc quoque aliud non ſignificant, quàm orare fratrem, vt ab iniuria deſiſtat ac pietatem potius colat: propterea quòd hoc Deo ſit gratum: & contrà mandatum ipſius facientem puniturus ſit. Qui fratrem hoc modo ab inferenda iniuria dehortatur, vt ſimul ei voluntatem atque iram Dei proponat, is, ſi perſuaſerit, eum lucratus eſt, hoc eſt, ſoluit: ſi non perſuaſerit, manet ira Dei ſuper ipſo: quemadmodum ſuper illo manet vel non manet, qui auditae Euangelij praedicationi vel credit, vel non credit. Vt autem prompti & faciles ſimus ad ignoſcendū pœnitentibus, elegantiſſima illa parabola nobis perſuadere tentauit Chriſtus: ex qua propoſiti ipſius in hoc loco ratio facillimè perſpicitur.

LV.

Miror ſuprà modum, quomodò in praeſenti loco ligare & ſoluere aliqui exponant, pro arcere à Sacramentis, atque ad eadem admittere: cùm in totis Biblijs nuſquam reperiantur verba illa pro hac re poſita: nec Apoſtoli vnquàm oſtenderint vllo verbo aut ſigno, ſe ita Chriſti verba intellexiſſe. Exſtat Chriſti mandatum, vt ab illis, qui Euangelium nollent recipere, excuſſo priùs pedum puluere, exirent,

rent, Math. ac Luc. 10. quod etiam factum ſcimus, Act. 13. & 18. Vt autem verbo credentibus, & in Chriſtum baptizatis, Religionémque & doctrinam amplexantibus, quia non reſponderet vita doctrinae, Sacramenta negarent, nullo in loco vel ipſis mandatum, vel ab ipſis factum reperimus: vt abundè neruoſeque ſuprà monſtratum fuit. Hîc autem ſufficit monere, nunquam futurum, vt ex ſacris literis oſtendatur, ligare, pro eo poſitum eſſe, quod eſt, à Sacramentorum perceptione credentes arcere: aut ſoluere, idem ſignificare, quod eſt, propter flagitium à Sacramentis amotum, ad eadem iterùm admittere: & hoc modo veluti Eccleſiae iterum inſerere.

LVI.

Sic ergo firmè & verè probatum eſt, Chriſtum cap. 18. Math. non de excluſione à Sacramentis, ſed de priuatarum iniuriarum pia tranſactione compoſitionéque diſſerere. Viderunt idem hoc etiam alij: vt Auguſtinus in Sermon. 16. de verbis Domini ſuper Mathaeum. Et compilator ille Chryſoſtomi Theophilactus (quem nemo dubitat hanc ſententiam, vt alia ſua propè omnia, à Chryſoſtomo habuiſſe.) Inter recentiores Theologos plurima in huius capitis explanatione ſcribit D. Iohannes Brentius, noſtrae ſententiae admodùm conſentanea.

LVII.

Poſtulat nunc res, vt factum Apoſtoli Pauli in 1. Cor. 5. deſcriptum, ad excommunicationem hanc non pertinere demonſtrem. Primùm conſtat Apoſtolum Moſaicae legis obſeruantiſſimum fuiſſe: & contrà eam nihil feciſſe, vt ipſe de ſeipſo teſtatur Act. 25. Quinimò ex Act. cap. 18. & 21. apparet, cum cæremonias etiam legis quaſdam, vnâ cum caeteris Apoſtolis obſeruauiſſe: atq; ideò malè audiſſe

à Iu-

à Iudaeis, non quòd Gentes docuiſset legis obſeruationem non eſse neceſsariam, ſed quòd Iudæis hoc fuiſset conatus perſuadere: cùm omnes in Iudaea fideles nihilominus legem ſeruarent. Caeterùm quis neſcit Chriſtum legem Moſis de celebrando paſchate pro ea parte, qua iubet omnes circumciſos adeſſe, non mutauiſſe? Proinde, neque hunc, qui inceſtum commiſerat, neque alium quempiam, qui vellet inter Chriſtianos numerari, à cœna Domini arcuit. De Iudaeis certum eſt, vt qui non fuiſſent hoc paſſuri contra legem & inueteratum morem ſuum fieri: Gentiles autem quis credat deteriore fuiſſe hac in re conditione?

LVIII.

Si tradere Satanae aliud non fuiſſet, quàm interdictio Sacramentorum ad reſipiſcentiam vſquè, cur ſe tanto ſtudio, tamque exquiſitis verbis Paulus excuſauiſſet Corinthijs, & quaſi deprecatus eſset cap. 2. & 7. poſt. Epiſt? Deindè cur Corinthij fuiſsent tam magna triſtitia affecti, vt qui iam ſcirent hanc in Eccleſia rationem coercendi malos fuiſse, manere, exercerique debere? Potiùs propter exemplum ſibi datum, quod deinde ipſi ſequerentur, gaudere debuiſsent. Si aliud nihil fuit, quàm inuitatio ad pœnitentiam, ſalutaréque contrà damnationem remedium, cur triſtati, & non potius gauiſi fuerunt? Chriſtus aſserit angelos Dei ſuper vnius peccatoris conuerſione plus gaudere, quam ſuper *99.* iuſtis. Ex quo ſequitur, Corinthios non fuiſse ſpiritu Chriſti praeditos, ſi tantum ex eo conceperunt dolorem, quòd Apoſtolum id vnum & ſolum agere viderunt, vt errantem fratrem reuocaret in viam: & periclitantem ſeruaret. Quis non perſpicit aliud fuiſse, quod Apoſtolus moliebatur? Tertiò, quid opus erat Apoſtolum ſcribere οὐ μεταμέλομαι εἰ καὶ μετεμελόμην? aut quomodò huius eum facti quouiſmodo poenitere potuit, ſi vbique & in omnibus Eccleſijs obſeruari voluit? ac nihil aliud fuit, quàm remotio à Sacramentis ad tempus aliquod ſolum, ſiue ad reſipiſcentiam

ſcentiam vſque tantùm? Quartò, quid opus erat, vt tanta diligentia Corinthij apud Apoſtolum pro illo miſero intercederent, quem mox, vbi reſipuiſset, iterùm in ſocietatem ſuam recipiendum ſcirent? Porrò quod pro eo ſeriò rogarint ex his Apoſtoli verbis euidens eſt: cui condonatis vos, ego etiam condono: ſi quidem enim condonaui, cui condonaui, propter vos condonaui in conſpectu Chriſti. Quintò legimus cap.2. ſic ſe excuſantem, quod periculum facere voluerit obedientiæ ipſorum:& cap.7. quod ſic voluerit patefieri ſtudium eorum pro ipſo. Quomodò haec dixiſset, aut ſcripſiſset, niſi maius aliquid mandauiſset, quàm flagitioſum illum à Sacramentis repellere? Sextò, quo pacto conuenire verba hæc oſtendemus, ἐλυπήθητε γὰρ κατὰ θεὸν ἵνα ἐν μηδενὶ ζημιωθῆτε ἐξ ὑμῶν? Mulctam ſeu damnum, ſeu detrimentum ex ſua eos triſtitia nullum paſsos fuiſse, ait: quod moerore ſuo miſero & infælici illi veniam impetrauerint. Hoc ſi factum non fuiſset, damnum fuiſsent perpeſſi: nempè amiſiſſent illum. Si tantùm erat arcendus à Sacramentis donec reſipiſceret, cuius quaeſo rei damnum paſſuri fuiſsent? Septimò, nō loquitur ibi Paulus de cœna, ſed de tota Chriſtiana vita. Proindè non è cœna excludi, ſed è medio eum vult tolli: ne parùm fermenti totam corrumpat maſsam. Congruit hoc verbis Apoſtoli,& figurae fermenti: Excommunicatio neque verbis Apoſtoli, neque Moſis aptari facilè poteſt. Octauò notandum eſt, quod non ſcribit ſimpliciter, vt collecti eum in nomine domini, ſiue iuxtà mandatum Chriſti, Satanae tradant, aut à Sacramentis arceant: ſed ego, inquit, abſens corpore, ſpiritu autem praeſens, decreui in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, collectis vobis cum meo ſpiritu,& cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, hunc tradere Satanae &c. Manifeſtè indicans opus eſse ad hanc rem virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti: ideoque maius aliquid eſse, quàm ad tempus à Sacramentis remouere. Adde, quod ſe decreuiſse hoc facere ſcribit (etſi non ſine ipſis ſtatuerit facere: fortè quia aberat) non autem Eccleſiae praecipit, vt per ſe ſola hoc faciat: quaſi non

ſi non Eccleſiae, ſed Apoſtoli haec fuerit poteſtas: quae certè non ſunt oſcitanter praetereunda. Vltimò nuſquam legimus Apoſtolum vni aut pluribus mandauiſſe, vt ſe aut viuo aut mortuo aliquem Satanae traderent ad carnis interitum: vt qui ſciret hoc eſſe Apoſtolicę poteſtatis proprium, alijſque nullis conuenire. Nam vt ſanandi, ita etiam percutiendi facultatem habuerunt: vt ex 5. & 13. cap. Act. apparet. Hac de cauſa nullos ordinauiſſe leguntur Apoſtoli, qui hanc poteſtatem exercere iuberentur. Quocircà paſſim ſcribit Apoſtolus ſe cum authoritate venturum: aſperum & rigidum futurum: pro poteſtate ſibi à Deo tradita acturum: aut cum virga ſe venturum: peccantes ſibi per Epiſtolam notari praecipit: presbyteris hoc nullo in loco imperat: vt dubium non ſit, hanc poteſtatem Apoſtolis, non alijs conceſſam tunc fuiſſe. Hùc ſpectat, quod in 1. ad Tim. 1. de Hymenæo & Alexandro ſcribit, ſe (Non Eccleſiam: Non presbyteros: Non alios quoſdam) ipſos Satanae tradidiſſe.

LIX.

Ex circumſtantijs atque argumentis euidenter oſtendi, aliud fuiſſe Satanae tradere, quàm à Sacramentis arcere: quod nunc ex ipſis etiam verbis & proprietate naturáque ſermonis clariùs adhuc commonſtrabo. Primùm non dicit Apoſtolus, cur non interdixiſtis huic ſcelerato vſu cœnae? Sed hoc dixit, cur non luxiſtis, hoc eſt, cur non luctu & precibus veſtris à Deo petiuiſtis potiùs, vt hunc quacunque ratione tolleret è medio? Sic interpretatur hunc locum Auguſtinus lib. 3. contra Parmen. Sed luctum, inquit, vt tolleretur, id eſt, vt lugentium dolor ad Deum aſcenderet, & ipſe tolleret hoc opus de medio eorum, ſicut ipſe ſciret. Exponit eodem modo, quae de luctu idem Apoſtolus cap. 12. ſcripſit. Cum Auguſtino & veritate illi quoque faciunt, qui Apoſtolum alludere putant ad locum lib. 1. Reg. cap. 21. Ex quo loco conijcimus húnc apud priſcos Iudaeos morem fuiſſe obſeruatum, vt enormia ſce-

ſera per ieiunia, preces, luctumque publicum inueſtigarentur & punirentur inuenta ſecundùm leges. Quarè cum gladio careret Eccleſia, hortatus eos fuit, vt à Deo hoc impetrarent, vt è medio tolleretur: quod longè aliud fuit ab eo, quod nos vocamus, aliquem excommunicare. Praeterea, quo quaeſo authore idoneo monſtrabitur vnquàm, ἐξαίρειν ἐκ μέσου τινῶν, idem eſſe, quod à Sacramentis arcere? E medio ſublatus is dicitur duntaxat propriè, qui interficitur. Nam etſi qui in exilium agitur, profligatus è medio aliorum dici poſſit, nec vſitatè tamen, nec propriè hoc Graecis dicitur: aut ſaltem in Sacris literis poſitum non inuenitur. Quod ſi ex conſortio fidelium iuſſit extrudi, quid publico luctu opus fuit? Deindè fuiſset ad Gentiles ablegandus. At obſtat, quod additur, vt anima ſalua ſit ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ: quae extra Eccleſiam ſalua eſse non potuit. Si à Sacramentis duntaxat priuatoque commercio amotum dicas, non fuit è medio eorum ſublatus. Nullus enim, puto, vnquam monſtrabit, Apoſtolum eum iuſſiſse à ſolis Sacramentis & priuato conuictu ſocietatéque Chriſtianorum arceri. Proinde aſsuitur hoc Apoſtoli verbis: quod ipſe nunquam cogitauiſse poterit doceri. Sanè nullus, opinor in ſacris literis earúmque interpretibus antiquioribus verſatus dubitat, quin hanc ſententiam, adeóque verba haec Apoſtolus ex Moſis Deut. mutuatus fuerit. Ponitur autem à Moſe pro occiſione, pro re alia nulla, in citati libri cap. 17. 19. 21. 22. 24. In his omnibus locis eadem verba habentur, cùm 13. cap. pro ἐξαρεῖτε poſuiſset eodem ſenſu & mente ἀφανιεῖτε. Impoſsibile igitur eſt, vt è medio tollere, hoc loco ſignificet, excommunicare: vt nunc intelligitur Excommunicatio. Tertiò videtur ex textu probari illum miſerum tunc non perſeuerauiſse in illo ſcelere. Nàm dicit ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας: Et τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον: quae feciſse eum probant, at facere non docent. Sic ergo infligere ei poenam voluiſse videtur propter patratum facinus, quomodò Deus fieri iuſſit, & Magiſtratus bonus facere ſolet. Sanè cùm dixit, vt anima ſit ſalua, ſciuiſse videtur,

detur, cum pœnituiſse facti. Quomodò enim de eo, de cuius animo erga ſcelus tantum nondum conſtaret, hoc ſcribere potuiſset? Quartò ait ſe decreuiſse παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σαταναῖ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Ἰησοῦ. An quid verbum παραδίδωμι ſignificet necdum ſcitur? Quis vnquam vel apud prophanum ſcriptorē, vel in ſacris literis hoc verbum ſic poſitum reperit, vt hîc ponitur, vt non idem ſignificaret, ac concedere, permittere, ſiuè dedere? Praecedit perſona dans: ſequitur perſona, cui datur: & quod datur, etiam perſona eſt: poſtremò adijcitur hoc quoque, cur & in quem finem detur. Sermo eſt talis, ac ſi ego dicerem, me filium tradere praeceptori, vel ad inſtitutionem, vel ad caſtigationem. Quis hominum dubitabit ſic loquentem, filium ſuum praeceptoris poteſtati permittere, vt eum vel inſtituat, vel caſtiget? Qui exempla videre cupit inſpiciat cap. 1. ad Timoth. 1. Act. 27. 28. Math. 5. & 18. 27. Marc. 13. Ioan. 19. Simillimum eſt, quod Math. 24. habetur. παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν: Et Mar. 15. παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον. Item 2. Pet. 2. de malis loquens angelis, ait, παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. In lib. Iob cap. 2. alloquitur Deus Satanam his verbis: ἰδοὺ παραδίδωμί σοι αὐτόν: μόνον τὴν ψυχὴν αὐτοῦ διαφύλαξον. An non hi loci docent, tradendos eſſe, vt affligantur, occidantur, condemnentur? Summa eſt, in ſempiternum nullus oſtendet, talem phraſim poſitam eſſe pro eo, quod eſt, à Sacramētis arcere: niſi interitus carnis & interdictio Sacramentorū ſint res eadem. Quintò impoſſibile eſt, vt nomen hoc, ὄλεθρος, in nouo teſtamento oſtendatur poſitum pro exſtinctione cupiditatum carnis. Etenim vbicunque reperitur, pro morte reperitur vel animae vel corporis ſcriptum: ſiue nomen carnis additum ſit, ſiue non ſit. Poſſem etiam dicere, nullum authorem Graecū exſtare, qui ſic vſurparit, quomodo aliquos exponere indicaui: ſed de ſacris nobis ſermo eſt. Vſus eo eſt Apoſtolus in 1. ad Theſſ. cap. 5. & in 2. Epiſtola ad eoſdē cap. 1. deniq; in 1. ad Tim. vltimo. Nomen verbale, vt ſic vocē, ὀλοθρευτῆ in 1. Cor. 10. & participium ὀλοθρεύων in 11. ca. ad Hebræos ſcriptum legitur (quemadmodum cōpoſitū ἐξολοθρευθήσεται ex Deuter.

Deuter. ſumptum 3. Act. ponitur) & paſſim interitum, ſeu mortem, omnia ſignificant. ἐξολοτρεύω apud ſeptuaginta Interpretes frequenter occurrit: ac paſsim ferè Pagninus cõuertit, excindẽdi verbo. Hoc certum eſt, mortem vbique ipſis ſignificare. Scio apud Apoſtolum θανατόω ad Ro. 8. & νεκρόω ad Col. 13. demùm ςαυρόω ad Gal. 5. &. 6. pro occiſione carnis affectuum poni: at ὄλεθρον aut ὀλοθρεύω nec apud ſacros nec profanos auctores ſic reperitur vſurpatum. Quinimò neque hoc nomen θάνατος in nouo Teſtamento in hoc ſignificato me legiſſe memini. Friuolum ergo eſt, quod dicitur, Paulum affectus carnis hîc diſtinguere contrà ſpiritum: quum mortem carnis ſeu corporis opponat ſaluti animae ſpiritúſue: vt verborum natiua ſignificatio, Pauli inſtitutum, orationis ſeries, circumſtantiae, & verbum παραδοῦναι ſic probant, vt veritatis amantes amplius nihil deſiderent. Sextò, declarant idem haec verba, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Ieſu, hoc eſt, in die Iudicij. Equidem clarè demonſtrant, ipſum de miſero illo, vt de morituro loqui. Septimò, & vltimò probat nomen τῆς ἐπιτιμίας non fuiſſe illum à ſacramentis reiectum. Quippe in ſua natiua ſignificatione poſitum videtur, ſcilicet pro increpatione, correctione, comminatione, obiurgatione, vt etiam verterunt interpretes: non autem pro poena ſeu mulcta. Ratio duplex praetereà eſt. Prima, quòd in ſacris literis nuſquam pro poena ponitur ſacramentorum interdictio: altera quòd ipſa verba ſatis docent, pro obiurgatione poni: qua eum non vnus aliquis, ſed plurimi corripuerunt. Etenim Paulus in 12. Epiſt. cap. 3. ſcribit ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη, ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων. Abſoluit eum à ſola comminatione, quae ab Eccleſia ſiue à pluribus fuerat profecta, fore vt Diabolo traderetur excarnificandus: hanc ergo ſolam adhuc expertus fuerat. Non enim ex parte ſolummodò abſoluit: ſed omnino. Dum ergo obiurgationem & comminationem ſufficere ait, plura eum perpeſſum non fuiſſe ſimul indicat. Verbum ἐπιτιμᾷν legimus Mat. 16. 17. 19. 20. & apud alios Euangeliſtas, apud Paulum in 2. ad Timoth. 4. ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον. In quibus omnibus locis pro increpatione ſemper, pro poena nunquam poſitum eſt.

LX.

Verùm hic quæri poteſt, ſi ἐπιτιμίαν duntaxat perſenſit, quo pacto dicetur Satanæ ad excruciandum interficiendumq́ue traditus fuiſſe? Duplex eſt reſponſio. Veteres aliqui dicunt, eum traditum quidem fuiſſe, vt vel morbo vel alia ratione torqueret, paulatímque eum ſic conficeret: liberatum autem ab Apoſtolo iterum fuiſſe, priuſquam res eo vſque perduceretur. Quæ reſponſio ſi vera eſt, ſignificare potuit ἐπιτιμία pœnam. Etſi verò tolerari eam poſſe non inficior, aliam tamen verbis Apoſtoli non magis conuenientem adferam. Non ſtatuerat D. Paulus hunc hominem tradere Satanae per ſe ſolum, ſed voluit hoc fieri congregata ad eam rem tota Eccleſia. Iam cùm Eccleſia tanta infelicem illum mœſtitia affici cerneret, vt moerore tantùm non abſorberetur, diſtulit hanc rem, dum tentaret Apoſtoli mentem, an veniam ei poſset impetrare. Interim comminata eſt, ſe facturam officium, ſi nihil impetrauiſſet. Sic ille miſer multis menſibus afflictus fuit: donec Apoſtolum condonauiſse poenam cognouit. Sic ferè fuiſſe rem geſtam ex poſteriore Epiſtola videtur apertè ſatis colligi poſse.

LXI.

Ex omnibus iam dictis, & alijs quæ adduci poterunt, ſic eſt apertè ſolidéque demonſtratum, hanc Satanae traditionem longè aliud fuiſſe ab eo, quod hodie appellant excommunicare, ſiue à Sacramentis depellere, vt negari à nullo veritatis amante ac intelligente poſsit. Ex veteribus paulò ſupra dixi aliquos ita hunc locum expoſuiſse: inter quos Auguſtinus fuit, cuius teſtimonium antè produxi. Extat huius viri aliud praeterea teſtimonium in lib. 1. De verbis Domini in monte. Ante hunc Athanaſius ſic interpretatus eſt: & poſt hunc Chryſoſtomus: ac demum huius Compilator Theophilactus.

LXII.

Iam & alios locos, quos pro ſe adducunt, qui à nobis diſſentiunt, inſpiciamus, breuiter tamen. In Apoſtoli Pauli ſen-

tentia

tentia ad Timoth. qua presbyteros in doctrina & verbo laborantes duplici honore dignos præ alijs eſſe ait, roboris aliquid ac firmamenti ponunt. Putant enim ex hoc loco probari, aliquos fuiſſe præsbyteros, qui non eſſent docendo occupati: ſed his aliud munus tribuunt: nempe cenſendi mores, peccatores obſeruandi, monendi pertinaces, compresbyteris ſuis, hoc eſt, Eccleſiae indicandi, & cum his excommunicandi illos, qui Eccleſiam non audierint.

LXIII.

Nos verò ex ſcriptis Apoſtolorum Petri & Pauli liquere putamus, miniſtrum, Epiſcopum, & presbyterum, (ſi hoc nomine officium & munus, non ætas, ſignificetur) eundem fuiſse tempore Apoſtolorum. Proinde nullus tunc fuit preſbyter, qui non doceret etiam: niſi fortè hoc nomine illos etiam comprehendi quis velit, qui in 1. Cor. 6. Iudices & Arbitri litium cauſarumque conſtituuntur. At de his in præſentia nobis ſermo non eſt, cum officium eorum longè aliud fuerit. Noſtram ſententiam, quam veram eſſe ſatis conſtat, confirmant Hieronymus in 1. cap. Epiſt. ad Titum, & Ambroſius: niſi quòd hic primum ex presbyterorum ordine ſcribit Epiſcopum fuiſſe nominatum. Ergo talis eſt orationis Paulinæ forma, ac ſi dicerem: Ego omnes miniſtros & paſtores amo, maximè verò illos, qui indefeſſo ſtudio intentiſsimaque cura oues ſuæ fidei concreditas paſcunt: Omnes ſtudioſos diligo, eos inprimis, qui dies ac noctes ſtudent. Cum ſic loquor, non id dico, aliquos paſtores eſſe qui non paſcant, aut ſtudioſos, qui non ſtudiant: ſed alios alijs eſſe magis ſedulos, neque munere ſuo diligentiores affirmo. Hanc eſſe genuinam mentis ac verborum Apoſtoli interpretationem, probant primùm quidem verba mox ſequentia, de mercede. Non enim veriſimile eſt, idem fuiſſe vllo tempore conſtitutum in Eccleſia præmium Miniſtris, & non docentibus presbyteris. Etenim illi duplex, hi vnum & ſimplex munus obiuiſſent: ac nihilominus dicit Apoſtolus vtroſque duplici honore dignos eſſe.

Deinde producit Apoſtolus teſtimonium de boue triturãte: quo alibi miniſtris verbi ſuſtentationem deberi oſtendit. Poſtremò confirmat participium κοπιῶντες, quo hîc vtitur. Etenim κοπιάω vel κοπιάζω non tantum ſignificat operor, ſed operando ſeu laborando defatigor: ſiue magno ſtudio, cura, labore, aliquid ago. Hinc Graeci κόπον vocant, quod Latini laſſitudinem nominant. Sicut differunt ἔργον, κόπος, πόνος: ſic etiam differunt ἐργάζεσθαι, κοπιᾶν vel κοπιάζειν, & πονεῖν. Frequẽter occurrit hoc verbum in nouo Teſtamento, ſemperque ſedulitatem, diligentiam, & defatigationem conſignificat. Mat. 11. Venite ad me omnes. & Luc. 5. tota nocte. Ioh. 4. Erat autem Ieſus. In prima Cor. 4. Colaphis cædimur, & Ephe. 4. Qui furabatur, & in 1. Theſ. 5. Rogamus autem vos fratres εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους & hic locus egregiè praeclareque alterum illum in 5. cap. ad Tim. in cuius expoſitione verſamur, declarat. Reperitur præterea ad Tim. 4. & 1. ad Cor. 15. & alibi.

LXIIII.

Chriſtus, inquiunt inſuper, vetuit margaritas abijcere porcis: & ſancta dare canibus. Reſpondeo, Chriſtum de illis loqui, qui margaritas contemnunt, ac pedibus calcant: & conuerſi nos laniant: hoc eſt, de Euangelij hoſtibus: de quibus nos nequaquam agimus. Loquimur vtique nõn de alijs, quàm Chriſtianis in doctrina rectè inſtitutis, eamque approbantibus, & ſacramentis eiſdem cum caeteris participare deſiderantibus, tametſi non ſic, vt eos decebat, vixerint. Praeterea loquitur hîc Chriſtus, non de ſacramentis, ſed de doctrina Euangelij canibus & porcis, hoc eſt, nolentibus & conculcantibus non proponenda. (Hûc etiam non incommodè refertur parabola de margarita. Mat. 13. Vbi regnum coelorum ſimile facit Chriſtus mercatori precioſam margaritam ementi.) Quocircà nullo modo ad praeſens noſtrum inſtitutum facit.

LXV.

Quod deinde aiunt D. Paulum Timotheo præcipere, vt pec-

peccantes corãm omnibus arguat,non inficiamur: ſed ad cauſam noſtram pertinere negamus. Nolo iam alia adferre multa,quae id probent, ſed vnum hoc dicam, nullum hominem probaturum vnquam, in conſpectu aut praeſentia Eccleſiae aliquem corripere vel arguere, idem eſſe, quod à ſacramentis arcere. Si eadem eſſe non demonſtrabis, fruſtrà obijcies nobis. Quis Apoſtolum hîc de interdictione ſacramentorum cogitauiſſe docebit? Non agit etiam de peccatis publicè ſiue palàm perpetratis: ſed peccantes, inquit, id eſt, in peccando perſeuerantes, in omnium conſpectu argue, quò & is qui peccauit, & cum ipſo caeteri timeant peccatáque fugiant. Non hîc diſcrimen ponitur leuium & grauium peccatorum: multo minus publicorum & occultorum,ſiue omninò, ſiue ex parte publica dicas. Obiectio, vt ſemel dicam, pluſquàm plumbea eſt: & inſtar cerae ad ignem veritatis diffluit, inque fumum abit. Quinimò verba Pauli oppugnant excommunicationem, dum peccantem coràm alijs iubet reprehendi: & non iubet excommunicari. Addit vt caeteri timeant, quaſi diceret, ſi nollet ille reſipiſcere, ſaltem alij meliores hinc efficientur. Significat hoc loco vox, peccantem, non illum, qui iam deſijt peccare: ſed in peccando perſeuerantem: & poſt admonitionem non reſipiſcentem. Hunc,inquam, ἁμαρτάνοντα coram alijs obiurgare & increpare imperat: excommunicari non mandat.

LXVI.

Apoſtolus, inquiunt, hactenùs iubet flagitioſos vitari, vt ne communem quidem cibum nos cum eis capere permittat: multò minùs voluit nos Coenam Dominicam cum eijſdem concelebrare. Nego connexum hoc. Etenim plurimùm omninò differunt priuatae familiaritatis prohibitio, & ſacramentorum negatio: nec qui illam vetat, haec etiam negat. Illa poena quaedam eſt politica, haec ſacra eſt. Illa praecepta nobis eſt, haec mandata non eſt. Illius & finis & cauſſa à D. Paulo expoſita eſt, huius neque finem neque cauſſam reperimus expreſſam: imò neque ipſa res in ſacris literis imperata

vel nominata etiam inuenitur. Ac quòd altera ſine altera fuerit eſſéque poſsit, Phariſaei ſuo facto probarunt: qui, vt caeteris volebant videri ſanctiores, ita cum Publicanis vitae commercium nullum habebant. (An idem omnes alij fecerint, nunc me legiſſe non recordor.) At à Sacrificijs, templo, paſchate, alijſque Sacramentis nullus in aeternum oſtendet eoſdem excluſos fuiſſe: ſiquidem circumciſi eſſent, nec à Iudaiſmo defeciſsent. Hodie quoque multis in locis à conuictu aliorum arcentur quidam mali feriati, quibus tamen ideò Sacramentis nemo interdicit. Ex quo illud etiam perſpicitur, politicam potiùs eſſe poenam priuati conuictus negationem, quàm Eccleſiaſticam: nec haberi poſse pro traditione Satanae, quam aliqui putant Excommunicationem eſse. Iubet Apoſtolus bonis, vt malorum ſocietatem fugiant, quo pudefacti reſipiſcant: non interdicit malis bonorum conuictu, ſi qui eos admittere velint ad ſuam familiaritatem. In conuictu priuato confabulantur homines de quibuſuis rebus: nec is tantum non corrigitur, qui peccauit, ſi poſt peccatum aequè charum ſe omnibus eſſe putet; verumetiam caeteri faciliùs corrumpuntur. Quod ſi quis ſe vitari ac fugi videat, non poteſt non cogitare cur id fiat: ac de meliore vita inſtituenda conſilium capere, ne inuiſus ſit, quibus anteà erat gratus. Proinde ſicut priuati commercij negatio nos à vitijs & impuritate abſterret: ita familiaris conuictus eadem in nobis alit ac fouet. Longè diuerſiſsima eſt ratio perceptionis & negationis Sacramentorum. Etenim frequens horum vſurpatio nequaquam ſic alit & confirmat vitia, vt priuata familiaritas. Nam in templis, vbi ea adminiſtrantur, nō de priuatis aut vanis rebus agitur, ſed verbum Domini proponitur. Ibi cum audiunt homines Chriſtum pro ſe mortuum eſſe, ac pro eo beneficio publicam à nobis gratiarum actionem ſibi poſtulare, nec dignum eſſe conuiuam, qui ſe non rectè explorârit, ſed iudicium ſibi comedere omnes, quicunque indignè ſe inter conuiuas ingerant, omninò coguntur, qui accedere ad menſam Domini apud ſe decernunt, cogitare, quid ibi fiat, quid Deus velit, & quomodo vitam ſic deinceps inſtituant, vt ea Deo placere poſsit: qualiſqualis antè vnuſquiſque fuerit.

Hoc

Hoc inuitamento qui priuatur, ſemper deterior, nullo modo melior, redditur: cuius rei cauſſa tamen, Deus tot ſacrificia, cæremonias, oblationes, inſtituiſſe imperauiſſeque videtur. Sanè Apoſtolus nuſquam iuſsit illos tales, quibuſcum familiariter viuere bonis non permittitur, à Sacramentis arcere. Et cum alibi per epiſtolam ſibi illiuſmodi homines indicari præcipit, ſenioribus non imponit hoc, vt excommunicent eos, ſiue à Sacramentis arceant. Quæ omnia manifeſtiſsimè probant, plurimùm illos falli, qui Excommunicationem hîc ab Apoſtolo vel approbatam vel ſignificatam opinantur.

LXVII.

Attamen Eccleſiam non decet malorum communione pollui, aiunt: idcircò neceſſe eſt, vt à bonis indiſsimulanter mali ſeparentur. Ego ſic reſpondeo, malos non poſſe bonos inquinare in vſu cæremoniarum à Deo inſtitutarum: quantiſper mores ingeniumque eorum non ſequuntur. Etenim neque Prophetæ, neque ſancti Reges ac Iudices, neque Ioannes Baptiſta, neque Chriſtus ipſe, neque ipſius deinde Apoſtoli contaminati ſunt, cùm in eodem templo cum deploratiſsimae vitae hominibus eiſdem adſtarent ſacrificijs, eademque cum ipſis ſacramenta vſurparent. Non maculauit Chriſtum Viperarum illa progenies, cum à Ioanne eodem cum ipſis Baptiſmate tingeretur. Non inquinauit vel Chriſtum & Apoſtolos, vel cœnam vltimam, ſua præſentia Iudas: quamuis & fur eſſet, ac de Chriſto tradendo cogitaret, pecuniàmque accepiſset. Apoſtolus Paulus non iubet vt in celebratione vſurpationeque ſacramentorum alius alium examinemus, & num aliquis adſit, qui nos foedare poſsit, circumſpiciamus: ſed hoc mandat, vt vnuſquiſque, non alios, ſed ſeipſum exploret.

LXVIII.

Probatum à me eſt huçuſque efficaciter & verè, nullum

lum circumciſum ante Chriſtum à Caeremonijs & ſacramentis à Deo per Moſen inſtitutis, propter peccata morum & vitae prohibitum fuiſſe: ac ne licuiſſe quidem hoc alicui facere, ſimul eſt oſtenſum. Monſtratum deinde eſt rationibus & ſacrarum literarum euidentibus teſtimonijs, neque Chriſtum, neque Apoſtolos aliud vel docuiſſe vel feciſſe. Inſuper hoc etiam docui, quae aliter ſentientes pro ſe adferant, patrocinari eorum ſententiae non poſſe. Quocirca nihil impedire nunc amplius video, quo minus rectè veréque concludam, Excommunicationem hanc, quae Chriſtianos propter ſolam vitae impuritatem à ſacramentis arcet, praeceptam à Deo non eſſe: ſed ab hominibus inuentam & excogitatam. Quippe tantum abeſt, vt ea in ſacris literis fundata ſit, vt potius prohibita ex eis doceri poſsit.

LXIX.

Ergóne damnas, inquiat aliquis, tót ſanctos Epiſcopos: qui mox poſt Apoſtolorum tempora coeperunt facinoroſos excommunicare? Reſpondeo, aliud eſſe dogma impugnare, & aliud hominem. Complures aetate noſtra viri docti & pij veterum errores catholicos, vt ſic vocem, expenderunt & confutarunt: Limbum patrum apud Inferos: Ignem purgatorium: Diuorum interceſsionem: Exorciſmum in Baptiſmo: caelibatum ſacerdotum: Vnctionem in Baptiſmo & morte: orationes pro defunctis: & in praeſente cauſſa ſatiſfactiones: quorum neminem tamen accuſatum memini, quod propterea antiquos damnauiſſet. Si hanc excommunicationem vt legem à Deo promulgatam Eccleſijs obtrudi voluerunt, non laudo: tametſi interim ſtudium & voluntatem eorum plurimùm laudem ac probem. Studuerant enim hoc pacto, cum alia eis ratio commodior nulla occurreret, petulantiam hominum malorum coercere. Plerique etiam, vt fieri hodie quoque videmus, publicum illum receptúmque ab omnibus morem ſecuti ſunt: nec vnquam in mentem eis venit inquirere, vtrum conſentanea res ſcripturis eſſet.

LXX.

De origine huius excommunicationis certi nihil adferre nunc poſſum, niſi quod paulo ante bis centeſimū Chriſti annum tale quid primum factum tentatúmue comperio. Per annos plures centum & 50. nullum à Sacramentorum participatione amotum reperio propter vitam impurè actam. Qui in Patrum lectione & hiſtoria exercitati ſūt, certiora fortaſſe indicare poterunt. Qui attentè legere volent, quae Socrat. lib. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 19. ſcripta reliquit, circa Nouati tempora hanc Excommunicandi conſuetudinem in Eccleſiam introductam non grauatè ſibi perſuadere patientur, puto. Sozom. tamen lib. 7. cap. 16. aliam huius inſtituti cauſſam comminiſcitur. Sed & Victorem Romanum Epiſcopum circa annum Dom. 200. legimus Coenae vſum interdixiſſe iniurias condonare nolentibus. Ante hoc tempus ſolis haereticis, & à Religione exorbitantibus communionem negatam obſeruaui. Sed vtut hoc habeat, illud certè ſatis conſtat, ideo in Eccleſiam inuectam fuiſſe excommunicationem, vt in ea eſſet aliqua vitiorum coercitio & poena. Deinde cum iam gladium obtineret Eccleſia, id eſt, cum Magiſtratus fuiſſent facti Chriſtiani, manſit nihilominus haec poteſtas penès Epiſcopos: partim quia ordinatio diuina credebatur: partim quia aegrè gladium hunc ſpiritualem (propter quem timebantur à ſummis Regibus) deponebāt. Facilè namq; alijs perſuadebant, quod facilius ac libentius ipſi credebant, ſcilicet Chriſtum huius rei auctorem eſſe. Opinionem confirmauit ſuperſtitio, ſalutem Sacramentis adſcribens. Quippe ſcriptum creditumq; fuit, quoſdam mori non potuiſſe, priuſquam Coenae participes facti fuiſſent. Itaq; vel propter hunc errorem valdè metuerunt homines Excommunicationem: vel ab Excommunicatione natus eſt hic error. Facilè namq; crediderunt imperitiores in Sacramentorum vſurpatione vitam, in negatione autem mortem eſſe poſitam: quando malos horū negatione, vt extrema

ſum-

ſummaq; pœna plecti viderunt.

LXXI.

Caeterùm adminiſtratores, quantùm coniectura licet conſequi, initio videntur fuiſſe Seniores illi, de quibus in 1. Cor. 6. legimus (quiq; vicem gerebant in Eccleſia Magiſtratus) vnà cum miniſtris. Tota deinde poteſtas hæc penes Epiſcopos manſit: qui cauſas omnes cognoſcebant: lites componebant: ius dicebant: ac huiuſmodi omnia adminiſtrabant: vt ex Auguſtino de his laboribus conquerente, & illius temporis hiſtoria perſpicimus. Ambroſius certè affirmat, tunc in Eccleſia Seniores illos, ſine quibus in Eccleſijs nihil fieri ſolitum eſſet, locum habuiſſe, cùm Epiſcopis adhuc carerent. Ex Apoſtolo autem liquet, eos præeſſe ſuo muneri debuiſſe, quantiſper ſub impio Magiſtratu Eccleſia premeretur. Ex quo illud etiam intelligitur, ſicut ſub pio magiſtratu ceſſauit eorum munus, ita ſub eodem excommunicationem quoq; ceſſare debuiſſe: etiamſi eam illi prius exercuiſſent. Notare interim oportet, hos Seniores loco Magiſtratus fuiſſe, & res politicas tractauiſſe: non autem Senatum Eccleſiaſticum, (quem hodie diſcriminant à politico) fuiſſe. Apertè enim dicitur eos debuiſſe tractare lites, & res ad victum & vitæ vſum pertinentes.

LXXII.

Fructus quos Eccleſiæ peperit, vix multis libris explicentur: verſibus certè paucis non poſſunt comprehendi. Primum hoc perfecit, vt Sacramentis ſalutem homines adſcribere cęperint. Sic enim argumentabantur: Negatio Sacramentorum adfert interitum: Ergo eorundem perceptio vitam largitur. De eo quod antecedit ambigere non poterant, dum maxima pœna illos affici audiebant, adeóq; Satanę tradi putabant, quibuſcunq; negata fuiſſent. Hinc aliqui non potuiſſe mori crediti ſūt abſq; cœnę participatione: vt paulò ſuprà dixi. (Auxerunt errorem, magnæ, multæ, longæ

gæ illæ ſatisfactiones & caeremoniæ. Item illud inprimis, quòd duntaxat agentibus animam permiſerunt vſum Coenę: vt ne ſine cibo animę neceſsario hinc abirent. Quod ſi non contigiſset, damnatus putabatur, cui hoc accidiſſet. Quaſi verò Deus ex animo pœnitentibus non remittat peccata vitámq; reddat, niſi Seniores illi Coena Dominica dignum iudicauerint. Quid poteſt hoc errore horribilius excogitari? Deinde hoc etiam perfecit, vt cuncti ferè crediderint in poteſtate hominis eſſe coelum aperire & claudere, cui cui libuiſſet. Sic Theodoſius Iunior prandere noluit, quia petenti Monacho negauiſset quod petierat, eámq; ob rem ab eodem fuiſset excommunicatus.

Quanquàm vero Epiſcopus vrbis Conſtantinopolitanæ ei diceret, inualidam eſse talem excluſionem, acquieſcere tamen noluit, priuſquàm ille tandem eum abſoluiſset, qui eum ligauerat. Sic ſenior ab Ambroſio coactus eſt per 8. menſes abſtinere templo & concionibus. Peccauerat ille quidem, at multò leuius Ambroſio: id quod ex hiſtoria Nicephori, & Chron. D. Philippi Melanth. Vnuſquiſq; non deſtitutus iudicio cognoſcere poterit. Hac ratione perfectũ deniq; eſt, vt Romanus pontifex ſibi totum ſubegerit Occidentem: ac Principes, Reges, Imperatores ſuę coegerit libidini inſeruire. Et propter excõmunicatos Imperatores & reges aliquot centena millia hominum trucidata ſunt in Imperio Germanico. Religionẽ inſuper pro arbitrio ſuo mutauit & conſpurcauit: dum huius fulminis metu nemo contrà eius ſtatuta & leges hiſcere auſus eſt. Et ſanè qui rectè volet rem expẽdere, nihil aliud Deum illum fortitudinum apud Danielẽ ſignificaſse comperit, quàm Excõmunicationem: ſiue à Sacris, pręſertim verò à Coenæ Dominicę vſu prohibitionẽ. Hæc enim Excõmunicatio verè Deus fuit, & hodiè quoq; eſt, fortitudinũ: quo Pont. Rom. ſibi omnia ſubiecit: atq; alij nunc ſibi ſimiliter ſubijcere imperia quorũlibet ſtudent. Sed ſpero agnitũ fore falſum hunc Deũ minúſq; deinceps Eccleſiæ nociturũ. Poſtremò rẽ eo perduxit, vt pleriq; omnes crederent, quos æterna vita iudicauiſset indignos,

illos

illos diuina gratia excidiſſe: & contra quoſcunq; ſaluos eſſe cuperet, ſaluos omnino fore. An ſperamus noſtrae ætatis homines meliores aut continentiores eſſe antiquis? Fallitur qui credit: & nec ſcripturas benè examinauit, nec vſum rerum aliquem habet.

LXXIII.

Non video cur hodie non debeat Magiſtratus Chriſtianus idem facere, quod in Repub. Iudaeorum facere à Deo iuſſus eſt. An putamus nos Reipub. & Eccleſię formam meliorem conſtituere poſſe? In 4. cap. Deut. legimus propter iudicia & ſtatuta, quae populo Iſraelitico Deus dederit, omnes gentes admiraturas & praedicaturas ſapientiam & intelligentiam eorum. At illi caruerunt hac Excõmunicatione: ac poteſtas coercendi ſpurcos & facinoroſos penes Magiſtratum fuit: cuius erat non modo hos ex praeſcripto legis Dei punire, verumetiam religionem omnẽ externam conſtituere. Quippe non Aaron, ſed Moſes hoc fecit: Deo ſic iubente. Quam deinde poteſtatem ad Ioſuam, non ad Eleazarum tranſlatam ſcimus: Ioſuae praecipit Deus, nõn Eleazaro, vt ſecundò curaret Iſraelitas circumcidi: nec iuſſit excipere eum quenquam: tametſi plurimi inter eos eſſent peſſimi. Idem mox Paſcha quoq; iuſſit celebrari, ac Iordanum tranſijſſent: nec legimus eum aliquem repuliſſe propter vitam non ſatis piè honeſtéq; actam. Ad huius imperium arca Dei portabatur, & ad religionem pertinentia fiebant: Vt ex lib. toto Ioſuae manifeſtum eſt. Samuel & Heli cum vtrumq; munus adminiſtrarent, vt ſacerdotes offerebant, vt iudices Rempub. pariter cùm Religione ordinabant. Et veteris quidem Teſtamenti ſummis ſacerdotibus licuit etiã politiam gubernare: quòd Chriſti Regis & Sacerdotis typum gererent: noſtris autem dictum eſt, Vos autem non ſic. Vide 1. Pet. 5. quod hûc etiam pertinet.

LXXIIII.

Ad reges peruentum vbi fuerit, æquè manifeſta res eſt. De Dauide nullus dubitat: quem omnia miniſteria & officia diſpoſuiſſe conſtat. Legat qui vult 1. Paralip. à 22. cap. vſq; ad 27. Templum deinde non ædificauit ſolum, ſed inaugurauit etiam Rex Salomon: non ſacerdos. Hûc illuſtris illa de Ioſaphato hiſtoria ex 19. cap. lib. paral. 2. pertinet: quę diligenter expenſa pręclarè cauſſam hanc illuſtrat: necnon Regis ſanctiſſimi Ezechiae: denique totum vetus Teſtamentum. Proinde ſi Reſpub. & Eccleſia illa ſapientiſſimè fuit fundata, ordinata, inſtituta, non poterit non ea laudari, quae quantum circumſtantiae, ac res pręſentes patiuntur, proximè ad illius formam accedit. Vbicunque igitur magiſtratus eſt pius & Chriſtianus, ibi alio nullo eſt opus, qui alio nomine ac titulo vel gubernet vel puniat: quaſi nihil à profano magiſtratu pius differet. Omnium reuera nocentiſſimus error eſt (inquit D. Wolfgangus Muſculus in locis ſuis communibus de Magiſtratu: ex quo proximè dicta tranſcripſi) quod plerique de Magiſtratu Chriſtiano haud aliter ſentiunt, quàm de dominatu profano: cuius poteſtas tantum in profanis ſit agnoſcenda. Ergo ſi non modo poteſtatem obtinuit pius magiſtratus Religionem ex praecepto Sacrarum literarum conſtituendi, miniſteria officiaque diſponendi (cuius rei cauſa iubet Moſes electum in Regem, librum legis ſiue ſcripta Moſis propria ſua manu tranſcribere: & in illis ſe continenter exercere) ſed & vitia eodem modo puniendi, fruſtrà de noua iudicij forma nunc aliqui apud nos cogitant: quae Magiſtratum ipſum quoque redigat in ordinem aliorum ſubditorum. Etenim iudicium illud Eccleſiaſticum de moribus (de doctrina conſuli à Magiſtratu ſemper debent in ea exercitatiores) in ſacris literis nullo in loco reperitur imperatum.

LXXV.

LXXV.

At in illis Eccleſijs, quæ ſub impio magiſtratu degunt, (videlicet Pontificio vel Turcico) eligi debent viri graues & pij, iuxtà præceptum Apoſtoli, qui inter litigantes arbitrentur: controuerſias componant: aliáq; huius generis faciant. Spurcos & fœdos homines ijdem vnà cum miniſtris admonere, obiurgareq; debent: ac ſi nihil proficiant, vel priuati commercij negatione, vel publica reprehenſione, vel aliqua tali notatione alia punire, ſeu potius reuocare ad frugem poterunt: à Sacramentis à Deo inſtitutis, accedere cupientes, arcere non poterunt. Quis enim corda iudicat prętet Deū? Fieri poteſt, vt ex publica concione ſuſcitatus igniculus aliquis ſit, quem fouere quouis modo cum pietate non pugnante minimè ſit inutile: ſed prorſus fructuoſū. Et quomodo quæſo te, non ſit abſurdum, adeóq; impiū, aliquem à publica & ſolenni gratiarum actione & commemoratione mortis Domini arcere, qui ſe in corde ſuo impelli, ſentiat, vt cum Eccleſia eandem concelebret, eiuſdem ſe membrum eſſe velle declaret, deniq; diſplicere ſibi, anteactam vitam ſuam teſtari publicè velit? Finis.

APPENDIX.

Non fuerit fortaſſe præter rem, ſi auctarij aut corollarij vice addam, quę ab omnibus Imperij ordinibus Laicis hac de re anno 1523. in Comitijs Norinberg. decreta, Romanoq; Pontifici oblata fuerunt. Quippe hoc pacto patebit, ante annos plus minus 46. cœpiſſe Theologos de hac diſputatione cogitare: nec eſſe nos primos, qui iſtæc mouemus. Equidem non puto quenquam eſſe vel mediocriter rerū Germanicarū gnarum, qui horum aliquid putet credátue inſcijs Theologis tunc vel decretum vel à Pontifice petitum. Cæterùm quo res eſſet clarior, placuit Germanicum exemplar in ipſis ſcriptum Comitijs, cum Latino, quod Pontifici miſſum eſt (Ac Matth. Flac. Illyricus cum lib. ſuo de Sectis & Diſſenſionibus Papiſtarum anno 1565. Baſileæ iterum excudi

cudi fecit)conferre:& ex vtriuſq; collatione Decretum integrum proponere, Ergo inter onera centum,quæ Norinbergæ,quàm Wormatiæ biennio antè factum fuerat,diſtinctiùs expreſſa ſunt, trigeſimum quartum ſic habet.

Item Chriſtiani complures Romę,& in alijs quoq; locis, per Archiepiſcopos,Epiſcopos,eorúmue ſacros Iudices ob cauſſas profanas & bona temporalia excommunicantur: eóq; multæ infirmæ conſcientiæ affliguntur:inq; deſperationem inducuntur. Sic propter pecuniam, ac res fluxas, & ſæpenumerò propter cauſſas admodũ leues, aliqui, præterquàm quod iacturam faciunt honoris & bonorũ,contra iura mãdataq; Diuina in diſcrimẽ ſalutis animę corporiſq; cõijciuntur:*cùm nemo tamen excommunicari, aut pro excommunicando haberi debeat, ſacris teſtantibus literis, niſi qui hæreſeos eſt conuictus*. Quocircà orãt ſacri Imperij ordines Laici Põtificiam Sanctitatẽ vt pro eo,ac pium Religioſũq; patrẽ decet,hæc Excommunicationis onera Romæ ſeu in Romana Curia prorſus abroget:atq; alibi quoq; paſsim apud Archiepiſcopos,Epiſcopos,eorúmq; iudices tolli curet:ac deniq, mandet,*vt nullus vllam aliam ob cauſam, quàm ob manifeſtum conuictumq́, hæreſios crimen ad religionem pertinentis, excommunicetur, aut pro excommunicando reputetur. Omninò enim nullus alioquin vel propter bona temporalia,vel alia humana delicta, excepta infidelitate ſeu hæreſi à Deo eiúſq́, Eccleſia ſubmoueri ſeparariue debet.* Hũc etiã pertinet,quod Iohan.Stumpfius in Chronico Heluet.lib.2.de Germania,cap.29.ſcribit, Sacerdotes per Sueuiam circa annum Domini 1245. (cum aduerſus Imperatorem Fridericum 2.& eius filium Conradum Papæ inſtinctu Henricus Landtgrafius Turingiæ, & poſt huius mortẽ Wilhelmus Comes Hollandiæ electi fuiſſent)conſtanter cùm alia, tum hoc docuiſſe,*Nemini mortalium ſub hoc ſole poteſtatem conceſſam eſſe Chriſtianis Spiritualia officia cultumq́; Dei prohibendi.* Hac de cauſa eos Miſſas cõtinenter celebrauiſſe refert, tametſi Papa interdixiſſet, Excommunicatoſq; pronunciaſſet.

FINIS.

THESIVM (QVÆ DE EXCOMMVNICATIONE POSITÆ FVERANT) CONFIRMATIO.

In qua dilucidè confutantur omnia argumenta, quæ pro aſſerenda illa D. Beza, & quidam alij in medium adduxerunt, vnâ cum multorum ſacrae ſcripturae ad hanc rem ſpectantium locorum perſpicua explicatione.

Opus in ſex libros digeſtum: Autore clariſſimo viro Thoma Eraſto, Doctore medico.

LIBER PRIMVS.

ANNO. M. D. LXXXIX.

IN THESIVM (QVAE DE EXCOMMVNICATIONE POSITÆ FVERANT) CONFIRMATIONEM, PRÆFATIO.

PRincipio reprehendis noſtram definitionem, quod nec à quibus feratur ſententia, nec quibus de rebus, ſatis explicet. Ego in diſserendi artibus ita ſum verſatus, Deo eſt gratia, vt, quomodò res quæ exſiſtit, cuiuſq; naturã intelligo, definienda ſit, non prorſus neſciam. At in re ficta definienda, quid mirum, ſi aliquorum opinioni non ſatisfacere videor? Caeterùm, vt priuſquam in hoc certamen deſcendam, rectè intelligatur, de qua re agatur, tria praemonere te volo. Primum, nos de externa tantum viſibilis Eccleſiae Excommunicatione, quae ab hominibus exercetur, diſputare. Alterum, nos hanc praecipuè oppugnare, quoad eos, de quibus nos loquimur, à Sacramentis arcet. Quippe ſi quis per excommunicationem pœnam aliam intelligat, vt priuati conuictus & commercij interdictionẽ aut huiuſmodi rei alius prohibitionem, (quae tamen ſacroſanctis literis non aduerſetur,) cum hoc mihi lis non erit. Ergo cum illis mihi res eſt, qui Sacramentorum negatione coercere peccatores iubent. Tertium eſt, nos de illis ſolis loqui peccatoribus, qui doctrinã intelligunt, probant, amplectuntur: peccata ſua ſe agnoſcere verè atq; odiſse aiunt, & Sacramentis ſecundum inſtitutionem Chriſti, cum Eccleſia vti cupiunt. Horum trium te meminiſse ſemper velim, etiamſi non ſemper ego adiecero. Nunc ad rem venio.

CAP. I.

De Excommunicationis definitione.

DE Excommunicatione, de qua inter nos controuerſamur, in ſanctis ſcripturis nullum exſtat man-

datum, ſed commentum eſt purè humanum. Quocirca cum de executoribus controuerſia ſit, in definitionibus autem ambigui nihil poni conueniat, intactam hanc partem meritò reliqui. Etenim Pontificij hoc ius ſolis ſacerdotibus, praecipuè autem Epiſcopis tribuunt. (Qui mos multis in Eccleſia veteri ſeculis perdurauit.) Alij toti Eccleſiae adſcribũt. Nonnulli Presbyterio ſuo adiudicant. Et horum aliqui Presbyteros illos à tota Eccleſia eligi oportere contendunt. Alij Magiſtratui, vbi is Chriſtianus eſt, hanc poteſtatem authoritatémque deferunt. In hac ſententiarum diuerſitate, cum ex ſcriptura lis dirimi nequeat, ideóque difficile ſit dictu, cuiusnam partis rationes anteponendae ſint argumentis aliarum partium, in definitione mea iure omiſi. Feci nihilominus mentionẽ Seniorũ, partim vt Excommunicatorum, partim vt cauſam examinantium: in quo, praeter Pontificios, cunctos alios vos conuenire videbam. Qui enim totam Eccleſiam volunt Excommunicare, non negãt expedire, vt quidam Seniores quaſi praemanſum cibum Eccleſiae offerant.

Ratio par eſt alterius reprehenſionis. Nam cum Excommunicationem hanc ſcriptura neſciat, ab eámque cauſam non definiat, propter quae peccata homines à Sacramentis arceri debeant, nolui ego me inter diſſentientes arbitrum conſtituere. Quippe alij tantũ grauiora ſcelera Excommunicatione vindicanda putant: alij quodlibet peccatum, quod ex ſententia Presbyterorum non corrigatur, cenſuram hanc mereri exiſtimant.

Ergò cum definitionis partes controuerſia carere oporteat, hæc autem & controuerſa ſint maximè, nec decidi ex ſcripturis res poſſit, non debui ego in definitione ponere. Quoniam enim res ipſa conficta eſt ab hominibus, neceſſarium eſt, vt rationes quoque ſint confictae, quæ ab omnibus partibus ad probandum adferuntur. Quare æque firma ſunt argumẽta omnia: nec facilè poſſunt alia aliis rectè præferri. Quod autem reliquum fuit in hac re, de quo intelligentes viderentur non poſſe dubitare, huius perinde, ac ſi res ipſa exſiſte-

exſiſteret, definitionem arte ac methodo inueſtigaui. Primum poſui nominis definitionem omnibus conceſſam. Mox quàm multas res inter ſe perſpicuè differentes haec comprehenderet, notaui: & quantum earum diſcrimen eſſet indicaui. Poſt haec, an omnibus conuenire poſſet Excommunicatio veſtra, conſideraui. Poſtque internae & ſpirituali cõmunioni aptari non poſſe oſtendi, externae ſolummodò congruere demonſtraui. Hanc cum in tribus potiſſimùm partibus conſiſtere declarauiſſem, atque à duabus ex his neminem repelli debere monſtrauiſſem, concluſi tandem in 8. Theſi, Excommunicationem, (ſi quidem in ſcripturis ſit praecepta) aliud eſſe non poſſe, quàm ſolennem excluſionem à Sacramentorum communione &c. Hanc ſi tu definitionem veris argumentis (ſeruatis hypotheſibus veſtris) refellere poteris, praemium tibi victoriae Leporinum ſtatuo caſeum. Hanc Excommunicationem, quam vos miniſterij externi partem facitis, dico alijs rebus nullis definiri poſſe, quàm interdictione Sacramentorum. Etenim aliae pœnae huic accidunt, quae ad ipſius ſubſtantiam non pertinent: cum & haec ſine illis, & illae ſine hac eſſe poſſint.

Nec tua deſcriptio aliud continet, niſi quod hanc poteſtatẽ aſſignas Senioribus: at nullo argumento. Deinde quod conſcia dicis Eccleſia fieri: at non conſentiente ſententiámque dicente. Quicquid publicè fit, hoc conſcia Eccleſia fit: tametſi concinente ipſa nequaquam fiat. Quamobrem verba ſunt tantùm, res ſubeſt nulla. Tertiò quod explicatè ego nominaui interdictionem ſacramentorum: hoc tu ſub eiectione è ſocietate viſibilis Eccleſiae tegis. Ego verò illos, de quibus ſermo nobis eſt, ex ſocietate externa Eccleſiae aliter eijci non poſſe oſtendi, quàm ſacramẽtorum negatione.

Clarè igitur vides recto & bono conſilio me in mea definitione omiſiſſe, quae tu malè inſerſiſti. Quippe ſi dixiſsem ſententiam eſse ab Eccleſia latam, damnauiſses id tu. Nam Iohannes Morellus Gallus propter librum editum, in quo contendit ius Excommunicandi non eſse penès Presbyteros, ſed penes Eccleſiam, à veſtro Presbyterio excommu-

nicatus, & liber publicè exuſtus, ac lectione eius omnibus ſub graui pœna interdictū fuit. Facta hæc ita ſunt die 6. Septemb. anni 1563. teſte ſcripto iſtic edito, in quo praedicta continentur. Hanc autem ſententiam, quae à vobis tam atrociter, vt ille conqueſtus fuit, damnata eſt, ab illis defenditur, quibuſcum mihi lis adhuc fuit. Si à miniſtro poſuiſſem ferri debere, vnà tecum illi, qui priorem probauiſſent, me reprehendiſſent. Si affirmaſſem ad Presbyteros hoc munus pertinere, te quidem habuiſſem ſuffragatorem, at ambos illos aduerſarios. Cùm mihi demonſtraueris, quae ex recitatis tribus opinionibus vera ſit, ſciam tunc, quid me facere conueniat. Similis eſt ratio alterius accuſationis. Sed tempus eſt, vt tuam expendamus deſcriptionem.

Excommunicatio, inquis, eſt ſententia, qua Seniores in Dei nomine congregati, legitima præeunte cognitione, conſciáque Eccleſia, pronunciant quempiam, qui ſe à Deo alienarit, eiectum quoque videri ab externae Eccleſiae ſocietate tantiſper, dum Eccleſiae, quoad eius fieri poteſt, conſtiterit, eum eſſe Deo reconciliatum. Hanc tu deſcriptionem tuam paulò poſt his ferè verbis interpretaris. Vt nil aliud ſit Excommunicatio in terris, quàm declaratio alterius occultioris factae in caelis: ex qua videlicet meritò colligatur, eum, qui in caelis non habeatur pro Chriſti membro, indignum eſſe, qui inter fideles in terris cenſeatur. Addis haec quoque. Nec debuiſti, quod praecipuum erat, praetermittere, ipſam videlicet ab interiore Chriſti ſocietate ſecluſionem in cœlis factam: cuius conſequens & appendicem eſſe dico Excommunicationem in terris factam: adeo vt niſi illa praeceſſerit, iſta quoque irrita meritò cenſeatur. Cum hac deſcriptionis tuae declaratione pulchrè congruit Petrus Lombardus lib.4. diſt. 18. Nec eſt inconueniens, vt quemadmodum res eſt à Pontificiis ad vos deriuata, ita explicationem quoque ab eiſdem mutuemini. Verùm Lombardo caeteriſque ſcholaſticis, qui deinde vnà tecum non omnes Magiſtri ſui ſententiam

probauerunt, abſque ſcripturis licuit loqui: tibi, qui diuerſum profiteris, non licet.

Ergo miror hoc primum, quod me in definitione putas mentionem debuiſſe facere interioris à Deo in caelis factae excluſionis, cum audieris me in Theſibus de ſola externa Excommunicatione agere, eámque ab occultiore illa diligenter diſtinxiſſe. An quae diſtinxi prius, ne confunderentur, mox in definitione permiſcere iterum debui? Rectè autem veréq; me diſcreuiſſe, arbitror neque te neque alium quempiam dubitaturum. Differentiam hanc Lutherus etiam praeclarè vidit. Nam in 3. cap. Ioëlis tom. Latin. 4. ſic ſcribit. Duplex eſt Excommunicatio, Politica ſeu externa & viſibilis, qua Eccleſia vtitur contra notoriè facinoroſos. Alia occulta & inuiſibilis, non hominum, ſed ipſius Dei eſt. Vides hunc virum affirmantem Eccleſiam politica tantum Excommunicatione vti? Idem in ſerm. de Excommunicat. tomo Germ. 1. duplicē ait eſſe communionem, externam & internam, ſicut duę quoque res ſint in Sacramentis, ſignum videlicet ac ſignatum. Internam, quae & inuiſibilis ſit ac ſpiritualis, in corde eſſe, cum quis per veram fidem, ſpem & charitatem inſertus eſt in Chriſti ſanctorúmque communionem. Hanc (addit) nec dare nec auferre vllus homo poteſt, adeóq; nec Angelus nec vlla creatura, ſed ſolus Deus per ſuum ſpiritum infundit in hominis cor Sacramento credentis. Ita huc nulla Excommunicatio pertingit praeter ſolam infidelitatem aut peccata, quibus ſeipſum excommunicat. Probat hoc mox verbis apoſt. ad Rom. 8. Quis nos ſeparabit &c. Hanc externam Excommunicationem cum tu affirmes conſequens & appendicem eſſe illius, quae in caelis facta eſt, confiteri nobiſcum cogeris, humanam à Diuina aliam eſſe. Cur ergò à me poſtulas, vt de ea, de qua mihi controuerſia cum nemine eſt aut fuit, & de qua me non diſceptaturum oſtendi, in definitione ponam? Si ab alterutro hac in re peccatum eſt, certè à te peccatum eſt, qui deſcriptioni humanae Excommunicationis alleuiſti Diuinam.

Grauius peccatum eſt, quod declaratio, quā tumetipſe tuam explanas definitionem, cum eâdem non conuenit. Quoniam in explanatione ſcribis, nihil aliud eam eſſe, quàm declarationem occultioris in cœlis factae, ex qua colligatur, eum, qui in cœlis ſit excluſus, etiam in terris excludendum eſſe. At in definitione dicis, eam eſſe ſententiam Seniorum, qua pronuntient aliquem ab externa Eccleſiae ſocietate abſciſsum eſſe. Plurimum certè differunt hae duae orationes. Excommunicatio eſt declaratio iudicij Dei in cœlis facti: &, Excommunicatio eſt ſententia Seniorum, qua quis excluditur è ſocietate externa fidelium. Si reſpondeas ex illa declaratione hanc ſequi, reſpondebo ego viciſſim, aliud eſſe id, ex quo aliquid ſequitur, ab eo, quod ex illo ſequitur: nec illius declarationem poſse vlla ratione vocari definitionem huius. Oſtendam etiam paulò poſt, non poſse humanam Excommunicationem ex Diuina rectè colligi.

Tertiò haud rectè ponis veluti confeſsum, ius ſcilicet ferendae ſententiæ ſeu Excommunicandi penès Presbyteros eſse. Nam Pontificij ad Sacerdotes ſuos hoc pertinere dicent: ſcripturaeque exemplis opinionem ſuam probare conabuntur. Solus Petrus, inquient, Ananiam & Saphiram, Simonémque Magum excommunicauit. (Nam ex tua ſententia fuit Excommunicatio.) Solus Paulus Elymam Magũ excommunicauit: Solus Alexandrum & Hymenæum Satanae tradidit: Soli ſibi ſceleſtos indicari per epiſtolã iubet. Solum ſe cum authoritate venturũ ſcribit: & pro poteſtate ſibi à Deo tradita pœnas à nocentibus ſumpturum affirmat: Solus Corinthium decreuerat Satanae tradere, tametſi cõgregata Eccleſia vellet fieri. Hanc conſuetudinem multis ſeculis in Eccleſia viguiſse addent. Et quamuis aliqui Epiſcopis Presbyteri fuerint additi, non plus tamen eos habuiſse imperij, quàm Conſiliarij habere ſolent. Haec & ſimilia illi pro ſe adducent: tu pro Presbyteris tuis quid adferes?

Quomodò etiam hæc verba tua defendes? Ius enim Excommunicandi ante Papiſticam illam tyrannidem nunquàm

quàm penès vnum fuiſſe comperietur, ſed penès Presbyterium: & quidem non excluſo penitùs populo. Hæc tua qua ratione ſis cùm nunc dictis conciliaturus, ipſe videris. Ego Ambroſium ſolum excommunicauiſſe lego Theodoſium: imò iam tum Seniores illos non amplius fuiſſe ait. An tunc Papiſtica tyrannis obtinuerat? Saltem Petri & Pauli temporibus nondum huc vſque excreuerat. Non ignoro Ruffinum ita loqui, ac ſi cum alijs Ambroſius Theodoſium excluſiſſet. Sed mos & conſuetudo illius temporis, ipſa res geſta, & ſcriptores alij omnes, quod dixi, comprobant. Húc facit nonnihil hiſt. de Theodoſio iuniore apud Theodor. lib. 5. cap. 37. Adde quòd in tota hiſtoria Eccleſiaſtica de veſtro Presbyterio nihil reperitur: quantum inter legendum ipſe obſeruaui. Præter paucula illa, quæ apud Tertull. Cyprianum, & Auguſtinum de Iudicibus neſcio quibus legimus, nihil ego de Presbyterorum veſtrorum conſeſſu vidi: niſi fortè excidit (Ambroſium de re alia loqui, alibi indicaui) Hiſtoria certè Orientis aliter canit. Quare ſi aliquid huius fuit, in ſola Africa fuit.

Quartò dicis conſcia Eccleſia ferendam eſſe à Presbyteris ſententiam, cùm ex aliorum quorundam opinione dicere deberes conſentiente ſimulq; ſuffragante. Producent hi exempla Act. 1. & 14. & 15. cap. Idem Chriſtum voluiſſe dicent. 18. cap. Math. Idem Paulum in 1. Cor. 5. docuiſſe contendent. Demùm longo tempore in vetuſtiſſima Eccleſia morem hunc ſeruatum fuiſſe affirmabunt. Si in magna turba non poſse obſeruari obijcias, negabunt illi, & factum fuiſse, fieriq; poſse docebunt. Non enim neceſſarium eſse, vt ſinguli ſentẽtias dicant, ſed ſufficere, ſi is, qui aliquid habet, dicere liberè poſſit, vt de prophetantib. Paul. 1. Cor. 14. ſcribit. Si rurſus obijcias, incommoda naſcitura ex multitudine malorum, reſpondebunt ab homine hoc dici, ſe verò Dei præſcriptum ſequi: qui longè homine melius ventura ex re qualibet mala præuiderit. Pro Presbyteris certè nihil tale proferre poteris. Nam ſi ad 18. Math. caput confugias, plus id ſibi, quàm tibi, patrocinari clamitabunt.

mitabunt. Addent ſe adferre teſtimonia aperta:te citare vnū idque dubium: ac dubijs & controuerſis locis non eſſe probandam rem litigioſam. Ingenuè dico, ſi alterutri locus hic patrocinaretur, magis horum, quam tuam ſententiam confirmaret. At ſuo loco, Deo volente, luculentè oſtendam, eum neutris ſeruire.

Quintò non explicas quando & quomodo peccator ſatisfeciſſe Presbyteris videri poſsit. At vbi leges nullæ ſunt certæ, Presbyterique ex arbitrio ſuo agent, non poterit non eſſe pernicioſa hæc poteſtas. Scio (vt alia nunc ſileam) Sodomitam alicubi ſtatim ab Eccleſia (id eſt, à Presbyteris) abſolutum: vbi fortaſſe alius quiſpiam qui in templo vel ſputauiſſet ſolùm, longè fuiſſet tractatus aſperiùs. Quam duriter tractarint veteres illi miſeros afflictosque peccatores, nullus hodiè neſcit. In ſumma, niſi leges ponantur hac de re, pœnæ tales erunt ſemper, qualis erit quouis tempore Presbyterorum illorum affectus: hoc eſt, miſerabilis erit tyrannis. His adde, quod huius tu criminis verè reus es, cuius me immeritò inſimulaſti: nempe non dicis in tam longa tua deſcriptione quibus de rebus ferenda ſit hæc ſententia. Quippè à Deo ſe alienarit oportet, quiſquis Presbyteris veſtris talis iudicabitur. Sed hæc ferri adhuc poterant: qui ſequuntur errores longè ſunt grauiſſimi.

Sextò, veluti conceſſum ab omnibus audacter ſumis, Deum alicubi imperaſſe, (locum autem non indicas,) ſcelere aliquo contaminatos, à conciliabulo quodam Presbyterorum ſolenni ritu proclamari debere à Deo in cœlis lata ſententia excommunicatos. Debet vnuſquiſque ſic declarari à Deo excluſus, quomodo ſacræ literæ docent. Faciunt hoc cùm alij, tum verò inprimis Miniſtri, cum publicè priuatímque omnibus & ſingulis iram & iudicium Dei contrà peccata antè oculos ponunt: & quæ quoſlibet ſceleratos pœna maneat (niſi redeant in viam, Deoque reconcilientur) exponunt. Hoc ergo probandum tibi reſtat ſacrarum literarum teſtimonijs, Deum alicubi mandaſſe, vt, quos ipſe videtur nobis propter cōmiſſum aliquod facinus

odiſſe

odiſſe, à conuenticulo Presbyterorum ad hoc delectorum, (cauſa tamen prius, vt in iudicijs fieri ſolet, auditis prius teſtibus, diſceptata) ſolenniter declarentur à Deo in cœlis excluſi è cęleſti regno. Vides quid ſit abſq; ſacris literis loqui?

Septimò fallis teipſum tua illa definitione, cum putas eũ, qui vel à Miniſtro, vel ab alio quopiam, vel à conſeſſu Preſbyterorũ pronunciatus ſit à Deo in cælis condemnatus, niſi reſipiſcat, mox etiã in terris arceri à Sacramẽtis poſſe. Quo ſcripturæ teſtimonio probabis. (Hanc enim ſolã in hac re & cauſa audire parati ſumus) Sacramenta hic in terris neganda illis eſſe, quos Deus videatur ſuo regno indignos iudicare, dummodò eis rectè (de externo ritu loquor. Cor enim ſoli Deo notum eſt) nobiſcum vti deſiderent? Permultos non probauit Chriſtus, plurimis etiam iram Dei denunciarunt & declararunt Apoſtoli, quorum tamen nullum à Sacramẽtis abſtinere iuſſerunt. An non quotidiè miniſtri in publicis concionibus & priuatis exhortationibus teſtificantur multis, non fore eos cæleſtis regni hæredes, niſi reſipiſcant, moresque cum vita mutent, quos tamen neque ipſi neq; alij à ſacramentis repellunt? At non faciunt publicè, inquies & cum authoritate. Nugæ ſunt. Quoniã ſcriptura nullo in loco tradit, maius eſſe, (quod ad Deum attinet) ſi quis à pluribus declaretur malus, quàm ſi ab vno ſolo talis demonſtretur. Si vnum illum non habere hanc authoritatem obijcias, quæram ego viciſſim ex te, quis pluribus iſtis Presbyteris eam donauerit?

Octauò non minus falleris, cum declarationem iudicij in cælis facti idem eſse putas cum excommunicatione. An idẽ ſunt, declarare aliquẽ à Deo propter peccatũ aliquod odio haberi, & ex viſibili Eccleſia expulſum eſſe? Si idẽ ſunt, tunc cuicunq; à miniſtris hoc ſiue in publico, ſiue in priuato loco prædicatur, is mox pro excõmunicato erit habendus. Vndè nãq; probabitur publicã declarationẽ Presbyterorũ hoc habere, priuatã vnius vel miniſtri vel alterius cuiuſlibet nõ habere? Quod ex verbo Dei rectè iudicatur, id æquè firmũ validũq; eſt, ſiue ab vno ſolo iudicetur & pronũcietur, ſiue à pluribus. Nam

Nam neque à multitudine iudicantium aliquid acquirit veritas, neque à paucitate aliquid amittit. Denique tam eſt inutilis hæc ratiocinatio, Deus hunc hominem non iudicat dignum cœleſti regno, Ergo eſt ex viſibili Eccleſia pellendus, quàm vicioſa hæc eſt, Deus hunc non dignabitur vita æterna, Ergò neque caduca & mortali vita eum vult viuere. Sanè Hypocritas æterna vita non donabit: quos tamē nullus ideò putet hac vita priuandos eſſe. An ignoramus Deum multis, quos participare cœleſtem vitam non patietur, facultatem nihilominus conceſſiſse dæmonia in ſuo nomine expellendi, aliáq; miracula faciendi? Math. 7.

9 Scribis etiam te multis de cauſsis non probare, quòd ſolam Sacramentorum excluſionem vrgeam: cùm vix duas adferas, easq; admodùm lubricas. Vnà eſt, quod excommunicationis pars præcipua ſit ſecluſio ab interiore Chriſti ſocietate: quam perſpicuè oſtendi huc non pertinere, inque nullius hominis poteſtate eſse. Altera eſt, poſse aliquem ad cœnæ participationem non admitti, vt tamen non excommunicetur: quæ opus habet conſideratione. Si enim de pueris, & in doctrina nondum inſtitutis, ac myſterium hoc non intelligentibus loqueris, libenter aſsentior. Si autem de illis intelligis (vt intelligere te oportet, ſi de propoſita cauſa agis) qui propter obſcœnitatem anteactæ vitæ remouentur à cœnæ vſurpatione, tibi ipſi contradicis. Tu enim hanc rem gradum excommunicationis feciſti, cum ſic ſcribis. Et varij quoq; ſunt Excommunicationis gradus pro varijs non tantùm peccatorum inter ſe, ſed etiam vnius & eiuſdem peccati circumſtantijs: quò fit, vt nonnulli hactenus tantùm ex communi cœtu eijciantur, quatenùs eis ad tempus interdicitur cœnę participatione. Haec à te cum ibi dicta ſint, cur hîc mutes, non video: niſi fortè iſtud vidiſti pugnare cum tua definitione. Quippè conſcia Eccleſia excommunicationem fieri, habet definitio: cum iſta prohibitio quotidiè poſsit fieri in ſolo Presbyterorum conſeſſu. At conſtat, nullum eſse inter hanc & alteram excommunicationē diſcrimen, quàm quod haec priuata quodammodo, illa

publica

publica eſt. De Sacramentorum negatione præcipuè ob id diſputo, quia vt à me probatum eſt, Excommunicationis vis in ea principaliter conſiſtit: vt quia in omnem diſciplinam Eccleſiæ facilè conſenſurus ſum, cui non admiſceatur cœnæ Dominicæ prohibitio. Non enim in hunc finem à Domino inſtituta eſt: ſed vt ſit læta gratiarum actio, publica mortis Chriſti prædicatio, pietatis & fidei exercitium, mutuæque dilectionis vinculum. Scelerum coercendorum aliam rationem præſcripſit Eccleſiæ ſuæ Dominus: qua neglecta non decet nos, quam finxerunt ſibi homines, arripere, & mordicus cum Eccleſiæ pernicie defendere. A tua ſententia non diſcedunt alij, qui excommunicationem contendunt eiectione è Regno Dei, (cuius teſtimonium duntaxat ſit negatio Sacramentorum) definiendam. Quippe partem eſſe dicunt miniſterij: quod interiorem hominem per ſe non attingit. Nam miniſter externus rigat & plantat externè: incrementum autem intùs dat ſolus Deus. Deinde fatentur ijdem vnà tecum & cum ſcholaſticis, nullum ritè excommunicari, qui non ſit à Deo prius excluſus. Itaque per Regnum Dei non poſſunt aliud, quàm externum, ſeu Eccleſiam viſibilem intelligere. Quòd ſi ita eſt, & neque poſſent neque debent vlli homines ab auditione, lectioneque diuini verbi: à precibus, & inuocatione publica nominis Dei: denique à veritatis confeſſione arceri: ſupereſt vt duntaxat à Sacramentorum participatione amoueantur. Quippe quibus iam dictorum nihil deeſt, pro ſecluſis ab externo Eccleſiae cœtu non habentur. Quibus autem aliquid horum deeſt, illi iam ab omnibus pro abiunctis reputantur: etiamſi ſolenniter eos nemo damnauerit. Quae praeter haec ſunt, accidentia ſunt excommunicationis: non ſunt eſſentiae partes. Etenim, teſtibus ſacris literis, inſunt, ac non inſunt (aut ſaltem ineſſe ac non ineſſe poſſunt plurimis) ſiue ad Sacramenta admittantur, ſiue non admittantur.

Caeterùm quod ab interna & ſpirituali coniunctione Chriſti & Eccleſiae nullus homo nos poſſit ſeparare: quódque

quódque à ſola externa ſocietate fidelium excludat excommunicatio, probaui hoc argumento in Theſibus. Is tantùm Chriſto nos coniungere, aut ab eius ſocietate ſpirituali auellere abripereq; poteſt, qui veram in nobis fidem gignere, genitamq; iterum exſtinguere poteſt. Quippè per ſolam fidem Chriſto inſerimur, viuaq; eius membra efficimur: & è contrà, propter ſolam infidelitatem membra Chriſti eſſe deſinimus. At veram in nobis fiduciam accendere, accenſamque exſtinguere nulli poſſunt homines nullæque creaturæ. Proindè nulli nos poſſunt homines ab interna Chriſti ſocietate ſeparare. His tu præteritis, reſpondere conaris ad alia quædam in primo ſcripto, (quod mihi ad memoriam ab initio tumultuariè, vt quouis tempore quodlibet occurrebat, conſcripſeram, & in quod rudem & impolitam adhuc materiam velut in aceruum conieceram, vt ocium nactus aptè diſponerem) contenta: ſed non maiore felicitate ea refelliſti, quàm ſupra definitionem labefactare ſtuduiſti.

Ad primum, quod ſic habet: Salutem nobis homines neque dare, neque adimere poſſunt: quapropter non poterit excommunicatio abſciſſione ſalutis definiri: ita reſpondes. Seruare & perdere, ſoluere & ligare, aperire & claudere, remittere peccata & retinere, etiam hominibus tribuuntur, vt Dei Miniſtris. Non enim ſubordinata cauſa repugnare poteſt primariæ cauſæ, cui ſeruit. Paulò ſuprà dixiſti, excommunicare nil eſſe aliud, quam denunciare alicui, quod à Deo in cœlis reiectus ſit, dum redeat in viam. At hæc denunciatio non eſt ſalutis abſciſsio. Etenim qui ſalutem mihi à Deo indicat negatam, is eam mihi non aufert: ſed ablatam à Deo mihi tantùm ſignificat. Certè miniſter magiſtratus ſententiam alicui denuncians non fert ipſe ſententiam, ſed latam à Magiſtratu nunciat. Quod ſi ergo ſalutem alicui negare, vel è ſocietate viſibilis Eccleſiæ exturbare, ſeu excommunicare, aliud nihil eſt, quàm rectè diuinis literis alicui renunciare quod à Deo ſit reiect', tantiſper dum vitam moreſq; ſuos emendet, ſublata è medio eſt omnis inter nos controuerſia.

Sed

Sed ex hac declaratione, inquies, conſequitur, eum, qui in cœlis iudicatus ſit indignus ſocietate Chriſti, ne in terris quidem inter membra externæ Eccleſiæ Chriſti cenſendum eſse. Ego verò hoc ex illo conſequi pernego: & te nullo vnquam tempore probaturum eſſe incunctanter affirmo. Quippè vt ratiocinatio tua valeat, propoſitionem oportet vniuerſalem eſſe (Nam ex ſolis particularibus nihil concludi poſſe) Proindè veram eſſe hanc oportet: quiſquis à Deo iudicatur indignus regno cœleſti, à Seniorib⁹ eſt eijciendus ex Eccleſiæ viſibilis conſociatione. At manifeſtè falſa eſt. Semper enim plus paleæ quam frumenti: plus zizaniæ quam tritici: plus denique malorum, quam bonorum in Eccleſia viſibili fuerunt, ſunt, erunt. Ipſemet Chriſtus Math. 20. & 22. dicit, Multos quidem eſſe vocatos at paucos electos. Et alibi viam ad interitum ſpacioſam eſſe, cum, quæ ad vitam ducit anguſta ſit admodum. Quocirca ſi vera eſſet propoſitio, ſemper oporteret longè plures eſſe excommunicatos quam incommunicatos: quod eſt abſurdum cogitatu.

Quod ſi reſpondeas, parabolas illas non eſſe exponendas de publicè notis peccatoribus, ſed de Hypocritis & occultè peccantibus, te autem loqui de illis, quorum ſcelera ſint nota, tunc propoſitio ſic erit formanda. Quēcunq; Deus notum Eccleſiæ peccatorem apud ſe in cœlis damnauerit, eundem quoque vult à Senioribus ex viſibilis Eccleſiæ ſocietate eijci. At non plus eſt in hac, quam in illa, firmitatis. Primùm enim falſum eſt, adducta ſcripturæ loca de ſolis occultis & ignotis loqui peccatoribus. Etenim parabola de palea & tritico: itē de zizania ſeminata in agro tritici: item de inuitatis ad nuptias, hanc interpretationem manifeſtè reſpuunt. Sanè in parabola de zizania Math. 13. clarè diſerteque ponitur, miniſtros & ſeruos Domini cognouiſſe & diſtinxiſſe zizaniam à tritico. De duabus reliquis id tantùm dicam, imò veluti digito indicabo potius, quod Auguſtinus contrà Donatiſtas diſputans ſcripſit. Cùm enim Donatiſtæ parabolam de malis & bonis piſcibus ſic eluderent, ideo nō

potuiſſe

potuiſſe malos à bonis ſeparari à Piſcatoribus, quia ſub aquis latuerint, reſpondet eis Auguſtinus: vt maximè latuerint mali piſces, at non latuit palea, nec latuit aliena veſte indutus in nuptijs. De quo idem in lib. contrà Donatiſtas poſt collationem cap. 20. ſic ſcribit. Ideò & illum, qui non ha-
„ bebat veſtem nuptialem, non illi, qui inuitauerunt, ſed ipſe
„ Dominus, cuius erat conuiuium, ligari iuſsit & proijci. Ne-
„ que enim & ipſe ſicut piſcis, ſub fluctibus erat: & ſic ab
„ inuitatoribus, quomodò piſcis à Piſcatoribus, videri non
„ poterat. Proindè ne putaretur ſicut iſti putant, quod velut
„ vnus in turba latenter ſubrepſiſset ignaris, continuò Domi-
„ nus in eodem vno, quem ligatis manibus & pedibus ex illo
„ conuiuio in tenebras exteriores proijci iuſsit, multam ſocie-
„ tatem malorum eſſe intelligendam, (inter quos pauciores
„ boni in conuiuio Dominico viuunt) ſignificare non diſtulit.
„ Nam poſtquam dixit, ligate illi manus & pedes, & proijci-
„ te eum in tenebras exteriores vbi erit fletus & ſtridor denti-
„ um, continuò ſubiecit. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Qui plura cupit, legat eiuſdem lib. cap. 10. de palea & zizania. Secundò falſum illud quoque eſt, Deum in ſanctis ſcripturis alicubi praecepiſſe, vt quoſcunque ipſe notos Eccleſiae malos cœlo indignos iudicet, nos è ſocietate externa Eccleſiæ exturbemus. Imperauit quidem Magiſtratui vt facinoroſos excommunicet (qui ſi negligens in hac parte fuerit, iram Dei nõ effugiet) ac Presbyteris aut alijs quibuſdam ſub Chriſtiano Magiſtratu degentibus hoc à Deo munus officiumque commiſſum eſse, tum credam, cum loco ex ſacris literis producto mihi demonſtratum fuerit.

Ad argumentum quod attinet, breuis, clara, certa eſt reſponſio. Homines etiã ſoluunt, ligant, aperiunt, claudunt, ſalutẽ dant ac negant, peccata remittunt ac retinent eo modo, quẽ in ſcripturis Deus expreſsit. Tuum ergo iam erit nos docere locum in ſacris libris, in quo Deus mandet, vt cum aliquis foedè viuit, quidã Presbyteri conueniant, & ſuis ſententijs hominẽ illũ ex viſibili caetu Eccleſiae expellant atq; à ſacramẽtis abſtinere cogant, dũ ſuã eis pœnitentiã probârit.

Hæc

Hęc niſi probes, inaniter verba fundes hac de re. Ex Dei verbo docendi ſunt homines quæ ſit eius erga nos volũtas, quidq; viciſſim à nobis ille poſtulet. Qui his fidẽ habet, ſoluitur: qui contemnit, ligatur. Qui ſalutis annuntiationem putat eiuſdem eſſe collationem, aut irę Dei aduerſus peccatum declarationem, exiſtimat eiuſdẽ eſſe executionem, nimis turpiter errat. Non enim Prophetæ, cum populum in captiuitatem abductum iri promulgarunt, ipſi eum vinctum abduxerunt. Nec miniſter Principis aut magiſtratus, cum Domini ſententiam aliqua de re latam denuntiat, ipſe eam tulit. Quod ſi ſic remittant ac retineant peccata, ſoluant ac ligent homines, quomodo tu vis, non erunt ipſi ſubordinatæ cauſę Dei, ſed alienæ & extra Dei ordinẽ poſitæ. Ergo cum, non Conciliabulum illud Presbyterorum, ſed alius quiuis ebrioſo conuicto ſic prędicat: Ebrioſos pronuntiat Deus non habere partem in regno Dei, niſi reſipiſcant.

Tu Ebrioſus es. Ergo

Niſi reſipiſcas non habebis partem in regno Dei. Hoc, inquam, qui conuicto denuntiat, Dei iudicium denuntiat, fateor. At cum poſtea annectis Syllogiſmum alterum illũ, nihil aliud facis, quàm petis principium: hoc eſt, ſumis vt probatum, quod nec probauiſti, nec probare in ſempiternum poteris. Syllogiſmus tuus hic eſt: Quos pronunciauit Dominus non habere partem in regno ſuo, quamdiu non reſipiſcunt, indignum eſt alia conditione cenſeri in terris in cœtu fidelium. Hunc conſtat talem eſſe, dum ad pœnitentiam reuocari non poteſt.

Reijciatur ergo ex cœtu fidelium donec poenitentiam egerit.

Poſſem vno me hinc verbo expedire ac dicere, me de illis loqui, qui ſe pœnitere, & vitam emendare cupere affirmant, licet ſubinde vel per negligentiam, vel per incontinentiam etiam inuiti relabantur. Sed repetam nihilominus quędam. Si idem ſignificant omnes hæ orationes: nempe Excommunicari: non cenſeri inter fideles in terris: eijci ex viſibili cœ-

tu fidelium: negare alicui ſalutem: ſi inquam prædictæ omnes orationes idem ſignificent, quod hæc ſignificat, denuntiare ſeu declarare alicui voluntatem ac iudicium Dei ex ſacris literis: libenter admitto argumentum. At ſi hæc phraſis, non cenſeri inter fideles in terris, ſignificat aliud, nempe Sacramentorum interdictionem vel ſolam, vel cum alijs quibuſdam pœnis coniunctam, cogita tu ipſe, an, quæ hîc adfers, digna ſint reſponſione. Quatuor tibi hæc ſcripturis firmè ac ſolidè probanda nôris, ſi aliquid obtinere cupis. Primum eſt, Deum pręcepiſſe, vt, quos cœleſti vita ipſe non iudicat dignos, ex viſibili coetu Eccleſiae eijciantur per ſententiam à Presbyteris ad hoc delectis, velut in publico iudicio, per ſuffragia latam. Alterum eſt ad Sacramenta non eſſe admittendos, qui flagitio aliquo ita ſe contaminarunt, vt Presbyteris videantur Deum habere iratum, etiamſi dicant ſe pœnitere, priuſquam Presbyteris illis viſi ſint ſeriò pœnitere. Tertium eſt, Deum velle, vt quos ipſe propter peccata odit, per Senatum Presbyterorũ collecta per ſuffragia ſententia arceantur à Sacramentis. Quartum, cuius ſimiliter probationem abs te expectabimus (vide modo tu, ne fruſtra expectem) hoc eſt, nempe Deum in ſcripturis mandauiſſe talem Senatum Presbyterorum ſub pio Magiſtratu eligere, quorum iuriſdictio alia ſit à Magiſtratus poteſtate: quiq; facultatem habeant turpiter viuentes publica ſententia arcendi à Sacramentis. Quantiſper haec non probaueris, fruſtra tum definitionem tum Theſes noſtras confutare conaberis.

Argumentum ſecundum hoc fuit. (Sic enim recito, vt à te poſita ſunt.) Si excommunicatio definienda eſſet abſciſſione ſalutis, omnes excommunicati perderentur. At multi horum ſeruati ſunt: multi etiam ex illis, qui reſtituti fuerunt ab excommunicatoribus, non ſunt ſeruati. Reſpondes rectè, id tantum eſſe ratum coram Deo, quod Preſbyterium ritè ex verbo Dei decernit. Huic reſponſioni tuæ aſſumptionem hanc addo: At nihil tale ritè ex verbo

Dei

Dei geritur à Presbyterio. Quid ſequatur, non ignoras. Quis fuit vnquam excommunicator, (ſiue Epiſcopus, ſiue Presbiter fuerit) qui voluerit videri iniuſtè egiſſe? Et quis, quæſo te, de iniuria conqueratur? An non ſtatim contumax talis reputaretur, & contemptor ordinis Diuini à cenſoribus iſtis cenſeretur? Sed, vt dixi, reſponſio tua valebit, cum & Presbyterium hoc, & excommunicationem à Deo ordinatam demonſtraueris.

Tertium. Is ſolus ex Eccleſia (ſic videlicet vt ſalus auferatur eiecto) exturbare poteſt, qui corda intuetur. At hoc non poſſunt homines. Amplius ergo facere nihil poſſunt, quàm Sacramentis interdicere. Reſpondes, concedimus Antecedens, & id negamus contra eos facere, qui vt Dei Miniſtri agunt, ex ipſius verbo quicquid agunt: imo fideles Domini συνεργοὶ ſumus, quum quos ipſe verbo ſuo ligari vel ſolui in coelis declarat, ligatos vel ſolutos pronunciamus in terris: hâncque in terris factam promulgationem ratam eſſe in coelis affirmanti Chriſto credimus. Quorſum haec? Non hoc quaerit argumentum, an, quos Deus verbo ſuo declarat ligatos aut ſolutos in coelis, in terris pronunciandi ſint ſoluti aut ligati? & an haec promulgatio rata ſit in coelis? ſed hoc quaerit, an ſic homines poſſint ex Eccleſia eijcere, vt ſalutem abſcindant? vt argumentum refutes, haec te probare oportebit. Primum quidem, ſententiam Dei in coelo ligantis & ſoluentis non poſſe hic in terris ex verbo eius declarari & pronuntiari ab alijs, quàm à Conciliabulo Presbyterorum. Nam ſacræ literæ docent, hanc ex verbo Dei declarationem à quolibet Miniſtro adeóque priuato, cum res poſtulat, fieri poſſe ac debere. Hoc cum negari non poſſit ab eo, qui ſacras literas concedit non ſolis Presbyteris ſcriptas eſſe, probandũ tibi erit ſecundò, Declarationẽ hanc à Presbyteris factam valere; ab alio quolibet factã non valere. Tertiò, Deum præcepiſſe conſeſſum talem eligi,

qui coacto concilio conſentientibus ſuffragijs ſoléniter denuntiet ac promulget Dei ſententiã in Coelis factam. Magiſtratum in ſcripturis inſtitutum reperio, qui de ſceleribus cognoſcat ac puniat. Presbyterio veſtro hanc datam poteſtatem ſub pio magiſtratu nuſquam legi. Quartò, Deum nolle quenquam inuiſibilis Eccleſiæ conſortio viuere, qui non ſit membrum internæ quoq; Eccleſiæ. Suprà oſtenſum eſt, multos à Deo in coelis repudiari, quos tamen in externa communione in terris ferat. Quinetiam ἀδικίαν & ἀνομίαν operantes, quos ſe fatetur non cognouiſſe, non tantum tolerat in Eccleſia, & coràm ſe epulari ac bibere ſinit, verumetiam donis expellendi Dæmonia aliáq; miracula faciendi ornat. Matt. 7. & Lucæ 13. Quintò, hanc diuini iudicij renunciationem & interpretationẽ idẽ eſse cum interdictione Sacramentorũ. Sextò, promulgationem ſententię à Deo latae in coelis idem eſſe cum eiectione ex Eccleſiae viſibilis ſocietate. At hanc non eſſe idem cum illa, & per ſe notum eſt, & ex dictis tuis conſtat, qui hanc ex illa colligi ſupra dixeris. Haec, inquam, cum ex ſcripturis euidenter probaueris, argumentum te noſtrum refutauiſſe fatebor: nunc te ad rem attinens nihil reſpondiſſe liberè dico.

Quartum argumentum. Apoſtoli eos qui fidem retinuerunt, & Chriſtianam doctrinam non vituperarunt ac proſciderunt, propter admiſſa flagitia non condemnarunt eiectione ex Eccleſia, extra quam ſalus nulla ſit, ſed corporalibus quoſdam ex his poenis affecerunt. Ad hoc reſpondendo quaeris, an exiſtimam Petrum, quum à manuum impoſitione Simonem Magum repuliſſet, eundẽ ad κοινωνίαν corporis Domini niſi manifeſtè reſipiſcentem, admiſſurum fuiſſe? Et quî ob animĩ peruerſitatem, addis, ſic repellitur à Spirituſſancti donis, vt dicatur nec partem, nec ſortem habere in Euangelij prædicatione, quî tandem ad menſam Domini, niſi reſipiſcentiam teſtatus, admitti potuit? Iterum nihil ad argumentum reſpondes.

Quoniam longè aliud fuit manuum impoſitione Spiritum Sanctum, ſiue donum edendi miracula donare, &

vſum Sacramentorum permittere. Sanè Samaritani, de quibus in hoc 8. Act. cap. agitur, Chriſtiani fuerunt facti ac baptizati, priuſquam ad eos Petrus & Iohannes deſcendiſſent, vt impoſitis manibus virtute miracula edendi ſupernè ornarentur. Omnes Sacramentis vti oportuit, qui ſe Chriſtianos eſſe profiterentur: at non omnes miraculis clarere oportuit, 1. Cor. 12. Videtur hoc donum ferè ſolis Apoſtolis, aut certè non multis alijs à Deo conceſſum, vt manuum impoſitione Spiritusſancti vim prædictam hominibus impetrarent. Poſt Apoſtolos ceremonia tantum videtur fuiſſe, qua certi quidam in munere aliquo confirmarentur. Paulus certè hortatur Timotheum, ne facilè vlli manus imponat 1. Tim. 5. Quocirca non ſequitur, negata huic fuit manuum impoſitio. Ergo non eſt ad Sacramenta admiſſus. Itaq; nihil hoc exemplo probas.

At excipies ac dices, Simonem Magum nec partem nec ſortem habuiſſe in prædicatione Euangelij. Reſpondeo tantò minus ſeruire tibi eius exemplum poſſe. Nos enim de illis loquimur, qui doctrinam veritatis perceperunt ac tenent: quam Magum non tenuiſſe aut non retinuiſſe hoc ſatis probat, quod argento Spiritusſancti dona comparari opinatus eſt: quodque non pro ſe petiuit, ſed vt alijs, (accepta pecunia) dare iterum poſſet. Item quod Petrus dicit ſe videre in eo mentem non rectam coram Deo, ſed plenam felle amariſſimo, & ſceleribus irretitam. An & vos hoc pacto hominum animos repentè iudicare poteſtis? Deinde non ſcribit Lucas Petrum ad Magum dixiſſe, eum partem nullam habere in Euangelij praedicatione, ſed in eo, de quo agebatur. Mox enim hortatur ad poenitentiam, quod tuæ aduerſatur oppoſitioni. Praeterea loquimur nos de illis, qui Sacramentis vti cupiunt, non de contemnentibus, aut non ſatis dignè de eiſdem ſentientibus. Quod ſi doctrinam retinuiſſet Magus, atq; verbis primum, deinde etiam Coenę petitione dolorem ſuum teſtatus fuiſſet, (vt cum baptizatus eſt fidem teſtatus fuit) non audeo dicere Petrum Caenam ei negaturum fuiſſe. Equidem

dem hortatur eum ad reſipiſcentiam & ad preces, an forte Deus illi remittere peccatum vellet. Quicquid de hoc ſit, de quo neque ego, neque tu, certi aliquid dicere poſſumus, conſtat exemplum non aduerſari noſtræ ſententiæ, ſed tuę definitioni: quæ ponit excommunicationem eſſe ſententiam Presbyteris in nomine Domini congregatis pronunciatam: quale hîc nihil factum legimus. Hoc legimus, Petrum, Deo nimirum ipſi hoc reuelante, ex vna iſta Magi petitione mentem eius prauam cognouiſſe, quam Philippus antè, cui tamen ſemper adhaeſerat, cognouiſſe non legitur. Multa donauit Deus Apoſtolis, quae perperam alijs quoque tributa putemus.

Quintum argumentum. Aliqui ex peccatoribus excommunicatis ſub vitæ finem demum reſipuerunt, piéque mortui ſunt. Ergo cum ex Eccleſia expulſus aliquis dicitur, è ſocietate externa, non interna & ſpirituali, eiectus, eſſe dicitur. Senſus eſt, cum conſtet aliquos morituros demum reſipuiſſe, piéque in Domino occubuiſſe, conſtat illud etiam, tales, ſi ab Eccleſia reiecti cogitentur, non fuiſſe à ſpirituali Chriſti ſocietate expulſos. Non enim fuiſſent ſeruati. Ad hoc reſpondes. Antecedens concedimus, conſequens negamus. Etſi enim intelligere homines non poſſunt, quibus videlicet & quo momento Deus ſit daturus reſipiſcentiæ ſpiritum, tamen ea res nihil officit ordinario Miniſterio: quo iubentur oues paſcere, tum famelicas ad pabulum deducendo, tum aberrantes, ſi patiantur, blandè, ſin minus periculi denunciatione & pabuli moderata ſubductione, in viam reducendo.

Si per ſubductionem pabuli intelligis verbi aut Sacramentorum negationem, de tuo hoc dicis, non loqueris cum ſcripturis, quæ nuſquam iubent pabula haec ſubducere. Venio ad argumentum: Conſequens mei argumenti hoc eſt.

Excommunicato, qui in Domino obdormiuit, per excom-

excommunicationem non fuit adempta ſeu abſciſſa ſalus. Ex hoc deinde ſequitur: illum ab externa tantum, non autem interna Chriſti ſocietate ſecluſum fuiſſe: ac proinde excommunicationem non eſſe definiendam, ſalutis negatione. Quomodo, quaeſo te, conſequens negas, quo verius eſſe nihil poteſt? Homines non intelligunt, ais, quando Deus ſit daturus ſpiritum reſipiſcentiæ: at hoc Miniſterio non officit. Concedo omnia. Addis deinde: At paſtor famelicas oues ad pabulum deducere (Cur ergo petentibus Sacramenta ſiue pabulum, tu ſubducis ac negas? Nos enim de petentibus agere audiſti) errantes aut blandè, aut ratione alia licita, (Nam ſi per ſubductionem pabuli intelligis negationem Verbi & Sacramentorum, toto erras cœlo) reducere debet. Concedo hoc quoque. An propterea, qui in Domino eſt mortuus, ſi fuerat excommunicatus, non eſt ſaluus? Ipſe tu, & rectè quidem, adducis verba mea, quibus probare volui excommunicationem non eſſe abſcisione ſalutis definiendam: ac proinde excuſare te non poſſum: niſi fortè idem putâris eſſe conſequens negare, & conſequentiam. At hic error nimis craſsus foret. Cogita poſthac diligentius quid & quomodo reſpondeas, ne dormiuiſse puteris. Conſecutionem, quam tu hîc non oppugnas, oppugnare autẽ ſi ſcisses, voluiſſes, puto, breuiter probabo. Faciã eò libentius, quod ſimul etiã reſponſum erit illis, quę contra ſextum & ſeptimum argumentũ adfers. Quiſquis iudicio Diuino in cœlis facto non eſt prorſus ab interiore & ſpirituali Chriſti cõiunctione ſecluſus, is, ſi excõmunicetur, tantũ ab externa eccleſiæ cõmunione abiungitur, ſalute non excidit. Ceterũ quiſquis tandem verè reſipiſcit (ſiue citò ſiue tardè fiat) nunquã fuit à Chriſti occulta ſocietate omnino auulſus. Talis ergo tãetſi excõmunicatus eſſet ab Eccleſia, nõ prorſus exciderat ſalute ſua, hoc eſt, excõmunicatio ei ſalutẽ non ademerat. Niſi hoc modo res habeat, irrita erit electio diuina. Periret enim qui electus eſt ad vitã ſempiternã. Penderet eadem ex vita factiſq; noſtris.

Falſa eſſet doctrina de Sanctorum perſeuerantia & electione: quam tu infra apertè aſtruis. Quanquam verò ibi emplaſtro quodam tegere conaris, nihil tamen efficis apud intelligentes. Et ne hoc quidem excuſat, quod non purè, ſed cum conditione dicitur ei ſalus negata fuiſſe: propterea quod à Deo in coelis abiectus nunquam fuit, quantumuis aliter viſum eſſet hominibus.

Conſideretur exemplum Dauidis, qui multis menſibus in ſcelere ſuo haeſit. Is, ſi tunc Excommunicatus fuiſſet, dum ſibi adhuc in facto ſuo blandiretur, non tamen ſalute ſua excidiſset. Illuſtrius adhuc eſt exemplum Manaſſis Regis: quo vix vllus fuit nequior. Is tamen Piè creditur mortuus. Quapropter non fuit abſolutè ſimpliciterque à Deo in coelis damnatus. Nec refert vtrum excommunicetur aliquis, an dignus ſit Excommunicatione. Idem enim ſemper iudicat Deus, ſiue Eccleſia loquatur ſiue ſileat. Certè qui hodie ſimile aliquid faceret, à Presbiteris omninò excluderetur, ſiue electus eſſet apud Deum, ſiue non electus. Quod ſi electus eſſet, ſalutem ei non tollerent ſua ſententia Preſbyteri tui.

Secundò dare alicui ſalutem, conſortium Chriſti internum, & huius generis alia, an non ſunt res ſpirituales, caeleſtes, & Diuinæ, quas praeter Deum conferre nobis nulla poſſit creatura? Sanè ita res habet. Ergo nec auferre talia à nobis poſſunt homines. Quippe eiuſdem poteſtatis eſt, dare & auferre haec caeleſtia dona. Quod etiam homines talia dicuntur dare, ita eſt accipiendum, vt ex verbo Dei cogitemus foris nuntiare & explicare, quae intus facit Deus, vbi, quando, quantum, quomodo ipſe vult. Homo eſt internus & externus: Miniſter externus & internus: Miniſterium externum & internum: verbum externum & internum: conſtant etiam Sacramenta rebus externis & internis. Duę ergo ſũt συζυγίαι ſeu συστοιχίαι, vna externorũ, altera internorũ: quę ſine pudẽdo & fœdo erore confundi permiſceriq; nunquã poterunt.

Non.

Non ſunt etiam ſic inter ſe nexa externa & interna, vt altera ſine alteris non reperiantur. Non quiſquis externè baptizatur aqua, internè abluitur. Non quiſquis panem Domini edit, Dominum edit. Non quiſquis Chriſtum annuntiari audit, Chriſtum induit. Non quiſquis ſalute excidiſſe pronunciatur ab hominibus, à Deo quoque condemnatur. Non quiſquis ab vſu Sacramentorum externorum repellitur, re Sacramenti à Deo priuatur. Summa eſt, homines plantant ac rigant, Deus ſolus dat incrementum, vbi, quando, quibus, quantum, quomodo, ipſi bonum iudicatur: non quomodo Miniſtris externis placet.

Tertiò, par eſt poteſtas ligandi & ſoluendi, adeò vt qui altera caret, vtraque careat: & qui vnam habet, ambas habeat. Ergo ſi conſtiterit, presbyteros in ſoluendo excommunicatum, non dare ſalutem, conſtat etiam eoſdem ligando non adimere ſalutem. Tam autem certum eſt prius illud, vt Pontificij ſcholaſtici id negare auſi non fuerint. Itaque valdè ſe aliqui torquent, vt ſacerdotem aliquid amplius facere doceant, dum à Deo prius ſolutum abſoluit, quam quòd in externam Eccleſiæ ſocietatem interim recipit. Tandem poſt longas concertationes & varias molitiones in eo ipſo acquieſcunt, internorum bonorum ex eo nihil ei accedere. Hinc aliqui auſi ſunt affirmare, Excommunicationem nil eſſe aliud, quam figmentum presbyterorum: quod ipſimet teſtificantur. Sic igitur concludo. Qui excommunicatum ſoluit, non plus ei dat, quam quod permittit eum externæ Eccleſiæ communicare: Ergo qui excommunicat, nihil aliud facit, quam quod prohibet ritibus Eccleſiæ participare.

Quartò, contradicis tibi ipſe, dum hoc negas. Etenim contendis neminem ritè excommunicari, niſi prius à Deo excommunicatum, adeo vt niſi diuina præceſſerit, humana irrita ſit & fabuloſa. Addis hoc etiam, eam nil aliud eſſe, quam diuinæ in cœlis factæ promulgationem. Quæ ſi ſunt vera, non tollit ſalutem humana Excommunicatio, ſed declarat ſolummodò quid Deus hac in parte fecerit in cœlis. Cæterũ indicare quid alius decreuerit ac iudicârit, non eſt idem illud decernere

&

& iudicare. Supra expoſui, quid interſit inter eos, qui de re aliqua ſententiam cum autoritate ferunt, & eos, qui ab alijs latam promulgant. Euidenter igitur probatum à nobis eſt, excommunicatores amplius nihil facere poſſe, quàm à Sacramentis arcere: quatenus è ſocietate externa Eccleſiæ dicuntur aliquos eijcere. Quocirca facilè ſe tutabitur argumentum noſtrum aduerſus tuas reprehenſiones.

Addam his teſtimonium D. Lutheri, qui in ſermone de excommunicatione Tomo German. 1. folio 239. hæc habet. Excommunicare non eſt, vt quidam opinantur, animam Satanæ tradere, & precum fructu à pijs factarum ſpoliare. Nam vbi vera fides & charitas in corde remanent, etiam vera communio Dei, vt precum Chriſtianitatis fructus permanent: poſtquam aliud eſt excommunicatio, nec fieri aliud poteſt, quàm priuatio externi Sacramenti aut commercij cum hominibus: ac ſi in cuſtodiam traditus externa amicorum conſuetudine priuer, amore & fauore eorundem interea non ſpolier. Audis hîc excommunicationem non damnare, aut interiorem cōmunionem nobis Chriſti & Eccleſiæ inuiſibilis adimere, ſed ab externa tantū ſocietate excludere? Audis etiam eam nec aliud eſse, nec aliud fieri poſse, quàm externi ſacramenti ſeu viſibilis ſigni (commercij negationem hûc non pertinere firmè probatum videbis, ſi noſtra perleges) ſpoliationem: Si ergo rem internam & cœleſtem, corpus Chriſti pro nobis crucifixum, nobis non eripit, quo pacto ſalutem abſcindit? Non cito D. Lutheri teſtimonia, vt mea eis probem, ſed vt videas adeo eſſe aperta & clara, quæ dico, vt neminem Theologum latere debeant.

Quod deinceps carpere videris, quod Miniſtrorum actiones externum quid eſſe dico, quàm ſit incongruum ex recitatis facilè poteſt perſpici. Verba tua ſunt. Hanc piam & ab ipſo Deo gregis ſui gubernatoribus præſcriptam ſolicitudinem (ſcilicet oues famelicas ad pabulum deducendi, errantesq́; in viam reuocandi) externū quiddam eſſe quàm diu voles, arbitraberis. Ego adhuc putaui Miniſtrum externum, externum verbum, & externa ſigna, externo offerri homini, nunc verò videor mihi videre, vos externis non velle contentos eſſe: tametſi in re-

ſponſione

ſponſione ad 3. argumentum ſcripſeris; vos vſqueadeò amentes, aut impios non eſſe, vt, quod vnius Dei eſt, vobis arrogetis. Hoc ſi verum eſt, quid mihi ſuccenſes, quod excommunicatores ſalutem nulli præſcindere poſſe affirmo, ſed externa ſolùm agere contendo? An ſalutem dare non ex illis eſt, quæ vnius ſunt Dei, nullius creaturæ? Dicis legitima veri presbyterij iudicia non ſecus formidanda, quàm ſi ex ore ſuo pronunciaſſet Chriſtus. Idem nos etiam arbitramur: ſed tuum illud presbyterium nondum probaſti à Deo ordinatum: nec oſtendiſti iudicia hæc, de quibus inter nos diſputamus, eſse Dei verbo conſentanea. Quare dicis tantum multa, ſed probas pauca. Sic cum à ſacramẽtis prohibitum, à re quoque ſacramenti, id eſt, Chriſti communione prohiberi aſſeris, abſque ſcripturis loqueris. At hoc modo loquenti tibi fidem non habemus: imò quod vnius Dei eſt, imprudenter te hominibus tribuere affirmamus.

Cap. II.

De Gradibus ſeu partibus Excommunicationis.

NOſtram definitionem bonam & concinnè conſtitutam: tuam autem ingentibus erroribus refertam demonſtrauimus, nunc quid in partitione noſtra accuſes conſideremus. Primum eſt, nos perperam duos gradus excõmunicationis poſuiſſe: cum tres ſint apud vos eccleſiaſticæ cenſuræ gradus. Ego neq; quot apud alios, neque quot apud vos ſint cenſuræ eccleſiaſticæ ſpecies & gradus quærendum mihi vnquam putaui: ſed hoc ſolum inueſtigare propoſitum habui, quot eſſent excommunicationis gradus. Huius duos eſſe apud vos inueni: & duos etiam apud Pontificios: quanquam alia ratione hi duos faciant. Supra ex tuiſmet verbis duos eſſe oſtendi. Commonefactionem & mulctam inter excommunicationis gradus collocare non debui, cùm, qui eo modo increpatur aut mulctatur, non putetur ab vllo priuatus communione

fidelium

fidelium. At cui ſacramentorum vſu interdicitur,is iam pro abiunĉto à pleriſque omnibus habetur. Proinde ne hic quidem iuſtam vllam cauſam habuiſti contradicendi. Aſſeris non meminiſſe te plures duobus excommunicatos intra decennium, mulierem, & fœneratorem. Aut igitur Iohannes Morellus anno 63. à vobis excommunicatus, ille fœnerator fuit: aut in ſcripto Magiſtratus continente ſententiam de exuſtione libri, cauſa hæc omiſsa fuit. Mirarer ſi tam ſplendidi & luculenti aĉtus tam citò potuiſses obliuiſci. Sed ad rem noſtram.

Pontificios dixi haud reĉtè introduxiſſe excommunicationem maiorem, quæ ab omni licito aĉtu excludit. Hanc tu, tametſi ea non vtamini, non ſimpliciter damnandam cenſes, cum expreſſo Dei verbo nitatur. Arbitror tibi nondum excidiſſe, me de excommunicatione illorum agere. Qui doĉtrinam approbant, & tantum non viuunt, quomodo Chriſtianos decet. Iam videamus tuas rationes.

ARGVMENTVM I.

Immundos, ais, ab ipſo templi aditu prohibitos fuiſſe, non inficiaberis. Et cum excipis hoc externum quiddam fuiſſe, nihil nobis quidem dicere videris, quod contra te non faciat, vt alibi nos oſtenſuros ſperamus. Alterutrum enim fatearis oportet, vel deteſtabiliorem fuiſſe coram Deo externam, quàm intrinſecam pollutionem, vel hac, quàm illa, pollutos, etiam habitos fuiſse impuriores. Reſpondeo, me non inficiari quidem, quin ab aditu templi prohibiti fuerint immundi: (hoc enim ſcriptura teſtatur) Sed ex hoc ſequi, quod tu vis, nempe propter vitam improbè aĉtam arcendum aliquem nunc eſse à ſacris ritibus, conſtanter nego: & quidem ijs permotus rationibus, quas tibi facilius ſit contemnere, quàm refellere. Verùm de hac re copiosè diſseremus, cum huc nos tu, ſicut promittis, retrahes: in præſentia breuiter tantum indicabo, cuiuſmodi argumentator ſis. Argumento ab immundis ſub lege

duĉto

ducto vis oſtendere excommunicationem maiorem, quæ actum omnem licitum prohibet,atque excommunicatum æternæ damnationi addicit, niti ſcripturis. An immundi ſub lege pro damnatis habebantur? An ab omni actu licito prohibebantur? An ab omnibus Sacramentis arcebantur? Non ita habet. Etiamſi immundus aliquis moreretur, de eius tamen ſalute ob id nullus dubitabat, cum ſanctiſsimus quiſque ſic mori poſſet nempe Gonorhoea laborans,apud mortuū cubans. Item mulier aut menſtruis,aut profluuio altero ægrotans, aut leproſus. An non Sacramentum expiationis ſub poena exitij cogebantur etiam immundi lugendo celebrare? An non Sabbatha tenebantur obſeruare? Sed de his poſtea: nunc tua expendamus. Non recordor me ſic argumentatum, quia videlicet legalis immunditia externum quiddam fuerit,non potuiſſe eam ſignificare impuritatem vitæ morumque. Argumentum in hoc loco tuum tale videtur eſſe. Sceleribus polluti impuriores erant pollutis ſub lege. Ergo cum hi arcerentur à ſacris ritibus, multò magis vitijs contaminati repellendi fuerunt. Si eadem poena,& non diuerſis affici Deus iuſsiſſet vtroſque,conſequeretur certè impuriores magis prohibendos à templo fuiſſe minùs impuris. Similis tua eſt ratiocinatio huic, vt poſtea clariſsimè perſpicietur: Carbonario vel alio quopiam homine ſordido, qui ſua ſorde tangentes inquinet, impurior eſt ebrioſus, fur, aut homicida: Ergo mundis induti veſtibus homines multò magis furem fugient, ne contactu eius veſtes ſuas contaminent, quàm Carbonarium. Certè vt veſtibus caueamus, magis fugimus Carbonarium veſtes habentem carbonum puluere oppletas, quàm furem mundis veſtitum indumentis.Porrò ſimilia eſſe hæc argumenta poſtea euidentiſsimè demonſtrabo.

Et quorſum, ais, ſacrificia illa pro peccatis, niſi vt publica eſſent reſipiſcentiae teſtimonia? Ego viciſſim quaero ex te, quorſum hoc adducas argumentum? Statuiſti probare excommunicationem maiorem niti ſcripturis,& vteris hoc argumento:qui ſic peccarunt apud Iudaeos, vt certa peccato paena nulla eſset conſtituta à Deo, ij iuſsi ab eodem ſunt iſtiuſmodi peccata

peccata, certis expiare ſacrificijs: ergo licet peccatores ab omni legitimo actu prohibere. Ecquis hæc patienter in tam graui cauſa audiat à te cum authoritate dici? An erat excommunicatus, qui, quoties & quando vellet, ad templum ire poterat, vt ſacrificium Deo pro commiſſo à ſe peccato offerret? Hoc ipſe, quod ad expiandum peccatum iubetur adferre ſacrificium, non excluditur à ſacramentis, ſed ad ea inuitatur. Nam omnia hæc ſacrificia erant vera Sacramenta. Quomodo ergo ad ſtabiliendam Excommunicationẽ tu hæc producis? Quomodo aditu templi prohibitos fuiſſe? aut exemplo eorum Maiorem Papæ Excommunicationem aſtruere tentas? At ſaltem oportebat tales, inquies, in ſignum pœnitentiae ſacrificare. Concedo, ſed ad rem noſtram quid hoc attinet? Quin & apud nos idem fit. Sicut enim illa ſacrificia declarabant offerentem peccauiſſe, & peccati pœnitere: ſic qui ad coenam apud nos acceſſurus eſt teſtificatur, prius ſe poenitere peccatorum, gratia Dei egere, inque morte Chriſti ſalutem ſibi quærere, adeóque ſic affectum eſse vt Chriſto dignam velit deinceps vitam viuere. Ergo quocunque vertas argumentum tuum nihil probat.

Ob ſchiſmata, hoc eſt, grauia offendicula inquis ſunt eiecti è Synagogis homines, id eſt, à ſacris omnibus conuentibus prohibiti ſunt: qui mos à Chriſto reprehenſus minimè probari manifeſtè poteſt. Nam ſi in priuatis nec alioqui manifeſtis delictis iubet Eccleſiæ rebellem haberi velut Ethnicum & Publicanum, multò magis id voluit fieri in publicis criminibus. Poſt hæc multis probas Ethnicis nefas fuiſse templum ingredi: Iudaeoſque cum illis vitae conſuetudinem nullam habuiſse: quæ minimè erat neceſse probare. Nihil enim in ſacris literis apertè ſcriptum probationis eget apud vos. Reſpondeo breuiter, falſiſsimum eſſe, quod dicis ἀποσυνάγωγον fieri, idem ſignificaſse ac à conuentibus ritibúſque ſacris omnibus prohiberi. Interpretatio hæc non eſt ſcripturae, ideóque à me non recipietur. In ſempiternum non docebis ex ſacris literis, non licuiſse illis, qui ex Synagoga aliqua fuiſsent eiecti, in-

gredi

gredi in templum Hieroſolymitanum, conſuetáque ibi cum caeteris celebrare Sacramenta. Quare meræ nugæ ſunt, quæ hoc loco profers. Quid ſit aliquem vt Ethnicum & Publicanum habere, cum ad 18. Cap. Matth. peruentum fuerit, exponam: & probabo ibidem, te verba hæc peſsimè interpretari.

Paulus optimus Chriſti interpres prohibet cum nomine tantum fratribus cibum capere, 1. Cor. 5. Cuius loci ſenſum vt quis in omnes formas conuertat, nunquàm probabiliter, nedum neceſsariò euicerit, dignos conuentibus ijs, qui ad fidei confeſsionem ſpectabant, habitos fuiſſe, quibuſcum priuatæ vitæ vſus nefarius cenſeretur. Quae de haereticis ex 3. cap. Epiſt. ad Titum allinis, ad nos non pertinent. Ego mihi perſuaſi, me veritatis amatoribus, quos agnitum errorem reuocare non pudeat, perfacile demonſtraturum eſſe, ex hoc loco id non ſequi, quod tu ſequi opinaris. Primum quidem non dicit Paulus non admittendos tales, ſi quidem admitti cupiant ad auditionem verbi, ad preces, ad caenam Dominicam, denique ad legitimos & à Deo praeceptos ritus actúſque alios. Quod ſi de excommunicatione loqui voluiſset, longè breuius & apertius dixiſſet, arcete eum à Sacramentis: aut tradite enim Satanae, vt vos hanc rem exponitis. At non hoc iubet, ſed ne commiſceantur (hoc enim eſt *συναναμίγνυσθαι*.) id eſt, imperat ne familiariter & coniunctiſsimè cum talibus viuant. Cauſae huius rei duae ſunt: vna, vt, qui peccauit, pudefiat ac corrigatur. Nam qui ſe ab aliquibus vitari videt praeter morem, hoc ipſo ſceleris argũi ſe intelligit, ſicque pudefactus vitam emendat. Altera, quod ex familiari malorum conuictu, qui boni ſunt, corrumpuntur: & ab aliis tales iudicantur, quales ij ſunt, quorum arctiore ſocietate vtuntur: qui autem mali ſunt, hoc ipſo in malo confirmantur. In Sacramentorum vſu contraria modò eueniunt omnia. Quippe horum frequens vſus nec vtentem, nec ſpectantes aut præſentes reddit deteriores: ſed augentur magis in vtriſ-

que ſpiritusſancti dona. Sunt enim adminicula quædam infirmitatis noſtræ, & inuitamenta ad pietatem cultumque Dei. Hinc fit, vt horum neglectio neque pudefaciat praue agentes, neque negligentes reddat meliores, ſed eoſdem deteriores efficiat.

Secundò, diſcrimen eſt longè maximum inter ea, quæ Deus toti Eccleſiæ inſtituit, quæque ab omnibus vult obſeruari: & ea quæ priuatis pro loco & tempore præcipit ſeruanda aut fugienda. Etenim hæc illis nihil derogant, quando non pugnant inter ſe, ſed ſimul ab eodem ſeruari poſſunt. At non pugnare, Sacramentis cum aliquo vti, & ſocietatem eius priuatam, præſertim arctiorem, fugere, certo eſt certius. Etenim non me iubet Deus cum omnibus Eccleſiæ membris συναναμίγνυσθαι, at ſacramentis ab ipſo inſtitutis, iubet me cum Eccleſiæ membris omnibus vti. In ſacramentorum præterea vſurpatione iubeor meipſum explorare, non alios: at in conuictu & ſodalitate priuata intueri debeo alios, vt & lucrer eos, ſi praui ſint, & conſuetudine eorum ipſe non deprauer. Præcepit Deus, vt ſceleribus inquinatos propter prædictas cauſas vitem in rebus & negotijs priuatis: in publicis à Deo ordinatis ritibus vitare eos non me iubet. Adde quod manifeſtè imperat Paulus, ne talem hoſtis loco habeamus, ſed velut fratrem inſtruamus, 2. Theſ. 3. vult ergo, vt in rebus ad cultum Dei & ſalutem proximi ſpectantibus eum non perinde vitemus, atque in ijs, quæ ad priuata commercia attinent. Immò ne conuictum quidem prohibet, ſi νουθετεῖν quam iſtic præcipit, inſeruiat: ſanè excommunicare eum non vult, quem velut hoſtem habere vetat.

Tertiò conſtat, Apoſtolum, vt qui ſecta Phariſaeus fuiſſet, non ignoraſſe Iudaeorum mores. Norât itaque Publicanos à pleriſque omnibus Iudæis, inprimis autē à Phariſæis ſic fuiſſe deuitatos, vt nō modò à familiaritate conſuetudineque eorum abſtinerent, verumetiam cibum cum illis capere religionem eſſe putarent: & nihilominus neque à templo, neque ab alio cultu prohibitos fuiſſe.

Quod

Quod cum hoc etiam loco Apoſtolus iubeat, facilè liquet, ad conſuetudinem vitæ priuatam pertinere hoc eius præceptum, non ad Eccleſiaſticos actus. Non tantum debetis, inquit, arctiorem talium ſocietatem vitare, ſed etiam conuictum. Quod hactenus tenendum monet Apoſtolus vt ſuo prius exemplo Chriſtus nos docuit, quatenus is non inſeruiat correctioni fratris. Quocirca non poteſt vlla ratione oſtendi, Apoſtolum exiſtimaſſe ita inter ſe duo hęc connexa fuiſſe, vt alterum ſine altero eſſe non poſſet. Dum igitur alterum iubet, alterum non iubet, nemo vtrumque eum iubere voluiſſe affirmare debet. Hoc factum Iudæorum ita tuam interpretationem refellit, vt ſolùm ſufficere veritatem quærentibus poſſit.

Quartò affirmat expreſſè Paulus in Actis coràm Feſto, & aliâs quoq;, ſe contrà legem Moſis nihil peccauiſſe. Quinetiam Iudæi nullius eum tranſgreſſionis accuſarunt, quàm quod Græcos in Templum introduxiſſe mentiebantur. Cęterum Lex Moſis iubet omnes Paſcha concelebrare mundos ſecundùm legem: nec excipit moribus inquinatos, ſed & Chriſtus ad agni eſum Iudam admiſit: & cum in eius locum cœnam ſuam inſtitueret, omnes iuſsit ea vti diſcumbentes, id eſt, Chriſti diſcipulos ſe profitentes (Repræſentarunt enim diſcipuli totam Eccleſiam) dicens, bibite ex hoc omnes. Hac de cauſa ex Corinthiorum cœna nullos, etſi permulti eſſent mali, excluſit. Ex quibus omnibus perſpicuè patet, firmeque probatur, Paulum, dum bonis mandat, ne arctiore ſocietate cum flagitioſis viuant, peccatoribus vſu Sacramentorum, ſi modò vti cum alijs optaſſent, non interdixiſſe. Quippe ſemel contrà Moſis Chriſtique legem id egiſſe videretur.

Poſtremò quid eſt opus longa expoſitione, cum ipſemet Apoſtolus ſuo facto ſe exponat? Certè in eadem Epiſtola recenſet magnum Catalogum vicioſorum hominum, quorum nullum iubet à cœna Dominica remoueri. Quid poteſt exſpectari clarius & certius? Quorum cap. 5. priuatum commercium iubet fugere: eoſdem paulò poſt 11.

cap. ipſe non modo ad cœnam Domini admittit, verumetiam mandat, vt ſeipſum vnuſquiſquis exploret, qualesquales alij ſint. Aliud eſt malorum fugere conſuetudinem, & aliud Sacramentis à Deo donatis cum cæteris vti. Hîc cùm Deo nobis res eſt: ibi cum hominibus. Hîc ſuam vnuſquiſq; conſcientiam Deo probare debet: qualis aliorum ſit, quærere non debet. Si enim nefas eſſet cum improbis cænam Domini edere, non iuſſiſſet Apoſtolus vnumquemq; ſeipſum probare, ſed iuſsiſſet nos alios probare, ne pollueremur. Eodem ſpectat, quod mox addit, indignè edentem iudicium ſibi edere, non alijs. Ergo vt huius loci ſenſum in omnes formas conuertas, nūquàm tamen vel ipſomet Paulo interprete ac Iudice tuæ opinioni ſuffragabitur, ſed de hoc loco poſtea iterum diſſeretur.

Nunc ad ſolutiones tuas ad quatuor argumenta illa, quibus me putas maiorem Papiſtarum excommunicationem confutare voluiſſe, venio. Libet tamen prius monere, me non accuſauiſſe, quia gradus fecerunt, quod etiam vos facitis. Species plures non eſſe ex meis Theſibus liquet. Nam ſi excommunicatio eſt prohibitio rei alicuius propter quam is, cui negata eſt, non exiſtimetur porrò membrum eſſe exterioris Eccleſiæ, ſola Sacramentorum negatio vocari poterit excommunicatio. Quoniam quæ præterea poſſunt nobis negare homines, accidentia eius ſunt, ad ſubſtantiam non pertinent. D. Lutherus etiam in artic. ad Concil. Mantuan. indictum ait, Maiorem excommunicationem, vt Papa nominat, pro pœna politica tantum habemus. Idem, niſi fallit memoria, repetiuit in admonit. ad Eccleſiaſt. Auguſtæ Anno 1530. in Comitijs collectos. Deinde non hoc reprehendi, quod vnam dicunt altera grauiorem eſſe: ſed quod maiorem interdictione templorum & actus cuiuſlibet liciti definierunt. Miror vehementer, cur tibi libuerit meam ſententiam oppugnare, cum eandem mecum probes. Scribis enim te cenſere aliter de ſimplici verbi auditione: à qua ne eum quidem putes arcendum eſſe, qui Satanæ traditus eſſet. Sanè ego in Theſibus nullam rem

aliam

aliam damnati nominatim, vt ex probatione mea patet. Perperam ergo Papiſtæ ab auditione verbi ac templis depellunt excommunicatos, quod ego volebam.

Sed age, poſtquam ſic pruris contradicendi ſtudio, vt tuam-ipſiusmet ſententiam euertere non dubites, quod tuarum rationum pondus ſit expendamus. Argumentum meum hoc eſt. Ab auditione verbi Dei ſeu concionibus publicis, lectione eiuſdē ac precib⁹, nullus arcendus eſt, qui intereſſe cupiat, vt ex 1. Cor. 14. cap. manifeſtè probatur. Peccant igitur Papiſtæ, cum maiorem excommunicationem horum prohibitione definiunt. Reſpondes, profanos admiſſos fuiſſe: at vel ἀποσυναγώγους factos à Iudæis, vel Satanæ traditos à Chriſtianis, ad eos conuentus, qui communis fidei profeſsionis cauſa inſtituti erant, admiſſos fuiſſe negas abſque reſipiſcentiæ teſtimonio.

Simili vbique fœlicitate diſputas, hoc eſt, fortiter affirmas, at timidè probas. Nego tibi è Synagogis eiectos ad templum & ſacrificia ritusq́ue alios à Deo per Moſen inſtitutos non fuiſſe admiſſos. Scriptura contrarium planiſsimè tradit in exemplo Matthæi, & Publicani apud Lucam cap. 18. necnon in hiſtoria Adulteræ apud Iohan. 8. denique in Chriſti Apoſtolorumq́ue ſuorum, inprimis autem Pauli hiſtoria. Vndè ergo tu opinionem tuam probabis? An idem fuerunt Synagoga & Templum? At ipſe tu hîc dicis profanos in Synagogam admiſſos vt ex aliquot Lucæ teſtimonijs conijcias: quum in Templum ingredi profanos nefas eſſet. Quomodo ergo ſi idem non fuerunt, eiectos ex Synagoga etiam eiectos ex Templo fuiſſe affirmas? Quomodo etiam profani homines, qui temet-ipſo affirmante in Synagogas intromittebantur, non etiam in Templum ingredi ſinebantur, ſi eadē erat huius & illarum ratio? Imò quomodo probabis tu, ex vna Synagoga eiectos, ex alijs (Nam plures erant Synagogæ non tantum in diuerſis vrbibus, ſed nonnunquam in vna eademq́; vrbe) etiam fuiſſe excluſas? Ex ſcriptura oppoſitū colligimus, quod tum probabimus, cum quid ex Synagoga

expellere ſignificet, explicabimus. An à Chriſtianis poſt Apoſtolos aliqui traditi ſint Satanæ, noſtra non intereſt quęrere: qui hoc ſolum inquirimus, quid ſcripturæ mandent aut vetent. Si facere tentarunt, abſq; ſcripturis tentârunt. Null' enim in omnib' ſanctis ſcripturis locus reperitur, qui hoc præcipiat. Fuit enim Apoſtolis extra ordinem conceſſa traditaque à Deo iſta poteſtas. Proindè quæ de moribus Eccleſiæ veteris profers, ad nos non pertinent, qui ſcripturæ duntaxat teſtimonia poſtulauimus.

Cauſas cum adducis, cur profani potius, quàm in vita lapſi admitterentur, actum agis. Cum enim res ipſa non extiterit, fruſtrà cauſas eiuſdem recenſes. In qua re illud etiam notabis, te de illis loqui, qui pabulum, id eſt, verbum (& Sacramenta) aſpernentur, cum paſsim nos de appetentibus loqui videas. Quare iterum extra terminos procurris. Quid opus eſt vetare, quod iam antè auerſatur aliquis? Perſuadendus magis eſt talis, vt appetere incipiat. Sic neque diſtinctionem hanc potuit cogitaſſe Apoſtolus, quādo Chriſtianos iubet familiaritatem fratrum vitioſorum fugere, commercium cum profanis concedit. Quibus tu argumentis oſtendes, μὴ συναναμίγνυσθαι, & μὴ συνεσθίειν cum aliquo in eum finem, vt pudefactus reſipiſcat, idem ſignificare, atque lapſum à verbi dei auditione, omniq; actu legitimo, (in quorū numero illos etiam complector, qui ad communem fidei ἐξομολόγησιν pertinebant) prohibere? Cum rogas quînam communes cum Eccleſia preces habeant, qui vita ſe parum dignos Chriſtianis geſſerint? ego viciſsim rogo, quînā Deus permitti voluerit Publicano in Templum ingredi Luc. 18? An non melior deſcendit Phariſæo? Quî tu ſcis, imò quî audes cogitare, non habere eum pium animum tunc, quando cum cæteris cupit Deum orare? Quocirca multò magis interrogandus videris, quî prohibere tu alicui audeas Deū inuocare, ei gratias agere pro ſuis beneficijs, peccatorū culpā deprecari, & pænitentiā declarare? Omnia hęc pręſtat Eccleſię, qui tametſi deliquerit ac grauè ſcelus admiſerit, ex verbo Dei cupit inſtitui, & vnâ cum alijs vult Deum comprecari:

cui-

cui cum ipſe etiam putes verbi auditione non eſſe interdicendum, fruſtra ab alijs conuentibus diſtinguis. Nos enim in Eccleſijs noſtris alios nullos habemus: neq; iubentur in ſcripturis ij, de quibus nos loquimur, à precationibus ſtatarum horarum arceri, vt exemplũ Publicani docet. Quamobrem nuda verba fundis, præterea nihil facis.

Illud ſupra modum miror, quod prohibitionẽ vnius eiuſdemq; fidei confeſſionẽ publicam probare audes. Itáne certum eſt omninò pręconceptam opinionem defendere, vt illa etiam à te excommunicatis velis negare, quæ Deus ne à ſe quidem excommunicatis negat, aut negare alios iuſſit? Ecquid dicent homines, cum te hucuſq; progreſſum intelligẽt, vt potius interdicere hominibus confeſsione fidei in publico velis, quàm de imperio illo veſtro aliquid remittere? At idẽ veteres, inquies fortaſſe, fecerunt. Nos autem non quid hi fecerint, ſed quid rectè fecerint, quaerimus. Si enim aliquid probandum fuerit, quia veteres feciſſe conſtet, permulta alia vos iniuſtè accuſauiſtis. Chriſtus hominem in ſuo nomine Dæmonia eijcientem noluit à ſuis diſcipulis prohiberi, quantumuis ſuo ſe nollet comitatui adiungere: ſed addit, illum pro ſe eſſe, quiſquis nõ aduerſarius ipſius eſſet, Lucæ ac Marci 9. cap. Cur ergo tu Chriſtum confiteri volentem vetabis id publicè cum cæteris facere, etiamſi fuerit lapſus? Vis dicã, quod ſentio? ſi ex ſacris literis hanc tuã ſentẽtiam rectam eſſe firmiter probes, impiam eſſe pronunciabo.

Quæ ſequuntur argumenta tria, non adduxi ego, vt Papiſtas docerem excommunicationẽ malè definire prohibitione templorum & actus cuiuſuis liciti áque Deo imperati: ſed notaui ea mihi, vt ſupra dixi, memoriæ cauſa, quò, cum res poſtularet, oſtenderem excommunicationem non eſſe abſciſſione ſalutis definiendã. Quomodò enim ſequeretur: Papiſtæ concedunt à cõmunione mentis & ſpiritus neminẽ arceri poſſe, ſed cenſura Eccleſiaſtica notatos ab externa ſolùm ſocietate Eccleſiæ prohiberi: ergo non rectè prohibuerunt templum. An non interdictio templi res externa quoq; eſt, & particula quędam externæ ſocietatis? Item cùm dico

Doctores eorũ non plus fuiſſe auſos tribuere clauib', quàm quòd ſint poteſtas expellendi ex ſocietate externa Eccleſiæ, quomodo potuiſſem ex eo concludere, perperã aliquos ab aditu templorũ prohibitos? Item cum ſic ratiocinatus ſum: ſi tradi Satanæ eſſet eijci ex Eccleſia, extra quam nulla eſt ſalus, (extra viſibilem ſalutẽ eſſe quis neget?) non dixiſſet Apoſtolus de Corinthio illo, ſe ita eum tradere voluiſſe, vt ſpiritus eſſet ſaluus, cum ſic inquã collegi, quomodo potuiſſẽ concludere, ergo Papiſtæ malè definiunt excõmunicationẽ maiorem templorum interdictione? Tuum fortaſſe fuerit ſic argumẽtari, non meũ. Vides igitur quantum vbique à ſcopo aberres, quámque imprudenter diſputes?

Quanquam verò huc non pertinent, ne tamen querare nos aliquid intactũ reliquiſſe, age quid dicas hîc quoq; videamus. Ad primum ſic reſpondes. Cum Eccleſiæ iudiciũ nihil ſit aliud quàm promulgatio ſententiæ in cœlis decretę, efficitur alienos omninò à regno cœleſti decerni, qui ritè in terris ex cõmunione Eccleſiæ eijciuntur. De hoc argumẽto quia copioſè iam ſuprà dixim', hoc tantùm dicã, in præſentia, tibi præter quatuor illas propoſitiones, quarũ probationẽ ſuprà, cum ad ſyllogiſmũ tuum de Ebrioſo reſponderem, requirebamus, hanc quintam inſuper demonſtrandam eſſe ſcripturis, ſi aliquid dixiſſe velis, nempè rectè dici Eccleſiam illis abſcindere ſalutẽ excõmunicando, qui ab æterno ſunt electi à Deo. His omnib' ſuperaddere te oportebit, conſtare veſtris Presbyteris, quinã tandem ſint electi: Niſi enim hoc ſciatis, falſa erit veſtra promulgatio ſeu declaratio: ſicut in Manaſſe Rege falſa fuiſſet.

Ad ſecundũ hæc ferè dicis. Vt externum iudiciũ accedens ad interius iudiciũ conſcientiæ auget vuln' in non prorſus ἀναισθήτως: ita, ad obligationẽ vulneris interni ſi accedat totius Eccleſiæ acclamatio, magis recreatur conſcientia triſtitiæ onere fatiſcens. At quid hæc, oro te, ad rẽ faciunt? An ideo malè Papiſtas notaui? An ideo ſalutis negatione excõmunicatio definienda? Quicquid faciat illa Eccleſię acclamatio, non tamen eſt aliquid pro pręcepto Dei obtrudendũ Eccleſiæ,

ſiæ,

ſiæ, quod non præcepit. Ad vltimum negas conſequi, quod dico. Poſſe enim quempiã ex cœtu ciuiũ expelli ciuitatiſq; iure re ipſa ad tempus priuari, qui tamẽ poſtea, cum veniam petit, reſtituatur. Simile hoc tuũ non eſt ſpirituſſancti. Magiſtratus ius hoc habens poteſt aliquem ciuitate priuare vel omninò vel ad tempus. Et qui ſic priuatur, pro eo tempore reuera priuatus eſt. Doce tu Presbyterium hanc habere poteſtatem: & quib⁹ ipſum negauit ſalutẽ, eos ideo ſalute reuera excidiſſe, quia ipſum eam negauerit. Hoc cum perfeceris, de diſſimili iſta tua ſimilitudine amplius agemus.

Hucuſque definitionem excõmunicationis noſtrã, & quę in doctrina Pontificiorũ de hac re accuſauimus, ita defendimus, vt etiã ineruditi perſpicere poſsint, euanidas, ridiculas, & ſibi non conſtantes eſſe tuas reprehenſiones. Tuam è contrà deſcriptionem & Pontificiorũ propugnationẽ non inanem duntaxat, ſed etiam plurimis iiſdemq; fœdis erroribus refertã eſſe apertiſſimè demonſtraui. Supereſt igitur, vt, quæ contra ſecundam Theſium partem, in qua probamus excõmunicationem neq; verbo neq; exemplo ſcripturarum niti, excogitaſtis, deinceps examinemus. Sequar autem ordinem quẽ vobis in oppugnandis noſtris ſeruare placuit, quo lector faciliùs noſtra cum noſtris comparare conferreq; poſsit.

CAP. III.

Defenſio argumentorum, quæ contra Excommunicationem attuli ex Teſtamento veteri.

PRimum argumentum noſtrum inter ea, quæ ex Teſtamento veteri prompſimus, & pro confutãda excõmunicatione deſumpſimus, tale eſt. Scriptura illos, de quibus nos loquimur, nec à Sacrificijs arcet, nec à Sacramentis alijs vllis: imò ſub pœna capitis mandat, vt vniuerſi mares circumciſi, Iudæi & peregrini, quicunq; immunditia legis non ſunt inquinati, nec peregrè abſunt, ter quotannis coràm Deo Hieroſolymis compareant, & Sacramenta paſchatis, Hebdomadarũ, & Tabernaculorũ cõcelebrent. Quocirca non potuerunt

runt Presbyteri aut Sacerdotes pręter immundos lege quẽquam arcere. Audiamus bellam refutationem tuam. Aut non intelligimus, inquis, argumentum, aut vix eſt dignum reſponſione: quoniam extremum extremo iungit prætcrito medio. Vocat Deus quoſuis peccatores ad regnum cœlorum & clamat nihilominus Apoſtolus ſceleratos non habere partem in regno Dei. Vocat ergo ad reſipiſcentiam: quod & iſta noſtra diſciplina facimus. Ac publicæ pœnitentię teſtimonium, quod requirimus, verbo Dei continetur. Quĩ enim potuit quiſpiã offerre pro peccato oblationem, qui ſeſe peccaſſe palàm non fateretur? Hactenus tu. An tu in medio huius argumẽti inueniendo laboras? Putaui rem mihi eſſe cum viro qui hac in re mihi nõ faceſſeret negotium. Medium hoc eſt. In ſacris literis non tantùm non inuenire aliquos à Sacramentis propter ſolam vitæ turpitudinẽ abactos eſſe, ſed cõtrarium potius probari. Hoc medio monſtraui excommunicationẽ non eſſe iuris diuini, ſi vetus teſtamentũ conſulam⁹. Eſt ergo hoc argumentũ noſtrũ. Quod in ſacris literis non reperitur præceptũ, cuiúſq; contrarium inuenitur mandatũ, id non eſt mandatum Dei. At excõmunicatio ſic habet. Ergo excõmunicatio eſt cõmentum humanũ. Minorẽ probaui ex lib. Exod. 12. 23. & 43. Num. 9. Deut. 16. quibus in locis præcipitur omnibus maribus circumciſis ſub pœna excidij, vt coram Domino ter quotannis comparerent: nec excipit quenquam ex prædictis, pręter immũdos lege, & à patria abſentes. Sic igitur habet Lex. Quiſquis iuxta legẽ eſt mund⁹, nec ita procul abeſt, quin ad conſtitutum tempus adeſſe Hieroſolymis poſsit, is, ſi præfinito die vnà cum alijs non concelebret Paſcha coram Domino, exterminabitur. Si autem immundus ſit eo die, aut peregrè abſit, celebrent illi tales idem Paſcha eodem die ſequentis menſis.

Hanc Dei conſtitutionem, quæ ad externum cultũ ſpectat, non debuiſti cõparare cum interna vocatione qua Deus nos ad ſpirituale regnum vocat. Alterutrũ fatearis oportet, te vel argumẽtũ non intellexiſſe, quod in reſpõſione aliquo modo ſignificas, vel diſſimulauiſſe. Etenim eſt impoſsibile, vt homo

litera-

literatus & in ſacris literis vel mediocriter verſatus hîc tergiuerſetur. Audiamus ergò praeclaram tuam ratiocinationē. De⁹ vocat omnes peccatores ad regnū cœleſte:quod tamē permulti non poſſidebunt, teſte ſcriptura, Ergò Moſes in praedictis locis moribus immundos vult ab eſu Paſchatis arceri. Quibus medijs & machinis coniunges tu iſta extrema? Hoc verè eſt praecipitem ruere,non progredi per medium. Scriptura docet nos, Deum vocare omnes homines ad poſſeſſionem regni coeleſtis, ſed per fidem efficacem in Chriſtum. Eadem dicit, permultos non poſſeſſuros hoc regnum, quia ad Deum vocantem eo modo, quo vocat, volunt accedere. Hîc nulla pugna eſt,fateor. Proba ergo nunc apud Moſen ſimiliter inueniri duo haec mandata: nempe, Mundi ſecundum legem omnes(niſi procul à patria abſint) paſcha concelebrent: &, Non omnes iuxta legem mundi Paſcha celebrent,ſed illi tantum,qui moribus quoque mundi ſunt. Primum extat: ſecundum ſi exſtare oſtenderis, ad argumentū te noſtrum aliquid dixiſſe minimè inficiabimur. Non vides te Moſi,cum, quod ipſe nuſquam dixit, vis eum dixiſſe, apertam contradictionem, quae nulla effugi interpretatione poſſit, affingere?

Ergò alterutrum fatearis oportet, aut Moſen contradictoria ſenſiſſe, aut te nihil ad argumentum reſpondere. Etenim iubet omnes mares Paſcha celebrare,illis ſolis exceptis,qui vel ſecundum legem immundi eſſent, vel in itinere procul à patria abeſſent. Moſes dicit omnes: & ſolummodo immundos & abſentes excipit,alios nullos(Aegrotantium, & qui adeſſe aliâs non potuerunt, mentionem facere nihil opus fuit.) Tu verò etiam indecorè viuentes exceptos dicis. An hoc non eſt in Moſis ſententia contradictionem ponere? Negari porrò non poteſt, quin multi inter Iudaeos omni tempore fuerint moribus impuri, qui nihilominus iuxta legis conſuetudinem eſſent mundi: hoc eſt, qui earum rerum nihil aut feciſſent,aut paſſi fuiſſent,propter quas immundi poſſent cenſeri. At impium eſt dicere, Deum per Moſen contradictoria ſimul praecepiſſe. Verum igitur illud

eſt,

eſt,te nihil attuliſſe,ac argumēti vim non ſatis percepiſse. Si excipias,ſub Moſe nullos fuiſse ſceleratos,nihil effeceris. Primū enim non probabis ita rē habere. Quî enim in tanta hominū multitudine nulli fuiſsēt ſcelerati? (Si dubitas, inſpice Pſal.95.& ca.3.Epiſt.ad Hebræos.) Deinde ſub Ioſua, Iudicibus,Regibus,quî poteris oſtendere verū eſse? At cōſtat his omnib⁹ tēporib⁹ nullū fuiſse à Sacramētis repulſū,qui iuxta legē mundus eſset,qualibuſcunq; moribus eſset prǣditus.

At reſipiſcentiam requirebat Lex,ais. Non inficior: nec inficiatus vnquam fui. Hoc ſolum negaui ſemper, & conſtanter adhuc nego, oportuiſse eum, qui peccauiſset, certo ad hanc rem ordinato Presbyterio ſatisfacere. Vnuſquiſque ſuo arbitrio,non alieno,& propria conſcientia,non Sacerdotū,iudicabatur mundus & immundus: demptis Leproſis. At offerebāt,inquis, oblationē pro peccatis,& hoc ipſo ſe peccaſse fatebantur. Reſpondeo primū, in peccatoris fuiſse poſitum voluntate, (nullo eum ante oblationē à templo & Sacrificijs repellente) expiare ſuum peccatū quando vellet: neque cogebatur hac in re,ſicut dixi Presbyterorū exſpectare iudicium. Excipis hîc, Dominū, dum ad ſui cultum quoſuis inuitet, non abrogare leges alibi de Presbyterorum munere ſancitas. At ego velim ex te audire, quonam in loco iſtae de munere Presbyterorum leges decretae poſitaeque fuerint? Deinde qui ſic peccauerat,non erat Excommunicatus,cum poſset ire ſacrificatum pro peccato ſuo cum libuiſset, nemine eum ad tēpus aliquod repellente. Quod ſi etiā expiare peccatū ſtatim nollet,non ob id iubebatur emanere. Tertiò non valebat hoc in ſcelerib⁹ quę Lex nominatim plectebat. Nulla enim Lex iubet Sacrificium certum offerri pro expiatione homicidij voluntarij,adulterij,aliorúmq; talium ſcelerum: ſed gladio Magiſtratus coerceri hæc facinora iubētur.

Quartò,non minus profitetur ſe peccatorem,imò multò magis,qui ad cœnam Domini apud nos accedit,ſi modo rectè ſit inſtitutus, & præſcriptum Eccleſiae ordinē obſeruet, quàm qui Sacrificium pro peccato aliquo offerebat. An tu Cœnam Domini profeſsionem publicā eſse oblitus es,qua,

qui

qui ad eam adit, teſtatur ſe peccatorem eſſe, nec aliam rationem habere, qua à peccatis ſuis liberari valeat, quàm ſacrificium Chriſti in cruce peractum? An tibi excidit, oblationẽ pro peccato figurauiſſe oblationẽ Chriſti in cruce factam? Cur, ſi horũ meminiſti, peccatorem ad Cœnam ire volentẽ, hoc eſt, oblationẽ pro peccatis ſuis offerre cupientẽ, ſiue teſtificari volentẽ ſe peccauiſſe, & morte Chriſti peccata ſua deleta credere, contra expreſſum Dei mandatum impedis?

Dixi ſecundò ſacerdotes ne potuiſſe quidẽ arcere malos ab eſu Paſchatis, cum in domibus patres familiâs cum ſuis ederẽt. Reſpondes primum, Solennis omnium ſanctificatio indicebatur. Deinde immundi deprehenſi nominatim à Paſchate prohibebantur: vt ex Eſdrae. 6. & 2. Paralip. 23. cap. liquet. Similis tui vbique es, id eſt, nihil probas, tametſi multa dicas. Quis dubitauit aut negauit, quin ſe omnes pararent ad edendũ Paſcha? certè Phariſaei ob eam rẽ Chriſtũ occidere, & in Praetorium introire noluerunt. Quid ergò generalis & ſolennis purificationis indictio ad rem noſtram facit? Quis probet hãc ratiocinationẽ? Iubebãtur ante Paſcha omnes ſe purificare, quò Paſcha edere poſſent: Ergo Presbyteris quibuſdã ad hoc electis poteſtatẽ excludendi habẽtibus, ſatisfacere iubebantur. De purificatione & immũditia Legis, nõ de turpitudine morũ iſta ſunt accipienda. Etenim ſcelera longè grauiùs, quã interdictione Feſtorũ, à quib⁹ fortè mali ſe optauiſſent excludi, plectebantur. Sic & loca ſcripturæ à te adducta, velis, nolis, cogeris interpretari. Proinde inania verba fundis: ad rẽ nihil dicis. In Eccleſijs noſtris ſimile quiddã fit, dũ ſe pridiè quã cœna celebratur, Miniſtro indicãt acceſſuri, & publicè reſpõdẽt ad tria illa capita, quæ ſuo loco recitabimus. Simile eſt, quod immũdos dicis mẽſẽ differre coactos, vt ſe purgarẽt. Quippe pleriq; ad veſperã erãt purificati, plurimi die ſeptima. Deus diem mẽſis, quo exierant ex Ægypto, voluit memorabilẽ eſſe: nec alio die voluit huius rei memoriam celebrari. Quare cũ propter immunditiam aliqui non poſſint hoc præſtare die illo menſis primi, ne eos ſimpliciter arcere ab hoc Sacramẽto videretur, iuſſit vt ſecundi menſis

eodem die celebrarent. Debebat hoc exemplum vos monere, vt nulli cupienti temerè negaretis Cœnae communionem: cum Deus extra ordinē maluerit Paſcha illos edere, qui die pręfinito non potuiſſent, quàm vt toto anno carerēt.

Tertium argumentum hoc eſt. Nec ante nec poſt Chriſtum vlli vnquam legimus propter vitam inhoneſtam vel ab ipſo Moſe, vel à Sacerdotibus, Leuitis, Prophetis, Phariſaeis, Scribis, vel ab alijs vllis, interdictum Templo, Sacrificijs & Sacramentis à Deo inſtitutis. Tu de ſolis Prophetis reſpondes dicens: nempe quia gubernacula rerum non tenebant: nec vllos habuerunt ſibi magis infenſos, quàm Sacerdotes & Seniores populi. Ego non de ſolis Prophetis locutus ſum, ſed praenominatis omnibus. Proinde hîc etiam reſpondes, vt ſoles. Quanquam ſufficere potuiſſet, ſi dè Prophetis duntaxat hoc dixiſſem. Etenim ſi hac in re fuiſſet à Sacerdotibus peccatum, indicauiſſent aliquando, ſicut alia ipſorum peccata accuſarūt. At nihil vnquam tale reprehenderunt. Quod ſi tàm infenſos habuerunt Sacerdotes & Seniores, mirum eſt, quod non aliquādo conati ſunt eos excōmunicare: ſiquidem à Lege Moſis facultatē acceperant hoc faciendi. Quippe optimus hîc fuiſset praetextus, & valde plauſibilis excuſatio.

At dum populo & Sacerdotibus exprobrant, inquis, quod ſuis ſceleribus templum pollueren, ſatis indicarunt, quid facturi fuerint, ſi adminiſtrationi præfuiſsent. Quæſo te an contra Moſis Legem aliquid facturos fuiſse putas? At feciſſent, ſi propter ſolam vitæ turpitudinem aliquos à Sacramētis repuliſsent. In ſcriptis eorum nuſquam reperies propter hanc rem Sacerdotes aut alios reprehēſos. Quomodò ergo facturos ipſos fuiſse probabis, quod perperàm ab alijs praetermiſsum nullo loco queſti ſunt. Quomodò mores praui polluerēt Templum noménque Dei, paulò pòſt fusè explicabimus. Citas deinde 1. cap. Eſaię & Pſal. 51. At hi loci tuæ opinioni nulla in parte patrocinantur. Quis enim ſic eſt rudis, qui argumentationem hanc probet? Deus aſpernatur impiorum ſacrificia: Ergò Prophetæ aut Sacerdotes habuerunt

runt poteſtatem facinoroſos amouendi à Sacramentis. Item Dauid lauari ſe poſtulat à caede: Ergo Sacerdotes facultatem arcendi à Sacramentis à Moſe acceperunt. Item homicidij culpam, cuius author neſciretur, ſolenni ritu deprecari tenebantur, in quorum finibus cadauer inuentum fuiſſet Deut. 21. Ergò Seniores erant à Deo ordinati, qui certos quoſdam Deo ſacrificare volentes à ſacrificando prohiberent. Item qui incõſideratè iurauit, venire debet ad templum cum oblatione pro peccato. Ergò qui ſciens peierauit à quibuſdam Senioribus arcebatur à Sacramentis dum ipſis ſatisfeciſset. An hiſce futilibus rationibus crediturum aliquẽ eruditum tibi perſuaſiſti? Taceo quod falſum eſt, non fuiſse in templum admiſsum, qui inconſideratè iuraſset, ſine oblatione pro peccato. Aliud eſt non admitti ad templum: & non remitti peccatum. Multa de pœnitentia ſubinde dicis, de qua nulla inter nos eſt diſputatio. Nunquam enim dubitaui an pænitentiam à nobis flagitet Deus. Hoc diſputamus, an oporteat reſipiſcentiam Presbyteris probari ad hanc rem delectis?

Quartum hoc eſt, Phariſaei à Sacramentis neque indignè viuentes arcuerunt, neque Sadducaeos haereticos remouerunt. Si hoc, inquis, negemus, quomodo probaueris? Niſi mox adderes probabile eſse, dicerẽ te parum attentè ſcripturas legiſse. Addis deinde, non mirum eſse quod mutuò ſeſe fouerint Hypocritae. At qui Apoſt. acta, & Ioſephi hiſtoriam attentè legit, meritò ridebit tuam reſponſionem. Quod ipſe quoque vidiſse videris, cum aliam adfers: nempe alteros non potuiſse pellere alteros, quia non ſint poteſtatis nomina, ſed ſectarum. Verum hoc eſt, ſed tamen ijdem illi Chriſti tempore in poteſtate fuerunt & Sacerdotio fungebantur, vt ex ſacris literis pariter & hiſtoria Ioſephi clariſſimè patet. Ergo ne hîc quidẽ habes, quod dicas. Nec in ſacris literis, nec in hiſtoria Iudaica inuenimus huius rei mentionem fieri, tametſi alteri alteros capitali odio proſequerẽtur. Deus bone, quam fuiſsent laetati, ſi ſciuiſsent aliquid ſibi tale per legem licere? Sed quid ſi Magiſtratus, (quæris ſub finẽ)

non

non faciat officium in reprimendis ſceleratis? Poſſem & ego ex te quaerere, Quid ſi Presbyteriū non faciat officium, aut Tyrannidem exerceret? Cogétne Magiſtratus? At excommunicabit eum. Sed ego reſpondebo tibi, etiamſi mihi tu non reſpondeas. Facient Miniſtri, quod fecerunt Prophetæ. Admonendus, hortandus, rogandus, increpandus, terrendus ex verbo Dei. Si ne tunc quidem fungatur ſuo munere, committenda res Deo erit. Impiè namque ſubditus ratiocinetur: Magiſtratus non fecit officium: Itaque ego pro ipſo hac in parte accipiam imperium. Perinde hoc ſit, ac ſi ſeruus argumentetur: Dominus malè ſatisfacit familiae: Ergo me Dominum, illum autem ſeruum fieri oportet.

Quintum eſt. Totum Synedrium extremè oderat Chriſtum & Apoſtolos. At tantum abeſt, vt à templi aditu eos prohibere conati fuerint, vt nec Mattheum Publicanū, nec Paulum, cui prae cæteris infenſi inimicique erant, excludere aliquando tentârint. Ad hoc primò reſpondes. Imò diſertiſſimè teſtatur Iohan. duobus locis conueniſſe inter Iudaeos, vt qui Chriſtum confiterentur, è Synagoga eijcerentur: nedum vt Chriſto ipſi parceretur. At è Synagoga eijci, erat Excommunicari: quod quam rectè tu neges, ſuo loco diſpiciamus. Secundò, mirabiliter conſeruati à Deo fuerunt. Tertiò, duo fuerunt Publicanorum genera, vnum Gentilium, alterum Iudaeorum. Illos penitus auerſabantur: horum congreſſum ſolo odio, nullo iure, fugiebant: cum Lex neque tributa neque tributorum exactores per ſe damnet. De Synagoga poſtea dicendum erit: nunc tantum dicam te in ſempiternum non eſſe probaturum Synagogam & templum, vel eiectionem ex illa & ex hoc eadem fuiſſe. Synagogae erant multæ, Templum vnum. In Synagogis non celebrabantur Sacramenta & Sacrificia, de quibus loquimur: at in Templo celebrabantur. In Synagogam etiam admittebantur profani, vt tu ais: in Templū nefas erat talē ingredi.

Quod mirabiliter ſeruatos dicis Apoſtolos cum Chriſto, concedo: at non fuiſſe eos propterea tentaturos, ſi potentiam hanc tenuiſſent ex eo non conſequitur. Saltem alicubi

ex

ex probauiſſent ipſis, quod contra Legem ingrederentur in Templum. Etenim minora obijciunt, quod non lauarent manus: quod Chriſtus cum peccatoribus ederet: quod ſanaſſet in die Sabbathi aliquos. Item cum Paulo obijciunt, eum Templum profanaſſe, quia Graecum introduxerit, non addunt hoc etiam, quia ipſe ſecundum Legem ingredi non debuerit. In ſumma, chorda ſemper oberras eadem: id eſt multa falſa dicis, quorum nihil probare potes. Nihil fermè adhuc vidi te dignum, niſi quòd hîc fateris Publicanos circumciſos non fuiſſe à Templo & Sacrificijs excluſos: quod plerique hactenus fortiter negarunt. An etiam in Iudęa fuerint Ethnici Publicani, noſtrâ hoc loco nõ intereſt quaerere.

Haec mea ex veteri teſtamento deprompta argumenta vix refutatione ais indigere. Benè dicis: non enim refutari vel poſſũt vel debẽt argumẽta vera. Eiuſmodi certè ſunt, qualiacunque tibi videantur eſſe, in quibus diſſoluendis tu per omnem reliquam vitam tuam, ſicut video, fruſtrà laborabis. Sed iudicent pij ac docti.

CAP. IIII.

Defenſio Argumentorum ex nouo Teſtamento acceptorum.

EX nouo fœdere primum hoc adfers. Iohannes Baptiſta, dixi, omnes ad ſe venientes vt baptizarentur, etiam Phariſaeos & Sadducaeos, quos tamen Viperarum progeniem eſſe affirmat, baptizauit: nemine repulſo. Quorſum hoc, ais, aduerſus nos torques? Non enim debuit eos Iohannes tanquàm excommunicatos repellere: cum non ſit priuatae authoritatis quempiam excommunicare. Quid audio? An tam citò oblitus es quid probandum ſuſceperim? Statui oſtẽdere in nouo etiam fœdere nec verbum nec exemplũ exſtare veſtrae Excõmunicationis: ſed contraria potius tũ praecepta tũ exempla inueniri. Primo loco propoſui Ioãnis Bapt. propter ordinẽ tẽporis. Is non repulit quenquã, qui ſe cuperet ab eo baptizari, dicens: ego externũ ſymbolũ adminiſtro, in corda nõ intueor: ſed alius me ſequitur qui & igne baptizabit, & paleã à tritico

ſeparabit.

ſeparabit. Hic ventilabrum in ſua habet manu: non ego. Proinde, vt me ſimulatione pœnitentiae fallatis, illum non falletis. Ex quo intelligimus Miniſtrorum non eſſe negare Sacramenta petentibus: ac iudicium Deo permittendum eſſe, vtrum qui ſe pœnitere profitetur, ſimulet, an verè & ſincerè agat.

Quàm verò alienum eſt, quod dicis, Iohannem non debuiſſe ſceleratos illos arcere, ſiquidem Deus facere aliquos iuſſerat? Quo in loco dixit Deus, hanc rem eſſe publicæ authoritatis, non priuatae? Si eſſet Excommunicare hoc, quod vos dicitis, exempla priuatæ haberemus Excommunicationis: publicae nullum. Petri & Pauli à vobis citātur exempla: praeter hæc nulla habetis. Presbyterij exemplum vbi tandem latet reconditum? Sanè Paulus etiam Corinthium tradere voluit Satanae: ſed in praeſentia totius Eccleſiae. Et cum Apoſtoli priuati homines fuerint, quî licuit ipſis Excommunicare, & non licuit Iohanni? Si dicas Deum dediſſe hanc poteſtatem illis, non huic, demonſtrandus eſt locus, in quo iſtud contineatur. Certè non minus à Deo fuit Iohannes miſſus, quàm Apoſtoli. Res mira eſt. Cum Prophetas, Iohannē, alios, dicimus neminem excommunicaſſe, priuatis non licuiſſe dicis. Cum publicae excluſionis exemplum petimus, priuatorum exempla producitis: quae ad cauſam tamen veſtram non pertinent. Cogita tandē, quæſo, quàm facilè affirmes, & nunquam probes.

Argumentum meum ſeptimo loco à te adductum, tale fuit. Sicut firmiter concludimus, infantes noſtros baptizari debere, quia baptiſmus circumciſioni ſucceſſit, & Deus nullo in loco infantes noui fœderis excipi iuſſit: ita firmè quoque argumentamur, impuros moribus non eſſe à cœna depellendos, cum hac in parte Chriſtus Legem Moſis mutaſſe non legatur. Reſpondes, Cœnam non vni agno Paſchae, ſed omnibus ſacrificijs ſucceſſiſſe: méque probare debere, quoſuis ſine delectu ad Paſcha admiſſos. Quippe immundos excluſos fuiſſe conſtat, ais. At Moſes immunditiam non diſtinguit: & ſacrificia pro peccato ad

quoduis

quoduis peccatum pertinuerunt. Ex his concludis, peccati conuictos ad publicam reconciliationem vſq; ab Eccleſia alienos fuiſſe. Non pugno, quin Cœnam omnibus Sacrificijs dicas ſucceſſiſſe: at pręcipuè agni Paſchatis eſui reſpondere, mirum ſi neges. An non contra te hoc facit? Certè à Sacrificijs pro peccatis nulli arcebātur, ſed cogebātur ab ea perſoluenda. His ergo ſi ſucceſſit Cœna Domini, non poteritis ab ea depellere vti ea rectè volentem, ſaltem externè. Ad Paſcha lege immundos fuiſſe admiſſos, nunquam dixi aut ſcripſi: at moribus immundos excluſos non fuiſſe dixi, & dicam deinceps, donec oſtenſum aliud mihi fuerit. Sic certè probaui, vt tu nihil potueris refellere. Falſum quoq; eſt, Moſen non diſtinxiſſe immunditiam legis & morum. Miror quî audeas iſta ſcribere, cum vtriſq; differentes conſtituerit pœnas. Immundum lege, iubet à Templo & ceremonijs arceri: immundum moribus vel iubet puniri à Magiſtratu, vel iubet ad Templum venire, vt ibi mundetur. An hoc non eſt diſtinguere? Falſum non minus eſt, quod ais, Sacrificia pro peccato ad quoduis peccatum pertinuiſſe. Nā pro illis facinoribus, quæ nominatim Lex iubet certa pœna coerceri, nulla ſunt imperata Sacrificia: ſed pro alijs leuioribus, quibus pœna conſtituta nulla erat. Vbi enim legiſti apud Moſen homicidium, adulterium, Idololatriam, blaſphemiam, certo Sacrificij genere expiari potuiſſe? Falſiſsimum eſt illud etiam, quod ex falſis falſè concludis, conuictos peccati ab Eccleſia alienos fuiſſe, ſiquidē per hoc intelligis ad Templum & Sacrificia non fuiſſe admiſſos, vſq; ad publicam reconciliationem. Etenim qui ſic peccauerunt, non poterant à peccato liberari, niſi ad Templum & Sacrificia venirent. Cogebantur potius ad ea quàm arcerentur. Miſerabilis certè diſputator es, dum teipſum ſubinde oppugnas.

Reſpondes ſecundò, Chriſtum alios nullos habuiſſe conuiuas, quàm ſuos diſcipulos: in quo tibi vt vbiq; aliâs conſtas. Primum enim certum eſt, Chriſtum cum duodecim diſcubuiſſe diſcipulis: quo vos argumento contra Anabapti-

I ſtas

ſtas, ſeu nouos Donatiſtas, rectè adhùc vſi fuiſtis. Non interfuiſſe Iudam inſtitutioni Cœnæ multò difficilius probabitis, quàm nos contrarium ſimus declaraturi. Sed & fruſtra monſtraueritis. Nam interfuiſſe eum quotannis agni Paſchalis eſui nihilominus concedere cogeremini. Tertiò figurarunt Diſcipuli in illa cœna totam Eccleſiam exteriorem, non tantum ſanctos & electos. Qua de cauſa bibere ex poculo omnes iuſſit. Quartò, vt maximè cõcedamus, Iudã non adfuiſſe, nihil tamen ex eo probabis. Etenim non ſequitur: Iudas exijt ante vltimæ Cœnę inſtitutionẽ, Ergo Chriſtus legẽ Dei per Moſen hac in parte ſuſtulit: cum verbũ de hac re nullũ exſtet ſcriptũ. Proinde hîc etiã fruſtra laboraſti.

Octauo loco hoc recitas. Argumenta quę olim aduerſus Donatiſtas valuerint, hodieq; contra Anabaptiſtas ſeipſos ſeparantes valent, etiam contra eos valent, qui alios à ſe remouent. Quid huic, inquis, iudicio à Presbyterio legitimè, conſcia Eccleſia, pronunciatò, cõmune eſt cum voluntaria, ac proinde ſeditioſa ſeceſſione, corpus Chriſti, id eſt, Eccleſiam lacerante? Reſpondeo, quę ad inſtitutum noſtrum pertinent, communia ſunt omnia: niſi quod illi ſe vltrò ſeparant, vos autem inuitos eijcitis. Vtrumq; ſine mandato Dei fit. Nego enim tibi Deum velle aut voluiſſe, vt ſub pio Magiſtratu Eccleſia hoc pacto repurgetur. Hoc ex ſcripturis proba, & contenti erimus. Multa de diſſimilitudine adfers Donatiſtarum & veſtræ opinionis: de qua ego nihil propoſui. Non enim neſcio quædam eſſe diſsimilia. Hoc volui, vos iiſdem argumentis, quibus Donatiſtæ ſuam ſeceſsionẽ probarunt, veſtram excommunicationem probare: ac proinde quæ contra Donatiſtas adferantur, contra vos etiam militare. Huc vſq; vos comparo: non in omnibus eadem ſentire dico. Vbi locos ſcripturæ, quos Donatiſtæ olim & hodie Catabaptiſtæ pro ſe adferunt, docebis non etiã à vobis pro veſtrę cauſæ defenſione adferri, dimidium huius argumenti expugnaueris. Si deinde oſtẽdas, ſolutiones, quas olim Auguſtinus, & hodie alij attulerunt, non rectè poſſe quibuſdã veſtris argumẽtis ſic opponi, vt ex ſcripturis diuerſum à vobis monſtrari nequeat, euiceris alteram partẽ. Aliud eſt argumenta

gumenta rectè primum interpretari, & deinde firmè refutare: & rurſus aliud eſt, nugas oratoriè amplificare, atq; appellatione fratris claudere.

Audiamus nonum. Chriſtus cum diſcipulis ſuis in idem Templũ ingreſſus eſt cum Phariſæis & Sadducęis hominib⁹ ſceleratiſſimis, eadẽ cum eis alijſq; omnibus Sacramenta vſurpauit: eodẽ etiam baptiſmate cum ipſis à Iohanne baptizatus eſt: nec eos alicubi iuſsit à Dei cultu excludi: nec ſe ſuóſq; ideo cẽſuit maculari. Ad hæc quid tu? Pro more tuo nugas profers. Dicis malã conſcientiam vnius non polluere integritatẽ alterius: iuſtam ſeueritatem nõ debere in crudelẽ degenerare ſæuitiam. Quid hæc ad Rhombum? Concludéſne ex his, ergo Chriſtus aliquos arcuit à Sacramentis? Non arbitror. Quid ergo? Ego enim hoc argumento oſtendere vtrumq; hoc volui: & Chriſtũ nullos excõmunicauiſſe: & bonos in vſu Sacramentorũ non pollui præſentia malorum. Dicis, quis illos à Sacris arcuiſſet? Reſpondeo, Chriſtus, ſi mandatũ Patris habuiſſet. Nam vt ementes & vendentes expulit, ſic & à Sacramentis arcere nouiſſet. Et ſicut in alijs rebus abuſum reprehendit: ſic etiam in hac cauſa aliquando eos taxauiſſet: aut monuiſſet ſaltẽ quid facto opus eſſet. At verò perlepidũ tuum argumentũ audire operępreciũ eſt. Si pater eum voluiſſet fungi munere Leuitico, quid facturus fuerit indicauit eiectione mercantiũ & vẽdentiũ. Rectè ſanè, non fuerat paſſurus, vt iſta fierent. Hinc tu conſequi opinaris, eum mundos ſecundùm legem, qualesquales eſsent moribus, aditu templi contra legem prohibiturũ fuiſse? Dicam tibi: magiſtratum fuerat hortaturus, quod etiam fecit, vt prauos iuxta præſcriptum Legis caſtigaret.

Decimo loco de Iuda agis. Hunc ego à Chriſto non fuiſse repulſũ dixi, multò minùs alium ab eo remotum eſse. Et cũ reſpondeatis vos, crimẽ eius fuiſse occultũ, dixi ego à Chriſto in ipſa Coena fuiſse patefactum. Ad hæc ita tu. Chriſtus vni Iohanni patefacit. Hoc autem nemini præterea tunc fuiſse indicatum, ex eo liquet, quod ſcribitur eos non cognouiſse, cur ei diſcedenti diceret, Quod facis, fac citò. Deinde

non patefecit Chriſtus factum aliquid, ſed futurum. Ad hæc non reſponderem, niſi tui vbiq; ſimilis eſſes. Falſum eſt, Chriſtum hoc vni Iohanni patefeciſſe. Nam cum ſinguli interrogarent, nunquid ego is ſum, Iudæ reſpondit, tu dixiſti. Iohanni autem clarius addito ſigno patefecit. Quanquam hoc ſignum alij videantur dicere omnibus datum fuiſſe. Ac ſolent, quæ vni dicta fuerunt, aliquando pluribus tribui ab Euangeliſtis, & è contrà. Falſum & hoc eſt, Euangeliſtas dicere, accumbentes non intellexiſſe Iudam eum eſſe, qui Chriſtum eſſet perditurus. Hoc dicitur, eos non intellexiſſe, quid his verbis ſibi Chriſtus voluiſſet, cum dixit, Quod facis, citò fac. An quia hæc non perceperunt, etiam illa verba non intellexerunt, quibus Iudæ interroganti, an ipſe is eſſet, reſpondit dicens, Tu dixiſti, ſiue tu ille es? De facto & futuro non eſt cur diſputemus. Nam conſiliũ hoc, præſertim cum pactus iam fuiſſet, dignũ acerbiſsima erat pœna. Poſtremò ſi Chtiſtus neq; in ſuos, neq; in publicè notos malos hanc poteſtatem exercuit, cõſtat eum nullũ excõmunicaſſe. Vtrũ alijs mandarit aliquid huiuſmodi, tunc ſciã, cum teſtimoniũ produci conſpexero.

11 Chriſtus cum omnes iuſsit de pane illo edere, & de poculo bibere, neminem excluſit: nec ab alijs excludi iuſsit aliquem, qui ſe ſuum profiteatur diſcipulum. Reſpondes, te id concedere: ſed negare ſatis idoneum eſſe reſipiſcentię teſtimonium in ijs qui iam antea Eccleſiam fefellerint coenam Domini poſtulare, in vna morte Chriſti remiſsionem peccatorum quaerere, membrum Chriſti ſe profiteri, & quæ alia publicè teſtantur, qui in oculis Eccleſiæ Coenam petunt. Negas etiam vos ſumere vobis imperium in conſcientias hominum: tametſi nullum reſipiſcentiæ teſtimonium vobis ſatis idoneum ſit, niſi quod vos preſcribitis. Deus certè Eccleſiam voluit contentam eſſe in veteri teſtamẽto, ſi quis Sacrificium pto commiſſo peccato ad altare adferret: nec iuſsit quenquã plura poſtulare. Cur non ergo & vos multò illuſtriore confeſsione cõtenti eſtis? Iuſsit etiam Deus Luc. 17. vt dicenti, poenitet me, ſæpius

in

in vno die remittamus: & hanc tranſactionem in coelis ratam fore pollicetur: vobis autem ea non ſatis eſt. An inclementiores Deo eſſe vultis? An non omnes nos ſæpè Deo mentimur? Certè vt tum, quum Deo pollicemur, nos deinceps aliquid fugituros, ſic seriò cogitemus, poſtea tamen non ſicut decretũ nobis erat, fugimus. Rogo ne velis nimis eſſe oculatus iudex in iudicandis hominum cogitationibus. Qui ad Cœnam accedit tunc ſaltẽ bene cogitat, quicquid poſtea ſit cogitaturus. Speremus de omnibus meliora: Et Deo iudicium permittamus de conſcientijs.

Duodecimum hoc eſt. Apoſtolus non remouet à Coena Idolothytis in ipſo Idoleo veſcentes: tametſi peccatum eſſe prorſus grauiſſimum iudicet. Reſpondes, nihil potuiſſe apertius dici, quàm cum dicit, eos non poſſe poculum Domini, & poculum Dæmoniorum bibere: quo manifeſtè indicet, non poſſe illum ad Coenam Domini accedere, qui idolorum ſacris communicet. Paulus dehortari voluit aliquos, ne ſua libertate contra charitatem abuterentur: ſed vt Idolothyta, ſi non propter ſuam propriam, ſaltem propter infirmorum periculum vitarent. Vtitur autem hoc argumento. Qui ſacrificijs veſcitur, declarat ſe κοινωνὸν, id eſt, membrum ſiue ſocium & participem eſſe aræ: vt vel ex Iſraelitarum externis patet Sacrificijs. Ergo ſi de Idolorum ſacris editis, probatis vos ex ſocietate Idololatrarũ eſſe, ſaltem externè. At ijdem de poculo Domini bibiſtis: eóq; demonſtraſtis vos ad communionem & conſortium Eccleſiæ Chriſti pertinere. Ergo cum in duabus pugnantibus ſocietatibus ſimul eſſe non poſſitis, æquum fuerit vos Idolorum ſacra fugere. An hîc Apoſtolus illos excommunicat, ſiue à Coena Domini abſtinere iubet, qui Idolothyta cum Idololatris comederant? Minimè omnium: imò argumẽto à Cœne communione ducto auocare eos ſtudet ab eſu Deaſtris immolatorũ. Quocirca rẽ his verbis concludit: Nolo autẽ vos ſocios & conſortes fieri Dęmoniorum. Non dicit, nolo vos ad menſam Domini venire: nec iubet ęos, neſcio quibus Presbyteris pœnitentiam ſuam probare: ſed ne amplius

id faciant perſuadere eis conatur. Idem hoc agit Apoſtolus in 2. Epiſt. cap. 6. multis verbis, citans ex Eſaię cap. 52. teſtimonium. Non iubet eos exire è medio fidelium, ſed iubet ſe ſeparare ab infidelibus: ſicut hîc non imperat eis à Coena Domini abſtinere, ſed idola & idolothyta fugere, & Cœnã Domini ſolã vſurpare imperat. Quęris hîc, cur Apoſtolus potius dixerit poculũ, quàm, ſanguinem: & Menſam, quàm corpus: putaſq; eũ hoc ideo feciſſe, vt externã Coenę actionẽ cum eius fructu coniũgeret. Verior cauſa eſt, quod in hac parte, ſeu in hoc argumẽto potiſſimũ de externa cõmunione agit: ideo externa potius nominauit ſymbola, quã res interiores. Probant hoc, primum quidem, ipſum propoſitum. Deinde verba eius. Aſpicite Iſraelem ſecundùm carnem. Tertiò, quod qui Idolothytis veſcebantur perſuaſi erant, nihil inter ea ciboſq; alios eſſe diſcriminis. Quæ prætereа hîc dicis, ex recitatis à me facilè refelluntur.

Argumentum 13, ſic habet. Apoſtol. Paul. in 1. ad Cor. 10. cap. ſic ratiocinatur. Quemadmodum Deus non pepercit olim res malas appetentibus: Idololatris: ſtupro ſe inquinantibus: Chriſti tentatoribus: & murmuratoribus: tametſi eodem cum cæteris omnibus baptiſmate baptizati fuiſſent, eundemq; cibum ſpiritualem ediſſent, ac potum bibiſſent: Sic ne vobis quidem, quicunq; talibus eſtis contaminati vitijs, parcet, quantumuis ſimiliter, de vno omnes pane edatis, & de eodem omnes cum alijs ſanctis poculo bibatis. Ex his perſpicitur, primum quidem, noſtra & Veterum Sacramenta eadem eſſe, quod ad rem internam ſeu cœleſtẽ attinet: aliàs enim argumentum Apoſtoli nullum foret. Deinde liquet vtrobiq; multos flagitioſos, & quidem publicè notos admiſſos fuiſſe. Tertiò illud etiam conſtat, neminem iuſſum eſſe abſtinere, quomodo excommunicati iubentur. Apoſtolus non dicit illos tales arcendos eſſe, ſed à Deo ſic pręd icit puniendos, vti Veteres puniti fuerũt. Etenim partem eorum Moſes cum Leuitis trucidauit, Exod. 32. partẽ Deus igne, ſerpentib⁹, gladio, terrę hiatu cõſũpſit: quod etiã Corinthijs vſuuenit. Quoniã multos eorũ morbis tunc conflictatos, multos etiã mortuos fuiſſe affirmat.

Ad hæc reſpondes primùm, me potius debuiſſe noſtra Sacramenta comparare cum illis merè ſacris epulis, quàm cum Manna & aqua Petræ, quæ etiam alendo corpori ſeruierunt. Deinde, vt multi ex ijs, qui Sacramentis paſti ſunt, mali fuerint, an ideo nullus fuerit excommunicationis vſus? An oblatio pro peccato requiſita non fuit, quia multi ad Arã accedebant ſanguine manus habentes plenas? Quis collegerit ideo ceſſandum ab officio, quia ſæpè maior pars vincit meliorem? Poſtremò, Paulus Corinthios nullos illorum criminũ reos arguit, ſed vt tales non euadant, veterum exemplo commonefacit. Vis dicam, quod ſentio? Tui vbiq; ſimilis es. Ego quomodo Apoſtolus argumentatus fuerit indicaui: tu me Sacramenta noſtra cum Manna & aqua Petrę comparare non debuiſſe reſpondes. Apoſtolum monere debuiſſes: me, qui eius argumentationem propono, excuſatum pij habebunt, ſpero. Sed nubis etiam fecit mentionem: non aquæ & Mannæ tantum. An & nubes ac mare alendo corpori erant neceſſaria? Deinde quo in loco ſcripſi ego nullum excommunicationis vſum futurum fuiſſe, (pono iam velut conceſſam à Deo) vbi mali ſint multi? Aut vbi ſcripſi oblationem pro peccato requiſitam non fuiſſe, quia plurimi ad Arã accederẽt mali? Aut quomodo dictũ ſcriptúmue à me oſtendes, ideo à Dei pręcepto diſcedendum, quia pars maior vincat meliorẽ? Si ad Aram multi accedebant cum ſanguinolentis manibus, quomodo erant excommunicati? Quorſũ iſta dicas, teipſum puto neſcire. Oblatio pro peccato erat mandata: Excõmunicatio mãdata non eſt: Nec ego in hoc argumento aliud ago, quã vt doceã à Paulo malos ibi non fuiſſe à Sacramentis abactos. Cũ poſtremò dicis, Paulũ non peragere reos illorũ criminũ Corinthios, nihil aliud facis, quàm animum tuum prodis. Sic enim in ambabus Epiſtolis queritur de huius Eccleſię deformatione, vt, qui legit, præter te tuorúmq; ſimiles aliquot, nullus ſit affirmaturus, quod tu affirmas.

Ad id quod dixi, Deum ſceleratos in Eccleſia veteri puniuiſse corporalibus poenis, non excluſione à Sacramentis:

quas etiam Corinthijs, nulla excommunicationis mentione facta, minetur Apoſtolus: ſic reſpondes. An hinc efficitur, nullum iam tum fuiſſe ſpiritualibus ἐπιτιμίαις locum? Reſpondeo nullum fuiſſe, ſi per ἐπιτιμίας intelligas veſtras excommunicationes. Fateberis idem tu quoq; mecum, ſi cum animo veritatis cupido pacatóq; noſtra hæc perlegere poteris. Equidem argumentum ex Apoſtoli verbis ſumptum permanet integrum. Apoſtolus non minatur depulſionem à Coena Domini indignè eam vſurpantibus, ſed Diuinam caſtigationem, morbos & mortem: Ergo non cenſuit indignè edentes interdictione Coenæ plectendos. Fruſtra in hac voce deliteſcis. Quam enim Paulus ἐπιτιμίαν, vbi de reſipiſcente Corinthio loquitur, ſufficere ait, ea non à Presbyteris tuis, ſed ὑπὸ τῶν πλειόνων facta fuit. Fratri etiam in nos delinquenti ἐπιτιμᾶν Chriſtus Luc. 17. iubet: nullibi autem cenſuram veſtram ſic vocatam docebis. Cum inſuper dixi Apoſtolum nullius meminiſſe excluſionis à Sacramentis; reſpondes, eum alio in loco eiuſdem epiſtolæ docuiſſe, quomodo cum talibus agendum ſit. At locos illos nihil tale docere ex ſupradictis liquet: & ex ſequentibus planiùs adhuc liquebit.

Quartum & decimum hoc ponis. Paulus iubet, vt vnuſquiſq; ſeipſum probet, atq; ſic de pane Domini edat. Ergo non putauit neceſſarium, vt alieno iudicio, ſed vt proprio ſtemus hac in parte. Conſecutionem hanc putas eſſe mirabilem, quod minimè miror; cum tuo palatui non ſapiat hic cibus. At ego conſecutionem facilè hoc ipſo probabo iuſtam & probam eſſe: quo tuas obiectiones ad rem non pertinere docebo: Bonum ciuem, apud ſe conſiderare decet, inquis, quæ ſunt vires ſuę cum ad functionem vocatur: at non eſt idcirco δοκιμασία reijcienda. Item, debet vnuſquiſq; conſulere propriam conſcientiam an rectè vixerit: at non ideo nullæ ſunt iudicum partes. Item, explorare quiſq; debet an ſit in fide: ſed non ideo non ſunt erudiendi rudes. Item, debet etiam, qui deliquit, cogitare an verè reſipuerit, at non ideo nullæ ſunt Presbyterorum partes.

Nam ſi ita ſit, cur Paulus 2.Cor. 13. minatur ſe poteſtate ſua à Deo accepta vſurum, niſi reſipiſcentes inueniat? quod abſque prædicatione fieri non potuit. Quod facere vbique ſoles, hîc etiam facis: longè præter cauſam excurris.

Si verè ſic poſſemus loqui in tuis ſimilibus, quomodo Apoſtolus loquitur, aliquid videreris nobis dicere. Tunc enim veræ eſſent hæ orationes: Bonus ciuis, qui ſeipſum explorauit, functionem rectè ſuſcipiet: nec opus habet, vt ab alio præterea probetur. Qui ſuam vitam explorauit, probus eſt: nec examinari amplius habet opus. Sic enim Paulus loquitur. Quoniam inter vos multi Cœnam indignè ſumunt, non dijudicantes corpus Domini, ideo multi apud vos morbis affliguntur: & nonnulli etiam mortui ſunt: quod ne vobis in poſterum vſu-ueniat, vos ipſos prius explorate, & ſic de pane hoc edite, déque poculo Domini bibite. Apoſtolus de eo loquitur, quod ad cuiuſque conſcientiam pertinet, quódque alius nullus poteſt iudicare: tu autem ſimilia adducis, quæ alij poſſunt ac debent iudicare. Vtrum idoneus ſim ad hanc vel illam functionem ſuſcipiendam: item an aliquid contra leges perpetrârim: Item an capita doctrinæ rectè intelligam: iudicare etiam alij poſſunt. At num verè me peccatorum pœniteat & an firmiter in Dei miſericordia propter Chriſti mortem acquieſcam, nullus præter me poteſt ſcire: id quod Hypocritæ nos ſatis docent. Primum igitur in hoc peccas, quod ſimilibus toto cœlo diſſimilibus arbitraris te noſtra infirmare.

Deinde, quod exiſtimas nos hanc Pauli ſententiam veluti Propoſitionem generalem propoſuiſſe, cum nos vt particulare, imò vt ſingulare præceptum à Paulo propoſitum ſciamus, aliiſque proponamus. Non ſic accipimus Apoſtoli verba, ac ſi vniuerſalem ſonarent propoſitionem, hoc modo: Quicunque iubentur in re qualibet ſeipſos probare, non habent opus vt præterea probentur ab alijs. Apoſtolus hîc de ſola Cœna loquitur, ac dicit: probet vnuſquiſque ſemetipſum, vt ſic dignè edat de hoc pane. Contra huiuſmodi propoſitiones fruſtra adducuntur exempla de alijs rebus. Si falſum probare voles, hoc probare te oportebit: eum qui ſeipſum probauerit, nihil-

ominus

ominus non poſſe de pane Domini edere, niſi probatus quoque ſit à quibuſdam presbyteris. Hoc tu næ tunc quidem probabis, cum flumina ſurſum currere cæperint, atque ignis inſtar glaciei frigefaciet. Quod enim Apoſtoli ſententia hæc ſit, omnes illos, qui ſeipſos probauerint, dignè ad menſam Domini acceſſuros, ſine alius cuiuſpiam examinatione vlteriore ex ipſius verbis ita poteſt oſtendi, vt impoſsibile ſit pium hominem tergiuerſari. Etenim ſi nosipſos dijudicaremus, inquit Apoſtolus, non corriperemur à Domino. An non apertè hic dicit Paulus, omnes nos, ſi nos-ipſos exploremus eo modo, quo ipſe intellexit, non puniendos eſſe, hoc eſt, dignè manducaturos? Nam ſoli indignè edentes à Deo puniuntur. Apagè ergo cum tuis nugacibus ſimilibus, quibus oppugnare mentem Apoſtoli nequicquam tentas.

Poſtrema inſtantia ex 2. Corinth. 13. manifeſtè contra te facit. Quippe non mandat ibi Apoſtolus, vt ab alijs examinemur, ſed ait: pertentate vosipſos num in fide ſitis: explorate vosipſos. An non cognoſcitis vos-ipſos, quod Ieſus Chriſtus in vobis regnet? Cognoſcitis certè, niſi reprobi eſtis. Paulò poſt addit: Hæc vobis abſens ſcribo, ne præſens cogar, rigidè duritérque agere iuxta poteſtatem mihi à Domino traditam. At hoc inquis, abſque prædicatione fieri non potuit. Quid hoc ad rem? An idcirco ſequetur à ſeipſo exploratum non poſse vti Coena Dominica, ſed exſpectare eum oportere, dum presbyteris videatur idoneus? Vehementer fallor, ſi non ſaltem incipis tibi diſplicere, dum vbique te hallucinari vides.

Pro 15. Argumento hæc adfers. Non iubet Apoſtolus, vt qui indignum ſe intelligit, à Coena abſtineat: ſed operam dare iubet, vt dignè accedat, iudiciúmque ſibi non comedat. Nunquam ais, conceſserimus Paulum voluiſſe, vt etiam qui ſe indignos ſentirent, indignè potius ad Coenam accederent, quàm ab ea abſtinerent. Hoc enim eſset homines prætextu obedientiae ad mandati tranſgreſsionem impellere: quum grauius etiam peccet, qui indignè accedit, quàm

quàm qui abſtinet. Tot rurſus hic propemodum errata ſunt, quot verba. Apoſtoli tempore ne per ſomnium quidem cogitabat aliquis ſe à Coena abſtinere debere: ſed non minus ſibi celebrandam Coenam putabant omnes, atque orandum ſibi intelligebant. Apoſtolis aliquando in mentem veniſse, vt aliquibus de Eccleſia ſacramentis vti cupientibus eadem negarent, a nullo vnquam homine ex ſacris literis demonſtrabitur. Caeterùm cum non ſatis perpenderent aliqui myſterij magnitudinem, nec diſtinguerent inter hunc cibum & alios, monet eos Paulus, vt rectius rem apud ſe expendant, ne à Domino caſtigentur: ſicut iam caſtigatos eſſe aliquos viderent. Non iubet igitur abſtinere aliquos à Coena: ſed poſito hoc, quod pro more omnes accederent, hortatur vt omnes dignè accedere ſtudeant. Oratio prorſus talis eſt, ac ſi illos, qui conciones publicas non ſatis attentè audiunt, ſic horter. Non decet vos verbi Dei prædicationem ſic audire, ac ſi hiſtoria aliqua ſolum recitaretur. Qui enim ſic audit, poenas dabit Deo graues: propterea quod non diſtinguit inter verbum coeleſte, & hiſtorica hominum ſcripta. Huic, inquam, non prohiberem frequenter intereſſe concionibus: ſed docerem, quomodo rectè eas audire deberet. Quocirca ſiue tu concedas, ſiue neges, verum tamen ſemper fuit, eſt, erit, quod hac in parte dixi.

At homines ſic impelluntur obedientiæ prætextu ad mandati tranſgreſsionem. Nego tibi hoc ſequi. Ex dictis potes facillimè perſpicere, cur negem. Nam vt non impellit ad mandati tranſgreſsionem, qui hortatur aliquem, vt rectè audiat conciones: rectè oret: rectè praeſtet eleemoſynas: ita neque is tale quid facit, qui inſtruit, quomodo quis vti Coena dignè poſsit. Si ipſa ad Coenam acceſsio eſſet mala, aliquid diceres. At non Coenæ vſurpatio, ſed mala vſurpatio mala eſt. Non orare malum eſt, ſed non orare ex fide malum eſt, ac Deo diſplicet. Non Sacrificium offerre Deo, reprehenditur,

ſed

ſed hoc accuſatur, quod non eo modo offerrent, quo iuſſerat ſibi offerri. Semel dicam omnia: Nullus actus à Deo præceptus malus eſt: ſed malum eſt, quod huic contra Dei mentem vel additur vel demitur. Proinde qui iubet aliquem facere, quod Deus fieri præcepit: ac ſimul monet, vt vicio nullo Dei inſtitutum deformet, is ad mandati tranſgreſsionem neminem impellit. Vides quàm etiam hîc procul à mente abſis Apoſtoli?

Ad 16. venio. Deus non vult pauciores apud Chriſtianos inter membra externæ ſuæ Eccleſiæ cenſeri, quàm voluerit pro talibus haberi inter Iudæos. At omnes circumciſos voluit pro membris Eccleſiæ haberi, tametſi interim flagitioſos à magiſtratu ſeueriſsimè iuberet puniri. Ergo nunc omnes vult baptizatos, rectéque de religione ſentientes pro membris externæ Eccleſiæ haberi: tametſi non minus nunc velit facinoroſos gladio coerceri. Reſpondes, ſic Deum voluiſſe Iudæos omnes eadem ſacra participare, vt tamen nonnullos, niſi reſipiſcentiam teſtarentur, excluderet. Sæpè iam dixi falſum eſſe, quod Deum dicis alios à ſacrorum vſurpatione repuliſſe, quàm immundos. At his non erat reſipiſcentia aliqua præcepta, cum ſæpe ſine ſua culpa immundi fierent: ſed purificatio erat mandata, quæ certo ferè dierum interuallo perficiebatur, ſiue moribus eſſent meliores ſiue deteriores facti. Taceo quod non ex alieno arbitrio pendebat purgatio, ſed ex ſuo cuiuſq;, dummodo ritu Moſis purgarentur. Soli leproſi Sacerdoti ſe indicare cogebantur. Quod dicis, non omnia peccata fuiſſe capitalia, concedo. At illa fuerunt, propter quæ vos excommunicatis, vel omnia vel pleraque. Magiſtratus non capitalia ſolum, ſed & alia punit: nec morte tantummodo, ſed virgis etiam, carcere, mulcta, exilio ſontes plectit. In ſumma, frigidum eſt quicquid in medium adducis.

Poſtremo loco collocas, quod dixi, huc ſpectare ſimilitudines Retis, Nuptiarum, Zizaniæ, Paleæ & tritici. Illæ ſimilitudines, ais, de vniuerſali repurgatione loquuntur, quæ particulari, ſiue ciuili, ſiue eccleſiaſticæ non officit. Ex-

tra dubium puto eſſe, Chriſtum hiſce parabolis nihil voluiſſe tollere de poteſtate magiſtratus erga ſontes. Loquitur de Miniſtris tantum. Et in parabola de nuptijs, vt ex Auguſtino ſupra citaui, palàm dicitur, non inuitatores, ſed ipſum Dominum veſte nuptijs non congruente indutum iuſsiſſe eijci: inuitatores autem in mandatis habuiſſe malos & bonos in domum introducendi. In ea, quæ de Zizania eſt, manifeſtè vetat miniſtris Zizaniam, quam à tritico præclarè diſtinguere norant, euellere. Sic in Paleæ & Tritici parabola Iohannes, cum Phariſæos ad ſe venientes, vt baptizarentur, vidiſset, diſertè dicit, ſe aqua baptizare, nec poſſe videre vtrum ſeriò an fictè peterent baptiſmum; at Dominum eſſe, qui ventilabrum in manu ſua habeat, quem non ſint decepturi. Sed ad hæc ſatis multa.

Sicut in prima parte clarè apertéque docui, noſtram definitionem ac Pontificiorum accuſationem immeritiſsimò à te reprehendi, tuam autem definitionem ac reprehenſiones multis ac magnis erroribus ſcatere ita in ſecunda parte hæc ſic retudi plumbeas tuas obiectiones, quas contra aliquot argumenta noſtra (Nam & plura & aptius diſpoſita propoſuimus) vibraſti, vt non modo illæſa illa permaneant, ſed nulla ne minima quidem labecula reſperſa tinctáue appareant. Attigiſse illæ ſuperficiem noſtrorum videntur nonnullis, vt audio: at ſi attentè conſiderabunt, quomodo ſordes, quas eis allinere affricaréque ſtuduiſti, abſterſerimus, perfacilè videbunt, ſi non cæci ſunt redditi, priſtinum ipſa candorem ſuum recepiſse. An idem tu de tuis reprehenſionibus affirmare poſsis, iudicent omnes pij & eruditi. Teſtor Deum, me nihil magis optare, quàm vt omnino plurimi vtriuſque partis argumenta legere, expendere, iudicare velint ac poſsint. Te quoque iudicem meorum ferrem, niſi verbis & factis declaraſses, te defenſionem veſtræ illius excommunicationis non magis deſerere poſse, quàm doctrinæ veſtrarum Eccleſiarum. Summa omnium eorum quæ obijcis, hæc eſt: oportere peccatores pœnitere ac reſipiſcere: quod & nos dicimus. At non hoc venit in controuerſiam: neque hoc negauimus vnquam. Hoc quæritur

tur, an ſcilicet Deus mandârit, vt, qui lapſus eſt in crimen aliquod, non ante ſit pro reſipiſcente habendus, quàm cauſam ſuam probauerit quibuſdam Presbyteris ad hoc ordinatis: vt videlicet iudicent, vtrum eos, qui deliquerunt, feriò pœniteat, an potius ſimulent. Hoc probandum tibi erat. Deinde hoc etiam Deum presbyteris veſtris imperaſſe pœnitentiam ſimulantes, aut in bono propoſito non perſiſtentes per ſententiam ab eis ſolenniter latam à ſacramentis depellere. Sed tempus eſt, vt ad ſequentia pergamus.

CAP. V.

Confutatio Argumentorum D. Bezae, quae pro excommunicatione ex Teſtamento veteri attulit.

IN tertia parte argumenta ex veteri Teſtamento quatuor legi, (plura necdum vidi, vt qui ad proxima ſemper reſpondeam) quibus excommunicationem ſtudes probare: nec fœlicius te hîc agere video, quàm ſupra egeris, licèt meliora ſperauerim. Sæpe enim contigit, vt, qui aliena parum cōcinnè refutaret, ſua pulchrè probaret. Te verò, quantum adhuc vidi, tui ſemper ſimilem eſſe perſpicio: vt me planè oſtenſurum ſpero. Ergo primum tuum argumentum hoc eſt. Arbor vitæ Adamo Sacramentum fuit filij Dei, à quo beatitas eius omnis pendebat. Igitur cum ab eius arboris eſu prohibitus fuit, ad tempus à Deo excommunicatus fuit, donec ſcilicet reſipiſceret. Primum deſidero in te hîc, vt & alibi, attentionem & memoriam. Tu in tua deſcriptione ſupra recepiſti, (at de me nihil dicam) te de excommunicatione diſputaturum, quàm Seniores quidam in nomine Domini congregati exerceant: quæque hîc in terris declaret ac promulget eam, quæ facta ſit in cœlis: nunc autem exemplum mihi adfers eius, quod Deus in Paradyſo egit. Aut ergo non ad rem noſtram hoc pertinet, túque propoſiti tui oblitus es: aut deſcriptionem ſupra nobis attuliſti non rectam, vtrum feceris, malè feceris. Secundò, ſi poſſes oſtendere Deum eodem modo dixiſſe. Quiſquis indecorè viuit, à Sacramentis arcetor:

quo-

quomodo Adamo dixit: Si de hac arbore ederis, morte morieris, Paulò propius ad rem accederes. Quod cum probare non poſsis, quantum à ſcopo abſis, ipſe vides, opinor. Tertiò, non vetuit Deus Adamo ſacrificijs vti: ſed ipſi, vt tu etiam ais, ſacrificia imperauit. Caeterum nos de ſacramentis omnibus, non vno aliquo ſolo agimus. Quartò, non fuit ad idem ſacramentum iterum poſt poenitentiam admiſſus: ac proinde non poteſt illius priuatio comparari cum priuatione noſtrorum, ad quæ reſipiſcentes rurſus admittuntur. Nec excuſat, quod abſolutus ſit alio conuenientiore inſtituto. Vos enim abſoluendo ad eadem reducitis à quibus depuliſtis. Fuerunt conuenientiora conſtituta poſt Adami lapſum ſacrificia, fateor. Etenim ſignificabant reparationē amiſſæ faelicitatis poſt irrogatā poenam, nempe mortem. At hoc ad rem noſtram nihil facit. Quintò cum arbor vitæ ſacramentum fuerit vitæ, quam propter Chriſtum ipſum poſsidebat, ac nos poſſeſſuri ſumus, non negauit ei Deus ſacramenta ſignificantia reparationem illius vitæ & beatitatis in Chriſto. Illud habuit ſolus cum ſua vxore: poſteriora magis cōmunia & ſimilia habuit cum noſtris: ac proinde comparatio nō cum illo, ſed cum his facienda fuerit. Sextò non dicit ſcriptura Adamum expulſum fuiſſe ex Paradyſo, vt reſipiſceret, nec ideo dicit excluſum ne ſacramēto ſe vitæ conſolaretur: ſed ideo eiectum dicit, ne poenam, quam meruerat, effugeret. Poſtremò, vt alia omittam omnia, diſputamus nos de excommunicatione humana, non diuina: & de prohibitione ſacramentorum quæ Deus Eccleſiæ ſuæ per Moſen & per Chriſtum tradidit. Ab his neminem ex illis, de quibus loquimur, arcendum credemus & dicemus, quantiſper ex ſacris literis non fuerimus aliter edocti. Deus cum Adamo & poſteris eius ſic egit, vt rectum & iuſtum ei viſum fuit: ac deinceps quoque cum omnibus hominibus ſic agit. Nobis non licet facere in hac viſibili militia Eccleſiæ præter id quod mandatum nobis eſt in ſacroſanctis ſcripturis. Idcirco facilè tibi dedero, vt hanc expulſionem Adami ex Paradyſo, cum Auguſtino voces excōmunicatio-

nem

nem, (Non enim libenter de nominibus rixati velim) modò eam toto genere ab iſta differre memineris, de qua nos inter nos diſceptamus. Vidéſne, quàm ſis ſterilis & inanis in primo tuo argumento?

Cainum, inquis ſecundò, non tantum à facie ſua Deus expulit, ſed & ſimul ab externo cultu prohibuit. Ergo eum excommunicauit excommunicatione maiore, imò maxima. Prima pars antecedentis vera eſt: ſed tibi non patrocinatur. Tu enim mecum de longè alia excommunicatione diſputas, puto. Valde miror te ne nunc quidem tuam deſcriptionem reuocauiſſe in mentem. Vbi Seniores congregati? Vbi Eccleſiæ conſenſus? Conſcientia Caini eundem excommunicauit, non Conciliabulum Seniorum tuorum. Alteram partem Antecedentis tibi pernego, & pernegabo ſemper, dum ex ſacris literis probaueris. Locum profer, in quo iuſſerit Cainum & poſteros ſuos porrò non ſacrificare. Auguſtini teſtimonium ſinò eſſe hominis teſtimonium: at ego diuinum à te exſpectabam. Ego in Caini poſteris non audeo dicere nullos fuiſſe bonos: & ſacrificia alia habuiſse, quàm haberent poſteri Sethi: quamuis non pari fortaſsè animo vtrique ea vulgò vſurparent. Non audeo etiam affirmare, poſteros Sethi fuiſse aut omnes aut pleroſque bonos: imò videor mihi contrarium poſſe demonſtrare. Omnes nos non à Caino, ſed à Sethi poſteris, nempè à Noa ortum habemus. Ergo Cainum cum ſuis ſinamus: & de hiſce, id eſt, de Eccleſia Dei externa loquamur. In hac mali longè plures fuerunt, quàm boni (quod neque tu inficiaberis, ſpero) quorum tamen nullus oſtendi poterit à ſacramentis excluſus: illis, inquàm, quæ in Dei Eccleſiæ inerant. Vides iterum, quàm ſis infoelix probator?

At Lutherus, inquis, Cainum dixit excommunicatum, expectabam vt etiam Caluinum adderes. Si D. Lutherus hoc dixit, vſus eſt hoc nomine non propriè, quomodo nos de Excommunicatione diſceptamus. Sed eſtô, ſic dixerit. An propterea me credere iubes? Cur ergo non in

alijs

alijs quoque eidem tu ſimiliter credis? Hoc ſcio, D. Lutherum, ſi viueret, non petiturum, vt hac in re ipſi crederem, cum prorſus mihi perſuadeam, eum hoc in loco nomine excommunicationis liberius vſum fuiſſe. Ex Aben Ezra Iudæo teſtimonium cum adſcriberes, tuum potius ſomnium aliquod addidiſſes. Facilius enim tibi, quàm Iudaeo ſine ſcripturis loquenti credidero.

Argumentum tuum tertium, (quarto loco à te poſitum fuit) tale eſt. Ex verbis Num. 19. ſcriptis efficitur, immundos, de quibus ibi agitur, à reliquorum commercio per ſeptimanam excluſos fuiſſe: & niſi ritè prius expiati fuiſſent, quàm ſe alijs miſcerent, ex numero Iſraelitarum exterminatos, id eſt, non alio loco habitos fuiſse, quàm quo habebantur incircumciſi. De prima & ſecunda parte nunquam dubitaui. Vtrunque enim ſcriptura dicit: & cauſa mox plenius intelligetur. At quod exſcindi & exterminari idem ſignificent hoc loco, quod, pro incircumciſo haberi, neque tu, neque alius quiſquam in ſempiternum probabit. Dicam audacter. Si ex Hebraea lingua, quam non intelligo, Septuaginta interpretes rectè & propriè ſunt interpretati, (in primo loco legimus ἐκτριβήσεται, in ſecundo ἐξολοθρευθήσεται) nimium audax & indiſſimulanter malus eſt, qui negat idem ſignificare, ac interfici vel occidi. Quod ſi ergo idem hoc intelligis per haec verba, pro incircumciſo haberi, rectè ſentis, at malè loqueris: & cauſam tuam nulla in re meliorem facis. Quis enim conſecutionem hanc concedat: Moſes monuit tales occidione deletum iri, Ergo probauit Excommunicationem Allobrogicam? Si aliter ſentis, & hoc ſciens & prudens facis, nefariè facis. Nec aliud hic reſpondere volo.

Argumentum tuum quartum, ſumitur ab immunditia ceremoniali ſeu legali. Caeterum quia me vides argumentum hoc tam paruifacere, vt penè inſanire putem, qui ad illud confugiunt, conaris tu rationes noſtras refellere. Quomodo confutes, nondum vidi: & priuſquam videam, & ad obiectiones tuas reſpōdeam, cauſas ordine aliquot referam,

cur exiſtimem nullo modo fieri poſſe, vt aliquis ſanæ mentis vel mediocris Theologus, (ſaltem poſt admonitionem noſtram) hinc Excommunicationem, de qua inter nos controuerſemur, comprobari firmaríque credat. Ero fortaſsè hac in parte longior: attamen oratum volo lectores, vt me excuſatum habeant. Quoniam enim tam multi hîc impingunt, fuſiùs explicanda haec res viſa eſt.

Libri primi finis.

Secundus Liber incipit.

CAP. I.

De immunditia Legis & morum.

IMmunditia duplex reperitur in ſcripturis. Vna eſt impuritas Legis, quam externam, corporalem, & Ceremonialem vocare poſſumus. Altera turpitudo eſt morum, quam itidem ſolemus moralem appellare, ſeu morum vicioſitatem. Quaeritur ergo nunc, an illa ſic figurarit hanc, vt quemadmodum, qui lege immundus erat, ex mandato Dei à ſacris & Tabernaculo arcebatur, ita etiam qui graue peccatum commiſit, à Sacramentis noſtris ſit tantiſper repellendus, (etiamſi, qui reus eſt, eis vti velit & cupiat) dum Presbyteris quibuſdam iudicetur idoneus, qui ad ea rurſus admittatur. Ad hanc quæſtionem veluti ad certum ſcopum, referenda ſunt omnia, quae de hac re dicemus. Nos ergo negamus immunditiam Legis hactenus ſignificauiſſe obſcœnitatem morum, vt hinc probari poſſit, eádem pœna externa plecti vtramque debere: ſententiámq; noſtram

noſtrã multis ac validis ex ſcriptura depromptis argumentis comprobamus. Tam enim multae ac magnae inter has duas deformitates exſiſtunt differentiae, vt vnius proprietates non poſſint in alteram ſic transferri, vt inde probetur, vnam eandémque pœnam externam vtrique conſtitutam fuiſſe.

Primùm quidem accidebat multis impuritas Legis præter & cõtra ſuam voluntatem: vt cum noctũ aliquis polluebatur: aut Gonorrhœa corripiebatur: aut vxori condormierat, cui vel menſes profluere cœperant, vel muliebris fluxus ſuperuenerat: aut morientibus liberis, parentibus, vxori, fratribus, alijs aderat. Omnia haec tametſi contra voluntatem frequenter nonnullis euenirẽt, immundi nihilominus erant, immundus ſimiliter erat, qui rem immundam in Lege prohibitam vel neſcienter tetigiſſet. Cæterum ſceleratè nullus viuit contra propriam ſuam voluntatem, ſed volentes malè agunt, quicunque viciosè agunt. Quocirca manifeſtũ eſt, non vtroſque eadem pœna externa afficiendos.

Secundò conſtat, Deum nullo in loco purè ſimplicitérque iuſſiſſe Iudæis, vt omnem fugerent immundiciam Legis quouis loco & tempore. Equidem non praecepit eis, vt nullo modo polluerentur: ſed pollutis imperauit, vt ſecundum praefinitionem Legis ſemper purificarentur: aut ſi id facere recuſarent, occiderentur, Num. 19. Sanè Deus voluit in ſuo populo eſſe, qui morientibus adeſſent, qui funera curarent, qui mortuos ſepelirent, qui luſtrali aqua pollutos aſpergerent ac purgarent: licet omnes illi, qui talia facerent, immundi neceſſariò redderentur. An eodem modo conceſsam nobis à Deo facultatem dicemus aliquo tempore & loco ſceleratè viuendi? Non arbitror: cum omnia facta turpia ſub grauiſſimis pœnis ſemper & vbique vetuerit.

Tertiò potuit vir optimus & ſanctiſſimus tunc, cum nihil omninò mali & flagicioſi cogitaret aut faceret, Legaliter immundus reddi: vt ex his, quae nunc diximus omnes perſpiciunt. At flagicioſus non, ſimul & agit ſceleratè &

purus eſt ac ſanctus. Proinde neceſſe eſt infinitiès acci-diſſe, vt nullo ſcelere deformatus, ſed inculpatè viuens, immundus hoc modo fieret, atque ad Templum & Sacrificia ire prohiberetur, dum omni turpitudinis genere contaminatus alius,(at ſecundum Legem mundus) in templum ingrederetur, Diuinóque cultui adeſſet. Cæterum non mãdaſſe Deum Moſi, vt alios vllos à Templo excluderet, quàm legaliter ſordidatos, certo eſt certius. Quippe neque vnum neque dimidium verbum in omnibus Moſis libris exſtat, quo ſceleribus inquinati arceri à Templo, ceremonijs, cultúque Dei iubeantur, vt mox pluribus oſtendetur. Hoc in loco ſufficiat nobis exemplum Adulterae in Templum adductae à Phariſaeis Iohan. 8. Ab hac Templum conſtat minimè fuiſse profanatum (aliàs enim non introduxiſſent eam Phariſaei,) cum immundus aut Gentilis omninò profanauiſſet.

4 Hinc aliud diſcrimen oritur, ab vtriuſque pœna ſumptum. Legis enim ſordes eiectione è caſtris puniebantur: Moralis fœditas igne, gladio, laqueo, plagis, ſeruitūte, mulcta, mutilatione, carcere ſeu vinculis, caſtigabatur. Quocirca cum conſtat diſſimilibus pœnis vno eodémque tempore affectos fuiſſe hoc vel illo modo ſordidatos, conſtat illud etiam, quod de principio dictum eſt, nempe legis maculam non ſic ſignificauiſse morum vicioſitatem, vt illius pœnæ huius quoque pœna poſſit exiſtimari. Sanè Moſes à ceremonijs & Templo ſeu Tabernaculo repulit omnes ſecundū Legem immundos, tametſi nulla ſua culpa polluti eſsent: at ſolos illos ſceleratos, quicunque volentes ac ſcientes facinus aliquod perpetraſsent, plecti iuſſit: non negatione Sacrificiorum, ſed pœnis nuper dictis.

5 Etſi enim cum eo, qui inuitus & contra ſuam voluntatem homicidium, exempli gratia, commiſiſset, longè mitius ageretur, non tamen eodem pœnæ genere afficiebatur, quo legaliter immundus affici ſolebat. Quod ſi alteram impuritatem ab altera ſignificari voluiſset, quomodo nunc aliqui putant, pœnas quoque reſpondere oportuiſset.

Differunt

Differunt ſextò, quod facinoroſi capite puniebantur, etiamſi pœnituiſſet eos admiſſi facinoris: ſicut è contra qui legaliter immundi fuerant facti, quantumuis volentes tales eſſent, certis ceremonijs certóque temporis ſpacio ab immundicia ſua vel inuiti liberabantur. Quamobrem vt facinoroſis, ſiue eos facinoris ſui pæniteret ſiue non pæniteret, pœna non minuebatur: ita legaliter immundis, ſiue dolerent propter factum ſuum, ſiue non dolerẽt, nec pœna augebatur, nec purgationis tẽpus prorogabatur. Deus ſingulis immunditiæ ſpeciebus certam purificationis formulam, certúmque tempus praeſcripſit. Quae qui ſeruauerat, mundus erat, próque mundo habebatur, etſi eum facti ſui non pœnituiſſet. Nulli enim conſtituti fuerunt Iudices, qui in hanc rem inquirerent, quomodò volunt hodiè *Seniores* quoſdam hiſce rebus occupari. At animi turpitudo nullo tempore poteſt definiri: cum alij citò, alij tardè, alij nunquam reſipiſcant.

7 In modo etiam purificationis ſeu emundationis manifeſtum eſt diſcrimen. Quippe turpitudo Legis aqua communi plerunq; eluebatur: ſæpè aqua luſtrali, de qua Num. 19. legimus, emundabatur: nonnunquam alia ratione tollebatur. At morum vicioſitas, ſi in ſcelus erupiſſet, ſola morte facinoroſi expiabatur: ſi leuius eſſet peccatum, vel certis ſacrificiis, vel mulcta, vel ſeruitute, vel plagis aliquot abſtergebatur. Quo pacto igitur altera poteſt alterius figura ſic cenſeri, vt ſimilis pœna ſtatuatur vtrique, cum non pęnas modo infinitè differentes, verumetiam diſpares omninò purgationes Deus præſcripſerit?

.. Octauò differunt, quod Legaliter immundus arcebatur à templo quocunque & quacunque de cauſa immundus eſſet. Non enim in immunditia diſcrimen hac in parte erat, ſed in tempore. Plerique enim cum occidente Sole aqua abluti mundabantur, Alij ſeptimum exſpectare diem cogebantur. Nonnullos, vt Leproſos, & Gonorrhœa laborantes finem morbi expectare Lex iubebat. In hoc autem erant ſimiles omnes, quod interim dũ immundi eſſent, à Sacrificijs

remouebantur. At non omnes improbos hodiè vultis arceri à Sacramentis, ſed quoſdam ſolùm. Quare non eſt verum, quod dicitis, impuritatem Legis ſignificauiſſe turpitudinem morum: ſed quoſdā duntaxat ſignificauiſſet corruptos mores. Hos ergo cum ex ſacris literis determinare non poſſitis, liquet hîc quoque non reſpondere vobis hanc ceremoniam. Si maximè aliquos præfiguraſſet, non poſſet hoc tamen de illis intelligi, quos ſpeciatim Lex puniri certis conſtitutis pœnis mandet. Itaque de leuioribus accipiendum eſſet peccatis: quæ ne vos quidē vultis Excommunicatione vindicari. Scriptura docet vicioſos ad cultum rectum verámque agnitionem Dei & ſui inuitandos eſſe ſtudioſiùs, & admonendos diligentiùs, (interim non debet officium ſuum negligere Magiſtratus) quo tandem mores corrigant, vitámque emendent.

Nonò differunt, quod, qui iuxta Legem immundus erat, etiamſi longo tempore, imò per totam vitam talis permaneret, (vt ſi vir Gonorrhœa vel Lepra eſſet affectus: aut ſi mulier menſtruis vel profluuio muliebri laboraret) non tamen pro non Iudæo, vel non circumciſo, aut pro improbo damnatóue habebatur. Cogebatur nihilominus ſecundùm ritus patrios viuere, Sabbathum cuſtodire, aliáque talia facere. Quinetiam à Sacramento Expiationis generalis, quæ die 10. Menſis Septemb. peragebatur, Leuit. 16. & 23. immundi nulli excludebantur. Etenim Deus per Moſen expreſſè mandauit, vt ſub pœna excidij ſui omnis anima in populo Iudaico, nulla facta exceptione vel immundorum vel aliorum, illo die, quo Sacerdos in Sanctum-ſanctorum ingrediebatur, ad expiandum totius populi peccata, dolorem ſuum luctu, ieiunio alijſque ceremonijs teſtificaretur. Ex quo pueri etiam intelligant, non fuiſſe de immundorum iuxta Legem ſalute dubitatum, etiamſi in illa impuritate obijſſent mortem. Certiſſimè conſtat, nullum exſtare in ſacris literis locum, qui doceat, hoſce vel à Deo, vel ab hominibus pro deploratis maliſque, ſiue pro Ethnicis & publicanis habitos fuiſſe. Poterant enim hi morbi, vt etiam hodie contin-

git,

git, in optimos quoſque non minus, quàm in facinoroſos, cadere. Hoc autem quo pacto accommodabimus ſceleratis vel excommunicatis? Sanè nullus eſt excommunicator, qui nō valde metuat, ne damnati ſint, qui excluſi moriuntur.

Magiſtratus quoque nulla pœna afficere illum poterat, qui propter durabilem morbum per omnem vitam immundus manebat. Sed ſi quis ſcelerate agere viueréque pergat, eum non debet Magiſtratus immunitum ſinere.

Vndecima differentia eſt, quod Legalis turpitudo certo ſolùm tempore, ínque certa duntaxat Gente locum habuit. Nam apud ſolos Iudaeos poſt Moſen valuit. Morum autem turpitudo ſemper & vbique turpis fuit, eſt, erit. Et cum hęc fuiſſet antequam illa ordinaretur, ac maneat poſtquam illa eſſe deſijt (imò cum non minus tunc fuerit, cum illa vigeret, quàm nunc ſit, poſtquàm illa tot ſeculis abolita exſtinctáque permanſit) non video, quomodo hanc illa repraeſentare figuraréque ſic debuerit, vt figurauiſse vos contenditis. Vmbrae corporibus cedunt, & figurae deſinunt; cum res figuratae eſſe incipiunt, quoties res externa externam figurat. Nam de internis aliter ſentiendum eſt. Sed neque tunc, cum Legis immunditia obſeruabatur, vicia non erant: neque poſtquàm obſeruari deſijt, vicia primùm ſunt nota: neque minus etiam nota ſunt aut fuerunt vicia iſta turpitudine Legis, vt per eam ſcelera nobis depingenda fuerint. Ex quibus ſatis liquet, non ſic ipſam ſignificauiſse vicia, vt argumēto inde ſumpto Excommunicatio fulciri queat.

Duodecimum diſcrimen ex eo naſcitur, quod aliquis mundus tangens rem mundam, quae aliorum impuritatem abſtergeret ac tolleret, immundus reddebatur. Equidem qui aquam luſtralem, qua plurimos immundos oportebat purgari, tetigerat, eáque alios conſperſerat, purgandi gratiâ, immundus erat vſq; ad veſperā, quo tempore aqua ſe haud aliter abluere cogebatur, ac ſi rem quampiam immundam contrectâſſet, Num. 19. At quae ſceleratum efficiunt animum, eą nequaquam vicioſitatem curant: nec quæ aliorum

flagitijs medentur, flagitioſum aliquem reddunt. Proinde hîc quoque magna reperietur inter vtramq; diſſimilitudo. Sic enim qui à ſcelere alium liberaret, eo ipſo, quo alium ſanaret, ſeipſum ſcelere inquinaret: quod longè abſurdiſſimum eſt cogitatu.

13 Adde quod, quo tempore Moſes legaliter immundos arcuit à Tabernaculo & Sacrificijs, plurimi mali & flagitioſi fuerunt, ipſomet teſte. Proinde conſequeretur ipſum eodem tempore eandem rem conceſſiſſe ac prohibuiſſe. Si enim Legis deformitas ſignificauit probroſos homines Sacramentorum negatione coercendos eſſe, atque eodem tempore tales multos ipſe admiſit, quod hiſtoria demonſtrat: conſequens eſt, vt, quod in figura prohibuit, hoc in ipſa re ſignificata permiſerit: quod eſt abſurdum dictu pariter & cogitatu.

14 Taceo quod figurae nullae ponuntur rerum praeſentium, ſed futurarum. Loquor de rebus externis, quando ſcilicet ſignum & ſignata res externae res ſunt, & vtraque æquè nota eſt. Quod ideo moneo, ne mihi aliquis obijciat circumciſionem, quæ praeſentis rei imago fuerit. Non enim neſcio res internas & ſpirituales, quas propter imbecillitatem noſtram abſque externis adminiculis non poſſimus rectè perſpicere, nobis à Deo externis ritibus ac ceremoniis velut ſimulachris quibuſdam adumbrari. At furta & homicidia non minùs incurrunt in oculos noſtros, nec minùs nota nobis ſunt, denique frequentius nobis occurrunt, quàm contactus excrementi aut cadaueris. Quocirca fruſtra nobis talia conetur aliquis per aliarum rerum ſpecies depingere. Summa eſt, Deum tunc per legalem immunditiam, ceu per quandam figuram non voluiſſe docere, quomodo ſcelera coercenda forent. Hoc enim docuit apertis & explicatis verbis abſque omni figura & vmbra, eodem illo tempore, quo ſecundum Legem pollutos ad purificationem vſque iuſſit arceri ab aliorum ſocietate.

Decimoquintò, docet idem hoc Lepræ conſideratio. Primum enim certum eſt, domos, veſtes, ligna, lapides,

 ſuppel-

ſuppellectilem alium; non eſſe capacem Lepræ animi, ſeu vicioſitatis morum: at hæc omnia Lepra legali infici poterant. Quæ ratio etſi in alijs quoque immunditiæ ſpeciebus certo modo valet, huic tamen peculiariter competit. Deindè nihil iubentur pro ſanatione facere, ſed tantum à Deo liberationem exſpectare. At ſceleratis imperatur, vt vitam corrigant, ſceleraque fugiant. Poſſunt igitur hi ſe liberare à pœna, ſaltem ſimulatè, ſi non verè: at illi tale nihil poterant. Tertiò præſcripſit Deus formam Sacerdotibus ſecundùm quam inter Lepram & Lepram dijudicent, & iuxta quam ſanatum aliquem aut non ſanatum pronuncient: ipſi pro ſalute eius nihil facere iubentur. Quæ ipſa quoque nullus hominum aptè & verè poterit animi lepræ, eiuſdemque ſanationi & dijudicationi aptare. Longè aliter facinoroſos à miniſtris tractari conueniet, ſi exſtinguere lepram iſtam animorum velint. Poſtremò qui totus ſic erat leproſus, vt vniuerſæ cutis color vnus idémque eſſet, non varius, pro mundo habebatur Leuit. 13. Dicemúſne ergo illum carere ſceleribus, proque ſancto tenebimus & innocente, qui ſic eſt vicijs coopertus, vt nihil habeat in ſe amplius boni & honeſti? Cæterùm nequis arbitretur aliam eſſe citati loci ſententiam, verba Philonis hac de re ex libro περὶ φυτουργίας, vbi de virgis Iacobi varicoloribus loquitur, adſcribam. παρ᾽ ὃ καὶ ἐν τῷ περὶ τῆς λέπρας τεχθέντι νόμῳ διείρηται, τὸν μηκέτι συνδιεσπαρμένον ποικιλίᾳ χρωμάτων, ὅλον δὲ λευκανθέντα, δι᾽ ὅλων ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν ἄκρων, καθαρὸν εἶναι. Dicit autem λευκανθέντα, quoniam Lepra quædam erat alba inſtar niuis, vt ex Leuit. cap. 13. Exod. 4. Num. 12. & 2. Reg. 5. apparet.

Illud inſuper propoſitum noſtrum declarat ſimul ac probat quod non rectè cum ſceleribus comparetur legis immunditia. Etenim hęc macula ſeu fœditas, qualitas quædam fuit ac diſpoſitio: at ſcelera ſunt actiones, opera, & fruct⁹ quidam eius vicij, quod in hominum animis inſitum latet. Proinde non debet hęc corporis deformitas & qualitas cum prauis actionibus conferri: Sed cum animi noſtri morbo ingenitaque naturæ noſtræ fœditate & diſtorſione.

Nam

Nam vt aliud eſt immunditia, & aliud actio immundi, quoad immundus eſt:ſic aliud eſt vitium nobis congenitum, & aliud rurſus actio eius ſeu flagitium. Iccirco qualitatem qualitati, & actiones actionibus comparare conuenit: non autem diſputationem vnam operationibus alterius diſpoſitionis. Ergo per immunditiam legis figurata nobis fuit naturæ noſtræ corruptio & deformitas, cauſa videlicet ſcelerum: non ipſa ſcelera.

Ita ſi ceremoniam iſtam interpretemur, pulchrè conſentire omnia reperiemus, quæ de ea ſcripta inuenimus. Conſtat terreſtrem Hieroſolymam terræque promiſſæ poſſeſſionem, ſpeciem quandam fuiſſe Regni cœleſtis. Proindè vt ibi in Tabernaculum immundi nulli, ſiue aliena ſiue propria culpa tales fuiſſent facti, admittebantur antè purgationem: ſic nullus in cœleſte Regnum intromittetur, niſi qui animæ naturæque ſuæ deformitatem aqua luſtrali, ſanguine videlicet Chriſti eluerit. Sanctus enim Deus, ſanctumque regnum eius: in quo maculatum nullum feret, ſiue volens ſiue nolens, ſit contaminatus. Quippe vt immunditia legis & volentibus & nolentibus obrepebat, ſic naturæ noſtræ diſtorſionem ſibi volentes acceſſiuerunt Parentes noſtri comeſtione vetiti pomi, quod poterant non edere: nos autem eandem ab ipſis nolentes ac neſcientes accepimus. Sic intellexerunt hanc ceremoniam Iudæi veteres, vt ex Philone perſpicimus. Sic D. Ioh. in 21. cap. Apocalypſ. exponere voluiſſe videtur. Sic & Prophetæ nobis eam videntur propoſuiſſe intelligendam, vt ex Eſa. cap. 52. & Ioelis 3. apparet. Paulus quoque Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos, præſertim cap. 9. huc reſpexiſſe videtur. Huc & illud Auguſtini contra Donatiſtas ſcribentis pertinere videtur, vbi non minus ſcitè quam verè monet, tum prædicta, tum alia ſcripturæ loca omnia, quæ Eccleſiam dicunt abſque immunditia fore, de altero ſeculo exponenda intelligendaq; eſſe. Hiſce conſonat hiſtoria Petri, Act. 10. & 11. cap. Cum enim iuſſus eſſet immunda animalia edere, atque ille recuſaret

cuſaret, vocem audiuit dicentem, Quod Deus purificauit, tu ne polluas. Hanc viſionem cum non intelligeret, à ſpiritu ſancto edoctus eſt, immunda animalia, quæ edere noluerat, ſignificauiſſe Gentes, hoc eſt, fide vera carentes. Ideo Act. 15. cum diſceptatio orta fuiſſet, an & Gentes, quę ad Chriſtum conuerterentur, oporteret circumcidi, & Moſis legem ſeruare, ait inter alia Petrus. Deus inter nos & ex Gentibus conuerſos nihil diſcreuit, fide purificatis eorum cordibus. Hîc manifeſtè audimus immunditiam legalē denotauiſſe naturæ noſtræ corruptionem ſeu infidelitatem: & immunda animalia figurauiſſe homines à Deo alienos fideq; deſtitutos. Si enim fides purificauit hactenus Gentes, vt inter ipſas & Iudæos nihil Deus diſcriminis poneret, neceſſarium omninò eſt, vt infidelitas & ignoratio Dei, ſiue naturæ noſtræ corruptio, illa eſſet immunditia, quam legalis illa figurabat. Quam enim labē abſtergit à cordibus noſtris aliam fides in Chriſtum, vt nos purificet, quàm eam, per quam naſcimur filij iræ, quámque ex parentibus noſtris naſcendo contrahimus? Nullam. Itaque dubitare de hac re porrò non poſſumus, ſi modo Spiritusſancti interpretationi fidem habere volumus. Ergo ſicut legalis pollutio tum aqua luſtrali, tum alijs ablutionibus tollebatur, ita immunditia ab ea ſignificata ſanguine Chriſti abluitur: cum vera fiducia apprehendimus beneuolentiam & gratiam Dei in Chriſto exhibitam.

Qui de pręſentis ſeu viſibilis Eccleſiæ ſtatu accipiunt hanc à Templo excluſionem, ij pręterquam quod plurima inſtituto ſuo nunquam poterunt aptare, manifeſtam quoque in ſcripturam inuehunt contradictionem. Quippe contradictoriæ ſunt hę orationes. Mares circumciſi omnes, quicunque mundi ſunt iuxta legem, Paſcha celebrent: &, Qui ſcelere ſe polluit, etiamſi iuxta legem ſit mundus, non celebret Paſcha. Hęc enim tantundem ſignificat, atque iſta. Non omnis mundus iuxta legem celebret Paſcha. Sic contradictoriæ ſunt etiam ſequentes. Omnis anima Sabbathum ſeruet: &, ſcelere contaminatus Sabbathum

non

non ſeruet. Item hæ: Omnis anima in die expiationum teſtificetur luctum: &, Obſcœnis præditi moribus non teſtificentur illo die luctum. Niſi particulares haſce negantes in Sacris literis oſtendas à Deo poſitas, neceſſe eſt, vt vel contradictoria in ſcriptura contineri fatearis, vel ſententiam tuam falſam eſſe concedas. Habitus igitur vel diſpoſitio cum alterius habitus vel diſpoſitionis operationibus comparari non poſſunt.

Sed nec qualitas cum qualitate hac quidem in re conferri poteſt. Quoniam omnis immunditia legis ſemper & in omnibus excluſione cohibebatur: licet contra legem nihil facerent immundi, ſed ab omni cœtu, ſicut iuſſi erant, abſtinerent. At nemo propter ingenitam naturæ corruptionem punitur, ſi ſcelerati aut vitioſi nihil agat. Quod ſi velis ab Eccleſię viſibilis ſocietate excludi mentem habentes ſordidatam, etiamſi ſcelus nullum admiſerint, omnes omninò homines ſecludi oportebit: quod non modò abſurdum eſt, verumetiam cum hypotheſi veſtra pugnat. Quod ſi non diſpoſitiones, ſed actiones vtriuſque impuritatis conferre inter ſe malis, tantundem effeceris. Vt enim alias multas differentias omittam, vt quod ingreſsio in Templum bona eſt, ſi mundus ſit, qui ingreditur, cum ſceleratum factum nullo tempore ſit laudabile: & quod actio immundi non poteſt mala iudicari, ſi neſciatur ab immundo edita, cum ſcelus pro ſcelere omnes agnoſcant, etiamſi hominem malum eſſe prius non ſciuiſſent: (Hic enim ex actione cauſa, ibi ex cauſa actionis natura intelligitur) hoc nobis abundè ſufficiet, quod actiones immundorum, quoad immundi erant, excluſione longiore non puniebantur, ſed morte, Num. 19. Quocirca inde concludendum foret ſceleratè agentes capitali ſupplicio afficiendos eſſe: quod in grauioribus facinoribus equidem debet obſeruari. Quocirca non fuit excluſio hęc, qua propter legis immunditiam aliqui prohibebantur venire in cœtus publicos, figura rei cuiuſpiam in hoc ſeculo complendæ, ſed imago & ſimulachrum fuit rei in altera vita perficiendæ.

ficiendæ.

Vltimo loco demonſtratur idem certiſsimè ex eo, quod iuxta legem immundus inquinabat cohabitantes, veſtes, lectos, ſcamna, vaſa, loca in quibus verſabatur. Moribus autem immundus nullum contaminabat à ſe alium niſi conſentientem. Qui immundum ſecundum legem, veſtémue eius contrectabat, aut in domum aliquam, in qua lepra leproſiúſue erat, ingrediebatur, is quoque reddebatur immundus: & purificare ſeu purgare ſe cogebatur, priuſquam cum cæteris in Templum introiret. At qui cum fure vel adultero commorabatur, is non ſic fœdabatur, vt purificatione legis labem abſtergere, hominumq́ue cõſuetudinem vitare cogeretur. Quippè nullum ex ſacris literis proferri teſtimonium poterit, quo vel patrator ſceleris, vel ipſum tangens, vel locus in quo erat, probetur legali ſorde infectus fuiſſe. Sceleribus & ſceleratis vbique iraſcitur Deus, nullibi tamen ceremonias inſtituiſſe legitur, quibus vel ipſi, vel res, homines, loca, ab ipſorum contactu inquinata purgarentur. Quippè ſupplicio capitis, mutilatione, mulcta, ſeruitute, cruciatu corporis & plagis emendari ſceleratos imperauit. Aliter habet res, ſi de naturæ noſtræ vitioſitate loquamur. Etenim generans communicat generato totam hanc naturæ corruptionem, hoc eſt, talem generat, qualis ipſe eſt, quod ad labem & naturæ deprauationem attinet. Secùs fit in operationibus. Non enim eſt neceſſarium, vt furis aut latronis filij itidem furentur aut latrocinentur, licet naturæ corruptionem neceſſariò participauerint à parentibus. Edit enim hæc vitioſitas varios & diuerſos fructus, non eoſdem in omnibus.

Cæterum quod moribus immundi, ſi modo legis immunditia non eſſent contaminati, ſua improbitate Templum, Sacrificia, res mundas alias, non ſic macularint, vt ſanctis & probis pollutæ eſſent, ac purificari ceremonijs legis opus haberent, non rationibus tantum poteſt monſtrari, ſed illuſtriſsimis quoque exemplis declarari. Quanquam

quàm verò pietatis & veritatis amantibus, præter ea, quæ iam dicta ſunt, hoc vnum abundè ſatisfacere poſſit, quòd nullus ſcripturæ locus exſtat, qui corruptè viuentes, modò ceremoniali immunditia carerent, probet ſic inquinaſſe homines & loca vicina, quomodo legis impuritate infecti fœdabant, non grauabor tamen exemplis aliquot hanc rem pleniùs declarare. In veteri Teſtamento legimus, Num. 5. cap. adulterij ſuſpectam perductam fuiſſe ad Sacerdotem in conſpectum Dei, vt periculum de ipſius caſtitate fieret per aquas amaras, ſiue illa nocens eſſet ſiue innocens: at non legimus vel eos qui adduxerunt, vel Sacerdotem, vel locum ſacrificij, ad quem ducebatur, ſic ab ea pollutum fuiſſe, quomodo ab immundis iuxta legem polluebantur. Nec excuſat dubitatio vel mariti vel aliorum. Nam vt maximè patefieret aliquam nocentem eſſe, non tamen ideo legimus Templum fuiſſe pollutum. At ſi quem immundum iuxta legem in Templo fuiſſe reſciuiſſent etiam poſtea, mox ſanè ex præſcripto verbi Dei repurgauiſſent.

In nouo Teſtamento ſimile propemodum exemplum legimus, Iohan. 8. cap. de muliere in adulterio deprehenſa. Hanc Phariſæi ad Ieſum adducunt in Templum, quod certè facturi nunquam fuiſſent, ſi per eius præſentiam exiſtimauiſſent Templũ atq; ſemetipſos pollui. Iidem à Chriſto, quẽ vtique pro blaſphemo, falſo Propheta, ſeditioſo, & vt ſemel dicam omnia, pro ſceleratiſsimo, Pilato tradebant, non ſe putarunt inquinari, quod cum eo verſarentur: at ex introitu ſeu contactu Prætorij maculari ſe non ignorârunt.

Patet idem ex hiſtoria Pauli Act. 21. Cum enim hominem eſſe iudicarent ſedicioſum & blaſphemum, non tamen ab eo putarunt Templũ fuiſſe pollutum: at à Græcis, quos ab ipſo introductos non tam vociferabantur quàm mentiebantur, pollutum exiſtimabant. Clariſſimè igitur patet, non improbos, ſed legaliter immundos, etiamſi moribus eſſent caſtiſſimis, Templum & cohabitantes inquinauiſſe. Quibus omnibus addere illud etiam potes, quod apud Math. 27. cap. de Iuda legimus his verbis. καὶ ῥίψας τὰ ἀργύρια ἐν τῷ ναῷ,

ἀνεχώρησε. Cum in Templo, inquit, argenteos nummos abieciſſet, ſeceſsit. Erat ergo in Templo, vt docent circumſtantiæ, cum abijceret. Neque excuſat, quod dici poſsit ab aliquo, eum non fuiſse pro nequam habitum. Nam & Iudas confeſſus fuerat ſe innocentem prodidiſſe: & ipſi eum ſecū pactum norant: pecuniamque in Theſaurum Templi reponere noluerunt, quia pecunia eſſet ſanguinaria & proditoria. Apertè ergo, ex veteri & nouo Teſtamento, quod propoſitum erat oſtendi: nec tamen Publicanorum memini: qui vel ſoli ſufficerent nobis ad huius rei probationem.

Hiſce omnibꝰ iam & iſtud addatur, quod neq; Moſes, neq; ſancti Iudices, Sacerdotes, Reges, Prophetæ, alij boni & pij à Templo & ſacrificijs abſtinuerunt, quia multi vicioſiſſimi eadẽ ſecum celebrarent. Nec ideo Manna & aqua ex petra Chriſto promanans nõ fuerunt ſancta, quia vnà cum paucis bonis multò plures mali ederũt ac biberunt. Sic & in feſto Purificationis ſiuè Expiationis non ideo nõ expiabantur rectè bonorũ & fideliũ peccata, quia longè plurimi inter ipſos corruptiſſimè viuebant. An polluit æneũ ſerpentem ſceleribus pollutorũ aſpectus? Minimè. Progenies illa Viperarum Phariſæorũ & Sadducęorũ nequaquã fœdauit ſua nequitia Baptiſmũ Iohannis. Deniq; neq; Iudas maculauit ſacrificia cœnamq; vltimã Chriſto alijſq; accumbentibꝰ diſcipulis. At ſi legaliter immundꝰ aliquis in Templũ fuiſset ingreſſus, nec Prophetæ, nec Sacerdotes, nec alij voluiſsent vti ſacrificijs antequã repurgata fuiſſent Templũ, vaſa, homines. Si in cœna Domini diſcubuiſſet Petrꝰ iuxta legẽ immundus, certè totã cœnã ſic polluiſſet, vt alijs celebrare eã tunc non licuiſſet: quod nequitia Iudæ non potuit perficere, propterea quod Deo ſic fuiſset viſum. Non puto quenquã expectare, vt pluribꝰ aut firmioribus teſtimonijs vel exemplis probem, quod probandũ ſuſcepi: nempe immũditiã morũ nõ ſic homines, veſtes, loca, res alias vicinas cõtaminauiſse, vt alij nõ poſſent ijs rectè vti, quẽadmodũ legaliter immũdi talia cõtagione & vicinitate ſua inficiebant. Si immũdꝰ in Tẽplo fuiſset deprehenſus, nõ licebat alijs ſacrificijs ibidẽ vti ante repurgationẽ.

At

At ſi malis præditus moribus ingreſſus fuiſſet, nulla erat purificatione Templi, vaſorum, hominum, aliarum rerum opus: ſed bonis omnia manebant ſancta & bona. Ex quo ſatis eſt manifeſtum, non ſic illos immundos ſignificauiſſe hos, vt vel tunc vel nunc eadē vtriſq; poena fuerit conſtituta.

Ex ſupradictis omnibus hæc neceſſariò conficiuntur. Primùm, quod præcipuè intendebamus, eſt, immunditiam legis non ita ſignificauiſſe aut præfigurauiſſe ſcelera, vt in his terris eodem modo eadémque pœna coercenda eſſe concludi poſſit. Alterum hoc eſt, improbitatem morum longè fuiſſe deteſtabiliorem coram Deo, quam ceremonialem turpitudinem: quantumuis hæc Templum, vaſa, homines &c. ſic inficeret, vt purgatione ceremoniali opus haberent: illa autem ſic neque homines, neque Templum, neque res alias inquinaret. Etenim ſi comparare pœnas voles, longè grauiores illi, quàm huic immunditiei decretæ ſunt. Nam ſcelera grauiora cruce, igne, gladio, lapidum iniectione: leuiora mulcta, & plagis plectebantur: cum ceremoniali immunditia inquinati plerumq; ad breue aliquod tempus ſolum à Templi hominumque aditu arcerentur. Quis eſt ita rudis, vt neſciat maius eſſe occidi, quàm per dies aliquot à Tēpli ingreſſū remoueri? Proindè ſi Deus pœnas conſtituit maiores & acerbiores ſceleribus, quàm legis ſordibus, deteſtabiliora quoq; indicauit. Tertium eſt, perperā alios affirmare legis immundiciam nō verè polluiſſe caſtra. Etenim ex infinitis propè locis apparet, Deum tunc ita ſtatuiſſe ac ordinaſſe, vt, ſi pollutus in caſtris eſſet, repurgatione indigeret. Qua igitur ratione hoc negabimus, quod Deus tam diſertis explicatiſque verbis toties affirmat? Cui maior habenda fides? Deóne an aduerſarijs noſtris? Si per, non verè, intelligunt, non moraliter, concedo quod dicunt. At ex eo non conſequitur, caſtra per eam non fuiſſe verè maculata, vt purificari opus haberent per ceremonias à Deo inſtitutas. Cur mortem interminatur ei, quicunque ante purgationem in Sanctuarium venire auderet, Num. 19. ſi non verè polluebat?

Præclarè

Prædarè quoq; ex ijſdem intelligitur, cur immundi ſecundùm legem eijcerentur ex caſtris: moribus autem immundi ſic non arcerentur. In cauſa eſt, quod illi, Deo ſic diſponente & ordinante, veſtes, lectos, loca, in quibus erant, ipſos deniq; homines ſic inficiebant, vt purificatione egerent, Num. 19. Aggaei. 2.cap. Quamobrem ſeparatim ab alijs manere iubebantur, donec emundati eſſent, quod frequentiſsimè circa veſperam fiebat. Moralis autem neminem inficiebat alium, quàm eum, in quo inerat.

Proinde non rectè concluditur: Deus magis offenditur Sacrificijs impiorum, quam legaliter inquinatorum. Ergo cum hos iuſſerit abſtinere ab externo iſto cultu, quantiſper emundati non eſſent, etiam illos arcere iubemur. Quoniam impuris præditi moribus non ità, (ſicut legaliter immundi) res aliàs inquinabant, vt earum contactum vſúmq; cæteri fugere cogerētur. Si, cur hi potius, quàm illi, res quaslibet contaminarent, ex me quęras, cauſam me ignorare fatebor, ſed Deo interim ſic placuiſſe reſpondebo: cuius mihi voluntas pro ratione certiſsima ſemper fuit, eſt, erit: alijſq; cunctis eſſe debet. Hunc duas iſtas turpitudines ſic diſtinxiſſe video, vt alteram voluerit inquinare, & velut contagio quodam latè in res vicinas ſerpere: alteram foedare ſic alios noluerit: quantumuis hanc, quam illam, odiſſet per ſe magis. Cum ergo quæritur, cur ei, qui ſemen præter voluntatem noctu emiſit, ad ſacra adire non licuerit, priuſquā mundaretur, ſcortatori autē & concubinario licuerit? reſpondeo, quia ille ad ſe appropinquantes contaminabat, hic Deo & ſibi immundus tantum erat: alióſq; non magis inquinabat, quàm ſi cum vxore legitima cubauiſſet. Interim poena erat ſcortatori alia longè grauior conſtituta.

Diſcimus hoc quoq; ex prędictis, cum aliquis in ſcripturis dicitur moribus ſuis polluiſſe Templum, Dei cultum, Deum ipſum, ſeu nomen eius, id ſic non eſſe accipiendum, quaſi hæc propterea alijs quoq; immunda eſſent: ſed coràm Deo ſic fuiſse, iudicandum eſt. Equidem exemplis Chriſti, Prophetarum, & Sanctorum omnium ſic oſtenſum

 hoc

hoc fuit paulò ſupra, vt merito confidam nullum dubitaturum porrò eſſe. Et quo pacto poſſet aliquis Dei nomen ſic polluere, vt purgatione opus haberet? Significat ergo nomen Dei polluere ſuis moribus, ita viuere, vt propter nos Deus malè audiat. Sic apud Ezech. 20. & 36. pollutum nomen ſuum dicit Deus apud Gentes, apud quas populus Iudaicus captus detinebatur. Infamabant enim illæ nomen Dei dicentes, Iſraelitarum Deum non potuiſſe populum ſuum ſeruare. Obiter ſolum hoc monere volui: nunc ad tua redeo.

Quid legalem vocem immunditiam plenè nunc explicatum habes, ſpero. Sceleratos (iterum dico, & quidem rectè vereq; dico) non fuiſſe habitos pro immundis talibus, qui Templum & homines vicinos ſua præſentia ſic inficerent, vt eos repurgari vſitatis ceremonijs oporteret, perſpicuè expoſui: Hac de cauſa non fuerunt perinde, vt legali macula infecti, à Sacrificijs temploq; repulſi. Ergo turpes & immundos fuiſſe dico: at non illo modo, quo, qui cadauer contrectauerat, vel rem aliam talem vetitam. At iniquiſſima, inquis, Lex Dei fuiſſet, quod tam ſeuerè externum contactum puniret, ad ſcelera verò manifeſta veluti conniueret. Exhorrui, cum iſta tua legi. Pudeat te inconſideratæ iſtius temeritatis. Video te vel ipſi Deo bellum potius indicturum, quàm à ſententia diſceſſurum. At verò tibi cum Deo diſputare ſi libet, experire: mihi non libet. Quæ autem iſtæc tua eſt conſecutio? Deus non punit ſcelera Sacramentorum negatione, ergo ad ea veluti conniuet? Supra oſtendi longè grauiores pœnas hiſce conſtitutas fuiſſe, quàm ſit abſtinentia ſeptem dierum à Templo. Rectè dicis carnalibus deſignari ſpiritualia: ac proinde carnalem ſeu corporalem ſub lege immunditiam figuram fuiſſe interioris noſtræ deformitatis. Idem nos etiam ſentimus & profitemur, vt ex recitatis liquet. Significauit immunditia corporis, animi corruptionē & infidelitatem, vt Apoſtolus Petrus interpretatur. Excluſio à Templo, excluſionem è Paradyſo præteritam, præſentem, & futuram. Purificatio & reditus ad Templum

plum, purgationem & reductionem noſtram ad Deum per effuſum ſanguinē Chriſti. Quomodo pręſentium rerum & quarum nobis figuræ proponantur dictum eſt. Apoſtol. ad Col. 2. nihil habet, quod ad præſentē pertineat controuerſiā.

At cum ab externa impuritate, ais, ad interiorem argumentamur, tanquam ab vmbra ad ipſius rei corpus, non obtrudimus ambiguas aut commentitias allegorias. Concedo, ſi modo externa internis rebus ſignificatis ritè aptes. Verùm quis tibi dabit intelligens huius negotij, impuritatem ſub lege ſignificauiſſe ſcelera, fruct᾿ ſcilicet noſtrę corruptionis, & non ipſam potius deprauationem noſtram? Deinde, ſi hoc tibi largiremur, vnde quęſo probares, eâdem ſcelera propterea plecti debere pœna, qua legalis turpitudo coercebatur? Loquor de externa Eccleſiæ coercitione. An non manifeſtè Deus diuerſas & diſcrepantes vtriq; pœnas ſimul eodemq; tempore poſuit? Quæ igitur audacia eſt, vnius pœnam facere alterius quoq; pœnam, abſq; expreſſo Dei verbo? Baptiſmum ſcio & corruptionis noſtræ & renouationis Symbolum eſſe: quia id ſcriptura me docet. Doce tu pariter ſcripturam legis immūditiam ſic ponere ſymbolum ſcelerum, vt eadem pœna ſint externa punienda.

Quæris num peccatum eſſe negem, vel cogitare vel facere, vel dicere, quod Deus vetuit? Non nego. An propterea malè dixi, animos illa impuritate non ſemper fuiſſe contaminatos? Si impuritas illa ſimpliciter fuiſſet peccatum, non permiſiſſet, imò non iuſſiſſet Deus aliquos pollui. At iuſſit aut ſaltem conceſſit Sacerdotibus (vt nunc alios taceam) Leuit. 21. & Ezech. 44. contaminare ſeſe in funere matris, patris, fratrum, liberorum. Item iuſſit mundum aliquem conſpergere luſtrali aqua immundum: efferre cineres, comburere vaccam, Num. 19. propter quae immundos eos ad veſperā vſq; oportebat fieri. Nihil nunc dicā de illis, qui inuiti reddebantur impuri. Peccabant, fateor, qui contra Dei mandatū & ſine eius permiſſione immūdi aliquid attingebāt. Ex eo tamen non omninò ſequitur, ipſā quoq; immūditiā, quę peccati actū comitabatur, peccatū fuiſſe. Aliud eſt actio contra pręceptum Dei exercita, & aliud eſt macula per

hanc actionem contractam: quam Deus figuram deformitatis noſtræ eſſe voluit. Non eſt neceſſe, vt figura omnes figurati proprietates contineat. Peccatum certè praecipuè conſiſtit in animi deformitate, quę viſibilis non eſt, ſed per ſuos fructus intelligitur: non in corporis maculis. Si cędem faciens reſpergitur occiſi à ſe hominis ſanguine, ſignum eſt ſceleris ille ſanguis: at ipſe, propriè loquendo, ſcelus non eſt. Sed eſto, ſint iſtę etiã corporis maculæ peccata; de illis ſaltem affirmari nequit eodem modo peccata fuiſſe. Etſi illos etiam peccata fuiſſe poneremus, nullo tamen modo concludere inde poſſes, eandem ſceleribus pœnam competere, quæ huic labi ſeu foeditati conſtituta à Deo fuit.

Cum ſic argumentaris, Iſtiuſmodi immundi egebant ſacrificijs pro delicto: Ergo rei erãt peccati: à re propoſita plurimùm diſcedis. Nos enim purificatione eguiſſe omnes concedimus: non quia ipſamet corporis ſeu carnis illa macula ſemper eſſet peccatum, ſed quia naturæ noſtrae diſtorſion ẽ, & ab eadem liberationem in memoriam nobis reuocaret: quo ſubinde moneremur purgatione nos per Chriſti ſanguinem egere. Non omnes immundi ſacrificio opus habebant: ſed ſola ablutione aquę plures mundabãtur. Et vt omnes ſacrificio habuiſſent opus: non tamen vllo pacto effici hinc poſſet, Sacramenta peccatoribus interdicenda eſſe. Quomodo namq; ſequitur, Immundi per Sacrificium pro delicto redibant in gratiam cum Deo: Ergo qui ſcelus admiſerunt arcendi ſunt à Sacramentis, dum Presbyteri quidam eos cenſeant idoneos? An non hæc ipſa ſacrificia quędam Sacramenta ipſis erant? Hoc magis ſequeretur: Multa peccata ſine vſurpatione Sacramentorũ non expiabantur. Ergo prohiberi non debeant ab vſu eorum, qui eis rectè vti cupiunt. Hoc, inquam, rectiùs concluderetur, quàm quod tu concludere voluiſti, ſi ab his argumentari velimus.

At excipis hoc loco, Sacrificia pro peccato veluti confeſsiones quaſdã particulares fuiſſe, quas præcedere alia Sacramenta oporteret. Quoniã ſæpius à te iam repetitũ eſt, fortè etiam poſtea repetitur, ſemel tibi reſpondebo, ne deinceps cogar iterum reſpondere. Fatemur in omnibus, qui Sacra-

mentis ritè velint vti,ſaltem externè, requiri peccati admiſſi agnitionem, pœnitentiam, dolorem, & ſtudiū ac deſiderium emendandi anteactā vitam. Et quanquam in illis locis, vbi rectè inſtituuntur homines, illeipſe actus, nempe deſiderium fruendi Cœna Dominica cum cęteris pijs & ſanctis Dei membris, hoc abundè teſtatum facere omnibus poſſit, qui non plus volunt ſapere, quàm cōuenit, tamen in noſtris Eccleſijs, de quib' ego diſputaui, ſic eſt res inſtituta, vt qui ad Cœnam ire cupiūt, illuſtri prius confeſsione animum ſuum Eccleſiæ declarent. Nam pridiè quam Cœna adminiſtratur, vocātur vnum in locum qui poſtridie cogitant accedere, & ad tria capita reſpondere iubentur: quorum ſumma hæc eſt.

Primium an in conſpectu Dei confiteantur, ſe peccatores eſſe, ac mandata Diuina nunquam integrè ſeruaſſe: & an eo nomine doleant, gratiamq; Domini noſtri Ieſu Chriſti ſitiant &c. Deinde vtrum peccata ſua propter ſolam mortem Chriſti remitti ſibi certò credant &c. Demum an ex toto corde cupiant pro his beneficijs Deo grati eſſe, & omni peccatorum immunditia depoſita deinceps ſeriò decreuerint vitam viuere Chriſto dignam.

Cum ad hæc capita ſigillatim præſentes omnes (iubentur autem omnes poſtridie ad Cœnam acceſſuri adeſſe) reſponderūnt ita ſe eſſe affectos, confidere iubet Miniſter, peccata remiſſa ipſis à Deo eſſe, imbecillitatemq; reliquam non imputatū iri propter effuſum pro nobis Chriſti ſāguinem. &c.

Publicas ſatisfactiones, cum abſq; excōmunicatione factas fuiſſe ſcribis, tibi aſsētior: cum ſecutas fuiſſe ais in Eccleſijs Apoſtolicis, facis pro more tuo: ſcilicet quod probare debebas, tibi vt probatū ſumis. At probaui, reſpondebis: Age videamus. Sacerdotis & Iudicum munus erat de huiuſmoid controuerſijs ex lege Domini pronuntiare. An hoc eſt probare excommunicationem exercuiſſe illos Sacerdotes? Quod ſi controuerſia aliqua orta fuiſſet de his & de alijs rebus, aut dubitaretur de aliquo negotio, cauſæ deciſio apud Sacerdotem (vt peritū legis) & Iudicem quærebatur, fateor. Sed hoc quid ad noſtram cauſam facit? Quo in loco, rogo te

plurimum, ſcriptū reperiſti, Sacerdotes & Iudices arbitrari & iudicare debuiſſe, an aliquis reſipuiſset néene? ac proinde num in templū admitti poſset, an non poſset? Ex ſacrificio potuit Sacerdos in genere ſuſpicari de admiſſo peccato: certi ſcire nihil potuit. Non etiam legimus ſacerdotē aliud egiſſe, quàm iuxta præceptum Moſis oblata dona ſacrificaſſe. Vnuſquiſq; ex ſua conſcientia reum ſe iudicabat vel non reum: non pendebat ex alieno arbitrio. Neq; interdictum erat huic templum: nec definitum tempus, quo ſacrificaret. Omnia in peccatoris poteſtate ſic erant, vt à Sacerdotibus coactum neminē legamus. Qui boni erant, vltrò adibant: qui mali ſæpè negligebant: vt ex hiſtoria Publicanorū liquet. Adde quod tales non ſemper erant legaliter immundi. Etenim Leuit. cap. 6. iubet rem ablatam ipſo die oblationis reddere. Illa ergo die immundus non erat propter hoc factum, cum ei in tēplo liceret ſacrificiū offerre: de qua re paulò ſuprà fuſè diſputatū eſt. At hęc quid ad veſtri Presbyterij actiones attinent, quod iudicium & poteſtatem ſibi arrogat de cuiuſq; cogitationibus cenſendi?

Reſtat, vt Eſdrę factum conſideremus: in quo à teipſo non diſcedis latum pilū. Peccauerant nonnulli alienigenas vxores ducendo. Quod cum Eſdras reſciuiſſet, doluit plurimū, iram Dei metuens, nè, qui vix dū liberati fuerant, denuò punirentur. Tandem Sechania conſilium & remedium proponente coniurarunt, ſe nouum cum Deo fœdus icturos. Ergo Magiſtratus edicto publico propoſito iuſſit omnes ex captiuitate reduces intra triduum adeſſe Hieroſolymis ſub pœna confiſcationis bonorū & eiectione ex numero reducum ex captiuitate. Paruerunt omnes: decretum eſt, vt, qui vxores illas duxiſſent, eas vnà cū liberis ex eis natis eijcerent. Quid hîc de Sacramentis agitur? An hi, qui profanas vxores duxerant, vel ante vel poſt ab aliquo iuſſi ſunt abſtinere à Templo & Sacrificijs? Poſt eiectas vxores pro delicto ſacrificarunt Arietem, vt iuſſerat Moſes Leuit. 6. Presbyterij, quod de reſipiſcentia iudicaret, atq; à Sacramentis depelleret, nullà hîc mentio. At eiectionis hîc fit mentio, inquies. Sic habet.

At non dicitur prohibendum aliquem fuiſſe à Templo & Sacrificijs: Neq; hoc etiam ſcribitur, eijciendos fuiſſe, qui Gentiles duxerant: ſed illos, qui edicto Magiſtratus non paruiſſent: ac Hieroſolymam venire noluiſſent. Negari non poteſt quin fieri potuerit, vt aliquis emaneret, qui nihil peccauerat. Statuerunt nouum fœdus pangere cum Deo. Meritò igitur non habendus fuiſſet in numero confœderatorum, qui intereſſe pacto noluiſſet. An non purè politica fuit hæc actio? Sed præſtat videre quid tu obijcias.

Ad Sacramenta non pertinere dixi, quia conſtet magiſtratum hoc edictum promulgaſſe. Si verum eſt, inquis, vt quicquid à Magiſtratu decernitur, ad ſacra non pertineat, quo iure velles ſacra ciuiliaq; omnia penes eandem poteſtatem eſſe? Recte dixi hanc rem fuiſse ciuilem, ad Magiſtratumq; pertinuiſse politicum, non autem ad Eccleſiaſticum aliquod iudicium, quod ſcriptura ignorat. Vos certè non permittitis Magiſtratui, vt ſuo nomine mandet, quæ ad Presbyterij veſtri poteſtatem propriè ſpectare contenditis. Sanè conſtanter affirmo, ad ſacra non pertinere, quicquid Magiſtratus iure ſuo præcipit: ſi ſacra à ciuilibus ita diſtinguamus, quomodo Pontifex, ac deinde vos diſcriminatis. At aliter loquendum nobis, qui aliter diſtinguimus. Politicus Magiſtratus à Deo accepit totam externam gubernationem rerum tum ſacrarum tum ciuilium. Sed illas iuxta præſcriptum verbi Dei ordinare & regere, has ad præfinitionem legum & iuris, quod in loco quolibet valet, gubernare debet: de qua re ſuo loco fuſè agendum erit. In præſente loco, Magiſtratus hoc edictum propoſuit: non veſtrũ Presbyteriũ. Ergo vel iniuſtè hoc fecit, quod probare te oportebit: vel politicũ fuit: ac proinde ad cauſam noſtrã non pertinet. Ad Eſdrã relata cauſa hæc fuit: vt ad peritum legis & partem Magiſtratus. Hanc enim poteſtatẽ à Rege Artaxerxe vnà cum mandato, vt doceret omnes ſecundum legem Dei ſui viuere, ipſemet ſe accepiſse fatetur cap. 7. Quis ergo miretur, quod Eſdræ dixerunt, ſurge, ad te pertinet vnà nobiſcum? An ex hoc ſequitur, non fuiſse actionem ciuilem?

 Niſi

Niſi fortè Rex Artaxerxes conſiſtorio eum Eccleſiaſtico præfecit. At hoc tibi erit probandum. Nam poteſtatẽ dedit conſtituendi Iudices & prȩſides, atq; inobedientes morte, exterminatione, bonorum mulctatione, carcere puniendi: quæ ad veſtrum Conciliabulum pertinere negatis.

Colligis ex publicatione bonorũ, Anathemate percutiendos tales fuiſſe, nec illis licuiſſe ſacros ritus celebrare. Quid Anathemate percuti appelles, neſcio. Hoc ſcio, res quæ Anathema Deo fuiſſent factȩ, occidi, cõburi, perdi & diſperdi debuiſſe. Hic cum mortis nulla fiat mentio, vel aliud intelligere te per Anathema oportet, vel falsò aſſuis huic locò tuas imaginationes. Falſum illud etiã eſt, è Republica Iudȩorum ſiue reducũ ex captiuitate excluſos, non fuiſſe admiſſos ad Templum ſacroſq; ritus: modò cirũmciſi eſſent. Nam qui ex indigenis ad eos acceſserant, quos Proſelytas vocant, Paſcha vnà cum cæteris celebrarunt, cap. 6: cũ conſtet tamen, eos ad hoc conſortiũ non pertinuiſse. Aliud proinde fuit in numero reducum ex captiuitate non cenſeri: & ab aditu Tẽpli ac ſacrificiorũ prohiberi. Quare non ſolum ceſsante, ſed etiam procedente publicatione bonorũ admiſsi fuiſsent ad ſacros ritus, quicunq; circumciſi erant, illiſq; vti cupierant. An non hodie multorum bona publicantur, quos excõmunicatos & damnatos nullus exiſtimat? Eſdræ factum meritò in dubium à me reuocaretur, ſi quid eorum feciſset, quæ tu feciſse eum opinaris. Feciſset enim contra legem Domini per Moſen latam: vt in Theſibus demonſtraui. Sanè Moſes Deut. 7. vbi haſce nuptias prohibet, non ponit hanc pœnã tranſgreſſoribus, vt videlicet à Sacramentis arceantur.

Quæ de facto Ioſuæ adfers, iam ſunt confutata. Nos enim de ſolis illis loquimur, vt ſæpè monui, qui cupiunt cũ Deo reconciliari: at hoc vnũ contendimus, non eſſe à Deo inſtitutum Presbyterium, quod de cordibus hominũ dicentiũ ſe pœnitere iudicet, veréne an falſè dicant: atq; ſic vel ad Sacramenta admittant, vel ab eiſdẽ remoueant. Immũdi admiſſi non fuerunt, quia Lex iuſsit ita fieri. Oſtende tu eodẽ modo ſcriptũ eſſe de illis, de quibꝰ nos inter nos diſputamꝰ.

Niſi feceris, fruſtra litigabis. Ab Ezechia vocatos fuiſſe ad Paſchæ celebrationem etiam non emundatos fateris, cum inficiari non poſsis. Cum addis, ſic vocatos fuiſſe, vt re & verbis deteſtarentur idola, quibus ſeruierant, cōcedo tibi, quod dicis. Et nos idem requirimus in illis, de quibus diſputamus. Si idem vos faceretis, quod ſub Ezechia factum eſt, nulla eſſet inter nos diſceptatio de hac re. Vos enim contenti eſſe non vultis publica priuatâque confeſsione: ſed neſcio quibus Presbyteris ad hanc rem delectis vnumquemque vultis ſatiſfacere: quale in hac hiſtoria nihil legimus factum.

Argumenta, quæ ex veteri Teſtamento pro excommunicatione protuliſti, inania, euanida, falſa eſſe, apertè docui. Oſtendi interim illud etiam, nihil eorum, quæ contra argumentum ab immundicia legis deſumptum attuli, à te meritò iuſtéque reprehendi. Equidem quæ firmitatis aliquid habere viſa tibi ſunt, libenter prætermiſti, niſi fortaſsè in ſequentibus attigiſti: quæ autem inflectere aut colore aliquo deformare te poſse ſperauiſti, maculare quidem tentauiſti, ſed ita tentauiſti, vt ſperem te inſumpti in eā rem laboris prorſus pœnitere. Sed meliora vel ſaltem ſpecioſiora in ſequentibus fortaſsè produces. Proinde quid ex nouo fœdere deprompſeris, age perpendamus.

CAP. II.

Confutatio Argumentorum, quæ pro Excommunicatione ex fœdere nouo petita ſunt.

POſtquam non illis tantum argumentis, quæ tu infœlicisſimè conatus es refellere, ſed & alijs inſuper demonſtraui excommunicationem hanc, de qua ſermo nobis eſt, non modò non praecipi in ſacris literis, verùm potius vituperari ac reijci; etiam argumenta, quibus praecipuè niti videtur opinio veſtra, confutare volui: quò planius liqueret, cauſam vos defendere non bonam. Quoniam verò praecipuum fundamentum ſententiae veſtrae in verbis

Chriſti

Chriſti apud Matth. 18. Cap. Dic Eccleſiæ, collocare vos animaduerti, ante omnia declaraui, verba Chriſti eo in loco poſita ad præſentem diſputationem nullo modo pertinere. Ad quod probandum iſto ſum argumento vſus. Scopus Chriſti eſt in hoc capite docere, quantum malum ſit ſcandalum illud inprimis, quo infirmus aliquis ita poſsit offendi, vt religionem deſerat. Ideóque dandam eſſe omnibus nobis operam, ne cuiquã offendiculum præbeamus, quo vel minimus aliquis laedatur. Cæterum quia in priuatis iniurijs perſequendis, cum iniuriam mox deferimus ad iudicem, vel aliter vlciſci ſtudemus, infirmi ſæpè offenduntur, docet nos Chriſtus, quomodo citra offenſionem aliorum componi poſſint: & per hanc occaſionem cohortatur nos ad facilitatem ignoſcendi. Quocirca non agitur hoc in loco de grauibus ſceleribus, quæ nominatim à lege puniuntur, ſed de illis peccatis & iniurijs, quae priuatæ ſunt, quarúmque remittendarum poteſtas penès nos eſt. Summatim dicam: Chriſtus hîc interpretatur legem à Moſe Leuit. 19. verſ. 17. & 18. propoſitam, quam Eccleſiaſticus etiam 19. cap. fuſius explicat: Ad hæc ita tu reſpondes.

Si negemus hîc de priuatis duntaxat iniurijs agi, nunquam probaueris. Nam quæ ad probandum adfers, pleraque noſtro iudicio ita ſunt infirma, vt ſua ſponte concidant. Secundò eneruaueris doctrinam de condonandis peccatis. An enim ſolas leues iniurias tenemur condonare? An condonare eſt ad teſtes, ad συνέδριον, ad profanum tribunal pertrahere? Mox hanc diſputationem vt ſuperuacaneam rejicis, & vltrò concedis, verba illa ad ſolas priuatas iniurias pertinere, & ob id putas excommunicationi nihil decedere. Indicari enim excommunicatione non illud peccatum, de quo initio mota fuerat controuerſia, ſed præfractam & procacem contumaciam aduerſus Eccleſiam.

Ego mihi perſuaſi, meis rationibus demonſtraſſe, Chriſtum in praeſente loco præcipuè de priuatis iniurijs agere, quo pacto ſcilicet eas citra offenſionem proximi à nobis depellere poſsimus, vt vereri fruſtrà videar vt ab aliquo

refellantur. Equidem in Theſibus primùm, vt alibi deinde oſtendi, eum non de ſceleribus excommunicatione vindicandis agere, ſed quomodo priuatæ offenſæ amicè componi debeant, vt non habeamus neceſſe cauſam continuò ad Iudicem à vera religione alienum adferre. Negas hoc tu, vt negant alij quoque complices tui. At dum neque argumenta noſtra diluitis, neque negationem veſtram argumentis idoneis confirmatis, abſque crimine, puto, eam negligimus. Et quod neutrum perficere potueritis, & iis, quae ſequuntur, luce meridiana clarius perſpicietur.

Nego tibi, doctrinam de peccatorum condonatione, à nobis euertari. Vnde hoc tu probabis? An valet hæc conſecutio: Chriſtus hoc loco docet ſolas priuatas iniurias piè ac ſine infirmorum offenſione componere: Ergo docet ſolas priuatas iniurias eſſe condonandas? Nihilne docuit Chriſtus alibi aliud? aut ſola hæc verba eius habemus? Ego certè nec dixi nec cogitaui vnquam ſolas leues iniurias eſſe condonandas. Tenentur enim priuati proximo quæuis peccata condonare. Alia eſt ratio magiſtratus, cuius officium eſt ſceleratos plectere. At quomodo condones, inquis, ſi ad ſynedrium & tandem ad profanum tribunal pertrahis? Hoc tunc facere permittit Chriſtus, cum & priuatim, & cum amicis fruſtra tentata eſt reconciliatio, ac iniurioſus nihilominus pergit iniurius eſſe. Cum autem vel obiurgatus vel ſponte errorem agnoſcit, & condonari ſibi iniuriam petit: ignoſcendum ei eſt, quantacunque te iniuria affecerit. Quorſum verò argumentum hoc adducas (ſi in controuerſia de priuata iniuria, habendus eſt vt Ethnicus & publicanus, qui presbyterium non audierit, multò magis id conſtituendum eſt, cum de graui ſcelere accuſatur) ipſe certè non video. Nam ſi ex hoc concludere velis, quae hîc à Chriſto dicuntur, ad excommunicationē ſpectare, longiſsimè erras. Tota cauſa, vt tumetipſe ſcribis,

ſcribis, in recta horum verborum explicatione, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus, conſiſtit.

Inter argumenta, quibus probaui Chriſtum hic de priuatarum iniuriarum tranſactione agere, hoc vnum fuit, quod in ſingulari ſemper loquitur, dicens. Si peccauerit frater Tuus in Te: corripe eum inter Te & ipſum Solum. Item adhibe vnâ Tecum alios. Item Dic Eccleſiae. Item, Sit tibi velut Publicanus & Ethnicus: Non dicit, inquam, Sit Eccleſiae, vel ſit toti populo, vel ſit alijs quibuſdam talis: ſed hoc ait, Sit tibi talis. Ex hac interpretatione illud ſimul perſpici dixi, verba hæc, Sit tibi quaſi Publicanus & Ethnicus, non hoc ſignificare poſſe, Sit tibi excommunicatus. Nam qui excommunicatus eſt, non vni ſoli talis eſt: ſed omninò omnibus talis eſt. Ad hæc ità tu. Mirabilis ſanè expoſitio, vt, Tibi, idem ſemper valeat, atque tibi ſoli: cùm nihil ſit vſitatius, quàm certa hypotheſi propoſita leges θετικῶς condere. Exemplo ſint omnia Decalogi præcepta. Sed neque ad extremum vſque hanc orationis formam ſeruauit. Subijcit enim. Quicquid ligaueritis, & quicquid ſolueritis. Alij ſic reſpondent: Sub vocula, Tibi, conſenſus intelligitur totius Eccleſiæ. Ratio huius, quæ nullo poteſt eludi ſophiſmate, hæc eſt, quod Eccleſia non fert contraria iudicia. Quis autem non videat contraria eſſe, ſi vnus aliquis iubeatur hunc certum hominem pro Ethnico habere: alij autem eundem pro Chriſtiano iubeantur habere? Quod enim vni eſt dictum, dictum eſt omnibus.

Expoſitio mea mirabilis non eſt, niſi mirabile ſit, quod verum eſt: at tua reprehenſio, ſicut aliæ quoque, mirabiliſſima eſt. Quo loco dixi ego, Tibi, idem ſemper ſignificare, ac tibi ſoli? Si locum oſtendere non ſcies, confictum à te eſſe inficiari non poteris. Dixi, in præſenti loco voculam, Tibi, non idem ſignificare, ac ſi dixiſset, Sit Eccleſiæ, vel toti turbæ, vel alijs, qui læſi ab eo non ſunt. Significat ergo hoc in loco vox, Tibi, læſum tantum, non autem eos, qui læſi non ſunt, vt ex toto orationis contextu patet. Significat interim hoc etiam loco, Tibi, omnes illos, qui dicto

modo

modo læſi ponuntur. Extant in ſacris literis leges quæ priuatim magiſtratui conueniunt, non alijs vllis. Extant quæ ſubditis competunt, nō magiſtratibus: quæ viris, non mulieribus: quæ Dominis non ſeruis: quæ parentibus, non filijs: quæ diuitibus non egenis. Ita etiam hoc præceptum, non omnibus omninò Chriſtianis, vt præcepta Decalogi, & quæ his ſimilia ſunt, ſed tantum priuatim læſis congruit. Non enim dicit Chriſtus, argue quemlibet tibi fratrem occurrentem: ſed in te peccantem. Quòd cum ad priuatos dixerit, non ad magiſtratus, patet eum de priuatis offenſis fuiſſe locutum. Eſt hæc res tam manifeſta, vt ſummus excommunicationis patronus de hac re ſic fuerit coactus ſcribere. Quam particulam aliter (niſi contentioſus eſſe velis) accipere non potes, quam ſub tua conſcientia: ita vt non ſint plures conſcij. Quamobrem, quod deinde dicit, quicquid ligaueritis aut ſolueritis, de illis tantum accipi debet, qui læſi ſunt: non de Eccleſia, vt tu dicis. Non enim dicit Chriſtus hæc verba ad Eccleſiam: nec loquitur in tertia perſona de Eccleſia: ſed ad Diſcipulos, qui non erant Synedrium ſiue Eccleſia illa, de qua ibi diſſerebat Chriſtus. Principio dixit, ſi frater tuus peccârit in Te, ſed per voculam, Te, intellexit quemlibet, contra quem frater peccaret: non vnum aliquem ſolum ex diſcipulis. Quod vt nunc liqueat, non dicit, quicquid ligaueris, ſed, quicquid ligaueritis: quaſi diceret, quicunque offenſi eſtis à fratribus, & hoc modò iniurioſum lucrati fueritis, rata erit hæc actio veſtra etiam in cœlis.

Quæ ergo erunt Synedrij partes, inquis, num impunè vis Eccleſiæ iudicium contemni? Quippe lex, ſecundùm quam tu vis Iudaeos tunc iudicia exercuiſſe, iubet interfici huiuſmodi hominem. Quomodo igitur ad profanum tribunal pertraheretur? Egregia verò interrogatio. Diſtingue tempora, ſicut aiunt, & concordem reperies ſcripturam. Quis neſcit illo tempore Iudaeos ſub Romanis vixiſſe, ac Praeſidem eorum petentibus omnibus ius dicere ſolitum fuiſſe? Ciuilem potentiam ad ſe omnem ferè pertraxerant, relicta poteſtate ipſis de rebus ſacris iudicandi, & ſecundum legis ceremonias viuendi: vt ex hiſtoria cum profana tum ſacra perſpicuè intelli-

intelligimus. Sic Gallio Achaiæ Procóſul Iudæis Paulum accuſantibus Act. 18. reſpondet. Siqua iniuria eſſet aut maleficium, cauſam ſuſciperem. Sed cum de lege veſtra lis ſit, iudex ego eſſe nolo, ipſi videritis. Proinde impunè poterat, qui volebat iudicium Synedrij contemnere in ciuilibus rebus, id quod ante illud tempus facere nullus citra periculum potuiſſet. Non dubito, quin hoc bonus nullus fecerit, niſi omninò manifeſta ei iniuria fieret à Synedrio. At aliquos feciſſe, vel ex Publicanorum hiſtoria conſtat. Ideo Deus per Moſen hoc ſolum monet, Leuit. 19. ne mox frater fratri crimen apud Iudicem impingat, ſed priuatim potius cum eo in gratiam redeat: (quod in Eccleſiaſtis cap. 19. pluribus expoſitum legimus) aliud nihil addit. Tunc enim contemnere nulli Synedrij ſententiam licebat. Chriſtus autem addit, illum talem habendum velut Ethnicum & Publicanum: id eſt, poſſe talem ad profanum tribunal vocari (qui ſcilicet ſuæ Gentis iudicium deſpiciat) abſque offenſione cuiuſquam: vt qui ipſo iam facto declarârit, ſe prauum & ſuæ Genti parum obedientem eſſe.

Ad aliorum obiectionem hoc ſolùm dicam, tam non ferre ſententias contrarias Eccleſiam vel Iudices, cum offenſo contrarium permittunt aliquid, ac non offenſo non permittunt; quàm non indicant contraria, cùm creditori permittunt debitum abs debitore exigere, alijs non permittunt exigere. Proinde non ſequitur, huic conceſſum eſt, vt ab hoc pecuniam debitam exiget. Ergo tota ciuitas ab eodem eandem pecuniae ſummam petere poteſt. Longè cum venuſtiùs tum veriùs ex hoc loco concluſero, excommunicari nullum debere, ſi propoſitio vera ſit. Sic enim argumentor. Quod vni dictum eſt, dictum toti eſt Eccleſiæ. At vni dictum eſt, vt ſeptuagiès in die culpam deprecanti remittat, Ergo tota Eccleſia deprecanti ignoſcere debet, quotieſcunque in die ſibi ignoſci petet. Nulla enim iuſta cauſa proferri poterit, cur tota Eccleſia non debeat facere in hac cauſa quod ſingulis eius membris præceptum eſt. Hoc autem veſtris presbyteris non videtur rectum. Etenim non ſunt contenti, vt quis deprecetur culpam & fateatur peccatum, ſed probare præterea, atque adeo punire volunt,

dum ipſis iudicetur ſatis purgatus.

Aſſentiris mihi ſententiam eorum defendenti, qui per Eccleſiam intelligunt συνέδριον: at non aſſentiuntur mihi aut tibi hac in re alij amici tui. Quamobrem validiſsimis argumentis probaui in poſtremis Theſibus, per Eccleſiæ nomen Chriſtum nihil aliud intellexiſſe.

Cæterum capitalia penes Synedrium fuiſſe iudicia, ac gladio animaduertere potuiſſe Chriſti tempore in eos, qui contra religionem peccauiſſent, (nam ciuilium rerum poteſtas penes Romanos hærebat) ſic probabo, vt meritò confidam, nullum ſanæ mentis porrò dubitaturum. Probabo, non minus firmiter & apertè, duas iuriſdictiones, ſiue duo Iudicia diſtincta, Eccleſiaſticum videlicet ac Politicū, vt hodie ea vos diſtinguere ſoletis, in populo Iudaico nullo vnquam tempore fuiſſe. Quæ cum præſtitero, ad tuas reprehenſiones, quotquot falſas eſſe iudicauero, (nam ſi veri quid ac boni reperero, magna cum gratiarum actione ſuſcipiam) apertè & ſolidè reſpondebo.

Libri ſecundi finis.

Liber tertius incipit.

CAP. I.

De munere & diſtinctione Magiſtratus.

RECta hominum gubernatio omnis vel eſt viſibilis, vel inuiſibilis. Hanc internam vocamus, cœleſtem, diuinam, & ſpiritualem: illam eternam, humanam, & corporalem nuncupamus. Porrò ſicut duplex duntaxat eſt rectio, ſic eſt neceſſe, vt duo tantùm ſint Rectores ſupremi. Et internæ gubernator eſt Deus: externæ Moderator eſt magiſtratus

vnicus

vnicus. Abſurdum namque eſt vnius rectionis duos eſſe ſic diſtinctos rectores, vt alter non ſit alterius pars, ſiue vt vnius nomine non omnia adminiſtrentur. Quanquam verò viſibilis & mundanae procurationis multae ſint partes, ſi res, quas diſpenſat, ſpectemus, multiplex tamen ipſa non eſt. Etenim ſicut vnica eſt menſura, qua res diuerſiſsimas, vt pannos lineos, laneos, ſericeos, argenteos, aureos, menſuramus: & vnum eſt pondus, quo res omninò diſcrepantes ponderamus: ſic vna eſt diſpenſatio rerum omnium viſibilis, tametſi per eam res prorſus diſpares, & diſsimiles curentur & temperentur. Legum vocamus alias oppidanas, alias ruſticanas, alias ſcholaſticas: nec eſt tamen neceſſarium, vt tot ſint Legiſlatores: ſed vnus idémque ciuibus, ruſticis, ſcholarum rectoribus, leges præſcribat. Eodem modo non eſt alius magiſtratus, qui res profanas curat, ab eo qui res ſcholaſticas vel ſacras diſponit. Res quidem inter ſe differunt, at non differt ſimiliter harum diſpenſatio & moderatio.

Quæ cùm ita habeant, confiteri nos oportet, totius Reipublicae vnicum eſſe ſummum gubernatorem, quem vno nomine magiſtratum vocamus: ſiue vnus ſit numero, qui imperium tenet, ſiue plures ſimul Rempublicam regant. Vbi ſupremus hîc in qualibet Republica magiſtratus, non poteſt ſolus curare partes omnes, aliiſque partes alias committit regendas, plures tunc magiſtratus non fiunt, dum ſuperbum nomine & loco alij omnes demandatum ſibi munus adminiſtrant. Quacunque igitur ſpecie Reipub. (Sunt enim Rerumpubl. ſpecies plures) coetus aliquis ſeu multitudo regatur, ſemper oportet vnum aliquem magiſtratum ponere, qui capitis habeat rationẽ, ad quam omnia referantur. Nam vt monſtroſum eſt corpus biceps, ita monſtroſa eſt Reſpub. quæcunque ſic regitur, vt in ea plures ſint magiſtratus diſtincti aequé ſummi. Neque excuſat rerum tractandarum diſsimilitudo. Iam enim oſtenſum eſt gubernationem rerum non variari, ſubiectarum rerum diſponendarum & ordinandarum diſparilitate. Sanè tam eſt hoc om-

nibus

nibus omnium ætatum intelligentibus abſurdum viſum, vt Pontificij quoque hac potiſſimum ratione Pontificem ſuum caput ſupremum Reipub. declararint, hoc fermè argumento.

Deus, aiunt, cum oderit omnem ἀταξίαν, & omnia velit ordine decenti & εὐσχημόνως fieri, duo in vno corpore capita ponere monſtroſum putauit. Hinc in ciuitate Chriſtiana non voluit duos eſſe Magiſtratus diſtinctos æquali poteſtate totam ciuitatem regentes. Quare cùm duo ſint in Eccleſia gladij, ſiue poteſtates, nec ambę poſsint eſſe ſummæ, ſed alteram alteri ſubeſſe oporteat, & indignior digniori meritò ſubijciatur, ſubiecta eſt poteſtas ſeu gladius temporalis Eccleſiaſtico tanquam præſtabiliori: vt videlicet abſurditas omnis vitetur. Hinc illud dictum originem habuit, Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Cæterum quia vnus omnibus vbique rebus præeſſe, & per ſe omnia curare nequit, alios ordinat, qui ſuo nomine res procurent. Ex his alij oppidani, alij Ruſticani, alii Scholaſtici, alii Ædiles, alii præfecti, alij alijs nominibus nuncupantur (nomine vel à rebus, quas curant, vel à perſonis, quas regunt, vel à locis quibus præſunt, accepto) tametſi vnius & ſummi Magiſtratus nomine omnes omnia peragant. Proindè vnus idemque Magiſtratus, quatenus vel per ſeipſum, vel per alios res ciuiles tractat, Politicus, quatenus Scholaſtica diſponit ac regit, Scholaſticus, quatenus res ſacras ordinat & gubernat Eccleſiaſticus ſiue ſacer eſt ac dicitur. Si vel in hac parte, vel in alia quauis aliquid non ſatis intelligit, conſulere peritos debet, quorum conſilio adminiſtret: vel idoneos homines cuilibet muneri præficere, qui ſuo nomine rectè ſingula curare velint ac poſsint.

Veruntamen vt in rebus profanis curandis ei non licet terminos & fines æquitatis, iuſticiæ ac honeſtatis, hoc eſt, præſcriptionem legum & ſtatutorum Reipub. tranſcendere: Sic in diſponendis & ordinandis rebus ſacris, vel ad cultum Diuinum pertinentibus, longè minus ei

licet vlla in parte à præſcripto verbi Dei diſcedere: quod tanquam regulam in omnibus debet ſequi, ab eoque nuſquam vel latum pilum deflectere. Summa eſt, Magiſtratum in Chriſtiana Repub. vnicum eſſe, cui à Deo commiſſa ſit gubernatio externa rerum omnium, quæ vel ad ciuilem, vel ad piam & Chriſtianam vitam pertinent: ius & autoritatem imperandi ac ius dicendi neque miniſtris neq; alijs vllis conceſſum eſſe. Intelligi hoc debet de ea Repub. dictum, in qua Magiſtratus & ſubditi eandem profitentur religionem, eamque veram. In hac, dico, duas diſtinctas iuriſdictiones minimè debere eſſe. In alia, in qua videlicet Magiſtratus falſam tuetur ſententiam, certo quodam modo tolerabilis videri fortaſſe poſſit diuiſio rectionum.

Vt porrò huius rei veritas magis eluceſcat, ſacris literis, quod diximus, deinceps comprobabimus. Legimus in cap. 4. Deuter. Deum ſtatuta & leges tales ſuo populo præſcripſiſſe, vt earum ſapientiam & iuſticiam omnes gentes ſint admiraturæ. In hoc ſita eſt, inquit Moſes, noſtræ apud cæteras nationes ſapientiæ & prudentiæ exiſtimatio, vt auditis omnibus hiſce inſtitutis fateantur hanc Gentem ſapientem eſſe & prudentem. Etiamſi hoc ſcriptura non diceret, verum eſſe nihilominus vel ex eo perſpiceretur, quod toties ac tam variè mutata ſpecie Reipub. eædem leges ſemper ſeruari potuerunt. Non debet autem alicui mirum videri, quod tam ſapienter omnia fuerunt conſtituta. Cum enim Deo nullus ſit ſapientior, omnium ſapientiſſimam oportet eſſe Reipublicę formam, quam ipſe inſtituit. Quinetiam oportet vnamquamuis tantò eſſe melius, aptius, ſapientius conſtitutam, quantò ad formam Reipub. à Deo ordinatæ accedit propius: & contra, neceſſum eſt, quamlibet tantò eſſe deteriorem & periculoſiorem, quantò ab illa receſſit longius. Proinde ſi, vt conſtet omnibus, perfecero, Deum in ſua Repub. differentes iuriſdictiones illas, (Politicam ſcilicet atque Eccleſiaſticam) non inſtituiſſe: ſed vniuerſam gubernationem

bernationem Reipublicae viſibilem, ſiue circa res ciuiles & profanas, ſiue circa res ſacras cultumque diuinum verſaretur, vni ſolique Magiſtratui politico tradidiſſe: conſtabit hoc quoque, eandem diſpenſationem Magiſtratui Chriſtiano, alijs autem nullis deberi. Nam in nouo Teſtamento nihil de ratione regendi Chriſtus docuit: neque aliquid mutare vel Iudæos, vel alios iuſſit. Non hoc dico, Deum voluiſſe Magiſtratum ſacrificare atque alia huiuſmodi, quæ Sacerdotibus imperata ſolis fuerant, facere: ſed illud aſſero, Deum ſoli Magiſtratui concrediſſe curam & gubernationem tam ſacrarum quam profanarum rerum. Aliud eſt, facere aliquid, & aliud regere ſeu facienda ordinare ac diſponere. Non enim Magiſtratus, cum viuendi rationem ſubditis ſuis præſcribit, & quid ab omnibus ordinibus fieri velit, præcipit, per ſe omnia facit. Vnus nihilominus omnia agit, ad diuerſa officia & cauſas diſsimiles, diuerſos & diſsimiles adhibens adminiſtros.

Conſequens modo eſt, vt probem, Deum non ordinauiſſe duos Magiſtratus in Republica Iudaica, ſed vni ſoli ius, facultatem, imperium, autoritatemque crediſſe totius viſibilis gubernationis: neque poteſtati ipſius ſubtraxiſſe rerum ad cultum Dei pertinentium procurationem. Conſtat primum, nullum poſſe in omnibus libris Teſtamenti veteris verbum oſtendi, quo duplex iſtud imperium, Politicum & Eccleſiaſticum approbetur. Nec minus patet illud etiam, Deum Moſi integram formam inſtituendæ Reipublicae tradidiſſe: illius autem diſtinctionis nuſquam mentionem feciſſe. Proinde ſequitur, Deum duas haſce iuriſdictiones non voluiſſe diſtinctas eſſe, niſi fortè aliquid à Moſe dicas prætermiſſum, quod ad ſubſtantiam Reipublicae inſtituendæ pertineret, vel eandem mutilam & mancam ipſi à Deo traditam fuiſſe: quæ ambo falſè impieque cogitantur. Quocirca verum eſt quod aſſeruimus. Qui contendunt, Deum voluiſſe duplicem

gubernationem in repub. à ſe inſtituta, monſtrare locum coguntur, in quo mandarit. Quantiſper indicare nullum poterunt, nobis non perſuadebunt. Conſtat ſecundo, nullum huius bipartitæ gubernationis apud Iudæos exſtare exemplum. Quare aut nullo tempore temperata curataque eſt eorum reſpublica ſecundum inſtitutionem atque voluntatem Dei, aut ſemper hoc ab omnibus ſacris & profanis hiſtoricis prætermiſſum fuit. Quæ cum affirmari à nullo rectè veréque poſsint, patet iterum propoſitæ cauſæ veritas. Conſtat tertio, præcepta & exempla veteris inſtrumenti omnia docere, vnum ſemper Magiſtratum non minus ſacras, quam profanas res gubernauiſſe: vt deinceps initio à Moſe facto, & clarè demonſtrabo.

Moſen ſolum velut ſupremum Magiſtratum & Reipub. caput rexiſſe Iudæos, certius eſt, quam vt oſtenſione indigeat. Rexit enim in deſerto populum ante Sacerdotij inſtitutionem. Quia verò ſolus perferre laborem non potuit, ex conſilio ſoceri elegit ſocios, Iudices & præfectos: qui ſuo nomine diſceptantes audirent, cauſaſque iudicarent, ac grauiora ad ſe referrent, Exodi 18. & Deut. 1. Quiſquis duo loca hæc attentè conſiderabit, perfacile negotium præſens intelliget. Tantum porrò abeſt vt diſtinctum voluerit Deus iudicium de moribus exerceri à Sacerdotibus, vt Moſen iuſſerit ipſi etiam Aaroni, quem pro Sacerdote ſuo elegerat, ſuum præſcribere officium. Per Moſen dico, velùti per Magiſtratum, voluit Deus Aaroni Sacerdotium committere, aliiſque omnibus ſua officia præfinire, vt intelligeremus, totum viſibilem ſeu externam rerum diſpenſationem penes Magiſtratum pium eſſe. Elegit Deus Aaronem ſibi in Sacerdotem, attamen non vocauit eum per ſe, tametſi antea cum eo locutus fuiſſet, Exod. 4. & Num. 12. ſed per Moſen vocat & inaugurat. Exod. 28. & Leuit. 8. nec eum iubet, cum ei ſuum munus exponit, peculiare iudicium inſtituere.

Hinc

Hinc factum fuit, vt aliqui magno ſuo malo non crederent, Aaronem à Deo electum, ſed à Moſe præpoſitum cæteris. Num. 16. cuius tamen electionem miraculo deinde florentis virgæ Aaronis confirmatam viderunt. Sic Aaronem moriturum iubetur idem Moſes exuere, & filium eius Eleazarum in Sacerdotio ſucceſſorem eiſdem indutum in defuncti parentis locum ſubrogare. Num. 20.

Idem poſtea imperium retinuit Ioſua, fideliter & obedientiam ei parem promittunt Iſraelitæ. Ioſuæ 1. Deinde omnibus ſemper iuſsit, quid & quomodo facere deberent, ſacerdotibus & alijs 3. & 4. capitib. Mox cap. 5. præcipitur ipſi à Deo, non Sacerdotibus, vt circumcidat omnes Iſraelitas. In ſumma, Ioſua non ſolum res bellicas & profanas, verumetiam ſacras ſolus per ſe & per alios rexit ac temperauit, iuxta præſcriptionem legis Dei. Par ratio eſt Iudicum aliorum. Non prohibuit Deus Sacerdotib. veteris Teſtamenti gerere Magiſtratum, ſed iudicarunt Iſraelem Heli & Samuel ante captiuitatem Babylonicam: poſt eam ſemper aut fuerunt participes imperij Sacerdotes, aut ſoli imperauerunt. Factum hoc eſt propter figuram Chriſti, quem non tantum Sacerdotem, verumetiam Regem fore ſignificabatur. Mirabile videtur, quod non ex ſolis propè Leuitis electi ſunt Iudices & Magiſtratus, cùm tantæ Tribui nulla eſſet pars terræ aſsignata. Mirabilius eſt, quod mulier Iſraelem aliquando rexit, vt ex Iud. 4. cap. conſtat. Verum vt-vt hæc habeant, hoc conſtat, ex ſacris literis oſtendi non poſſe, duos fuiſſe ſub Iudicib. Magiſtratus, ſiue Sacerdotes imperarent, ſiue alij regnarent. Samuel filios ſuos conſtituit per Iudæam præfectos & Iudices. 1. Sam. 8. at non iuſſit eos Eccleſiaſticum quoddam iudicium à politico diſtinctum exercere.

Samueli ſucceſſerunt Reges, quos manifeſtè ſcimus ſacra pariter & profana gubernaſſe. Quippe Dauid conuocauit Principes totius Iſraelis (inter quos etiam erant Principes familiarum Tribus Leui) non ſolos Sacerdotes,

vt cum ipſis de reducenda arca conſilium caperet. 2. Sam. 6. & 1. Paralip. 13. Idem Miniſtros Templi, cantores, ianitores ordinauit: Sacerdotum ac Leuitarum munera diſtribuit: denique omnia ad cultum Dei pertinentia diſpoſuit, vt in lib. Paralipominôn ſæpiſſimè legimus. Huius ordinationis mentio deinde fit in hiſtoria Regum, in 1. Eſdræ cap. 3. & 8. Et in lib. Nehemiæ cap. 12. Notandum eſt interim, quod non ex proprio conſilio, ſed ex iuſſu diuino hæc fecit Dauid; vt ex cap. 29. lib. 2. Paral. clariſſimè liquet. Ibi enim ſcribitur, eum à Gad & Nathan Prophetis iuſſum eſſe ſic omnia inſtituere: qui à Deo non ſunt miſſi ad Sacerdotes, ſed ad Regem: ex quo iterum perſpicitur, quomodo & à quibus regi Deus velit illa etiam, quæ ad cultum ſuum pertinent. Hanc ob cauſam præcepit Deus Ioſuæ, vt lib. legis die noctuque legeret, quò ſecundum præcepta in eo comprehenſa cuncta ordinaret. Item electo Regi mandauit lib. Legis manu ſua propria tranſcribere, vt ſecundum eum Rempub. regeret, nullaque in parte à diuino mandato diſcederet. Deuter. 17.

Eodem modo Salomon fecit: non tantum profanarum rerum curam habuit, verumetiam ad religionem attinentia conſtituit. His inter cætera quæ cum patre Dauide communia ei fuerunt, Templum Deo ædificauit: idémque ipſe, non Sacerdos, dedicauit ſeu inaugurauit 1. Reg. 8. & 2. Paral. cap. 6. Idem ſummum Sacerdotem Ebiather à Sacerdotio remouit, & Sadoch ei ſubſtituit. 1. Reg. 2. ſimilia deinde fecerunt Reges omnes boni (Mali eadem poteſtate abuſi ſunt ad impietatem, quia non ex præſcripto Dei egerunt) Aſa, Ieh oſaphat, Ezechias, Ioas, Ioſias, vſque ad captiuitatem.

Poſt captiuitatem Reſpub. gubernata fuit ab optimatibus, inter quos principem ferè locum tenuerunt Sacerdotes. Durauit ea reipub. forma vſque ad tempus Aſamonæorum, teſte Ioſepho lib. Antiquit. 11. cap. Conſtituti ſunt ipſis initio Magiſtratus à Perſarum Regibus, vt ex

lib. Eſdræ & Nehemiæ conſpicitur: ac permanſerunt tributarij Perſarum, donec Alexander magnus Hieroſolymas peruenit. Sub Macchabæis cœperunt in exiſtimatione tanta ſanctitatis eſſe Phariſæi, vt ſiue de Regib. ſiue de Pontificib. aliquid mali dicerent, facilè eis fides adhiberetur. Quocirca coacti ſunt reges ipſis adulari, & participes Imperij ſui facere ſi modo pacatè cuperent regnare; teſte Ioſepho lib. Antiquit. 13. cap. 23. & 24. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 4. Exactis Macchabaeis ſucceſſerunt in imperio Herodes & filius eius Archelaus. Illo defuncto, & hoc in exilium eiecto, reſtituta eſt imperandi poteſtas Principibus Sacerdotum, Scribis & Phariſæis: illis nimirum, quos hiſtoria Euangelica affirmat in Synedrio conſediſſe. Haec deinde Reipublicę facies (ſimilis fuit ante Macchabæorum ætatem) durauit vſque ad excidium, vt Ioſephus in lib. Antiquit. Iud. 20. cap. penultimo, his verbis teſtatur: μετὰ δὲ τούτων τελευτὴν (intellige Herodis & filij ipſius Archelai) ἀριστοκρατία μὲν ἦν ἡ πολιτεία: τὴν δὲ προστασίαν τοῦ ἔθνους οἱ ἀρχιερεῖς πεπίστευντο. Interim tamen parebant Romanis: neque in alijs rebus poteſtatem ſeruauerant integram, quàm in rebus ad religionem moreſque patrios pertinentibus: quod etiam alibi viuentibus Iudeis permiſſum fuit, vt ex Ioſephi compluribus locis manifeſtum fit, maximè verò ex lib. 19. cap. 4. & lib. 4. cap. 12. de qua re aliâs plura diximus ac dicemus.

Iam verò quod toto hoc tempore Iudicium de moribus nullum fuerit apud eos Eccleſiaſticum ſed duntaxat politicum, ex conſequentibus erit manifeſtum. Rex Perſarum Eſdrae imperat. 1. Eſdr. 7. vt conſtituat Iudices & praefectos peritos legis, qui populum rectè iudicent ac ſimul erudiant: & Legi Dei ac Regis non obedientes iubet, non excommunicari, ſeu pœna Eccleſiaſtica, vt vocatis, puniri, ſed morte, carcere, vinculis, plagis, mulcta, pœnis videlicet politicis

nominatis. Alijs pœnis nec affecerunt illi quenquam,nec afficere aliquem potuiſſent: propterea quod Moſes aliter non iubet caſtigari delinquentes. Icciro non affecit pœnâ Eccleſiaſtica Nehemias falſos Prophetas & proditores cap. 6. neque illos, qui ex vxoribus Azoticis, Aſdodithicis, Ammoniticis & Moabiticis liberos genuiſſent vix ſemi-Iudaicè loquentes, ſacris, ceremonijs & Templo arcuit: ſed eos percuſsit; capillos euulſit, iurare coegit ne deinceps vel ſuas filias illis nuptui darent, vel illorum filias ſibi filijsue ſuis ducerent. Sic & vnum ex filiis Ioiadæ, (Hiſtoriæ Manaſſen vocant,) qui filius erat Eliaſibi ſummi Sacerdotis, generum Sanaballati Horonitæ in exilium egit: non interdixerunt ei Pater aliíſque Sacerdotes vſu ſacrificiorum & Templi. Vt ſemel dicam, tale nihil reperimus: at hunc Nehemiam Sacerdotib. Leuitis, atque alijs cunctis præſcripſiſſe legimus, quid facere & ſequi ſingulos deceret. Poſt haec tempora in ſacris literis nihil reperimus de Reipublicę gubernatione. Quare ex Macchabæorum & Ioſephi inprimis hiſtoria peti oportet, quod ſcire cupimus. Ad Macchabæos quod attinet, nihil aliud inuenimus, quam occiſos illos fuiſſe qui defecerant à Iudæis, lib. 3. Macch. cap. vltimo: & aliquid huc pertinens, cap. 2. Non neſcio hunc librum in multis Biblijs deſiderari, qui tamen in aliis habetur, & hiſtorica fide minimè indignus reputatur. In Ioſepho nonnihil reperiet attentus lector, quod noſtram ſententiam confirmet: quod aliter ſentientibus patrocinetur, nihil omninò ſcriptum ab eo notaui. Profectò homini veritatis ſtudioſo, & conceptam ſententiam pertinaciter contra veritatē defendere nolenti, vel hoc vnicum ſatisfecerit, quod Ioſephus (Qui Gentis ſuæ hiſtoriam ita ſcripſit diligenter, vt nimis hac in re ſuperſtitioſus videri poſsit; dum etiam res minimas aliquando nimis verboſè perſequitur) nullo in loco ſuorum librorum vnico verbulo meminit Eccleſiaſtici huius Magiſtratus, iudiciis de moribus præſidentis, qui à politico fuerit

alius,

alius, quíque ius habuerit ipſos etiam Reges ſuos puniendi. Caeterum quis eſt ita ineptus, qui non intelligat, ad ſubſtantiam gubernationis ac Reipub. pertinere talem Magiſtratum, adeóque nobiliſſimam maximeque neceſſariam ciuitatis partem eſſe (ſi quidem pro parte ſit habendus) ac proinde abſque inſigni errore peccatóque negligi ab eo non potuiſſe? Quocirca talem iuriſdictionem inter Iudæos ipſe ignorauit. Idem author ſcribit, ſummum Sacerdotem Ioannem aliquando in ipſo templo interfeciſſe Ieſum fratrem ſuum propter contentionem de principatu Sacerdotij lib. antiquit. 11. cap. 7. at Excommunicatum non ſcribit. Eodem lib. cap. 8. & vltimo. Item lib. 12. cap. 9. Item 13. cap. 2. & in hoc libro ſaepius. Item lib. 18. cap. 5. Item lib. 1. de bello Iud. cap. 5. & aliâs quoque oſtendit, tranſgreſſores cum alios, tum eos, qui vel non ſeruaſſent ſabbathum, vel ediſſent vetitorum aliquid, coactos fuiſſe fugere & exulare: nunquam Eccleſiaſticae cuiuſpiam poenae iudicijque meminit. Sic Antiochus, vt lib. 12. cap. 3. idem refert, iubet illos, qui immundum comediſſent, aut in vrbem importaſſent, aut contra Legis ſentẽtiam in Templum ingredi auſi fuiſsent, mulcta puniri trium milliũ drachmarum: Eccleſiaſticæ pœnæ nullius commeminit. Cap. vltimo lib. 11. Sic ſcribit: εἰ δὲ τὶς αἰτίαν ἔχῃ παρὰ τοῖς ἱεροσολυμίταις, κοινοφαγίας, ἢ τῆς ἐν τοῖς σάββασι παρανομίας, ἢ τινὸς ἄλλου τοιούτου ἁμαρτήματος, παρὰ τοὺς σικιμίτας ἔφευγε λέγων ἀδίκως ἐγκεκλῆσθαι. Quis ſic deſipit, vt putet homines, qui in re tali peccauiſſent, vt in κοινοφαγίᾳ, deſerta patria & liberis exulare voluiſse, ſiquidẽ pœna eccleſiaſtica crimen eluere potuiſsent? Quod ſi in tali peccato hac pœnae locum non habebant, in quo, quaeſo te, locum habere potuerunt? Manifeſtiſsimè vel hinc apparet, nugas eſse, quae de duplici hoc poenarum genere commenti ſunt homines.

Addam & hoc, quod lib. 13. cap. 18. Legimus de Hyrcano & Phariſaeis. Cum hos Rex, vt qui eorum eſset diſcipulus, conuiuio excepiſset: atque Eleazarus quidam homo turbulentus, Regem dixiſset ex matre natũ, quæ Antiocho

Epiphane regnante ſerua fuiſſet, ideóque Sacerdotio fungi non poſſe: idque Rex iniquiſſimè tuliſſet (erat enim calumnia) interrogauit caeteros, quid ipſis videretur. Omnibus blaſphemum eſſe reſpondentibus, rurſus interrogauit, qua pœna videretur dignus, πληγῶν ἔφασαν καὶ δεσμῶν. οὐ γὰρ ἐδόκει λοιδορίας, ἕνεκα θανάτῳ ζημιοῦν: ἄλλως τε καὶ φύσει πρὸς τὰς κολάσεις ἐπιεικῶς ἔχουσιν οἱ φαρισαῖοι. Hoc reſponſum tam mite ita offendit Regem, vt ipſis deſertis ad Sadducaeos tranſierit: ex quo deinde maximae calamitates natae ſunt. Apparet ex hoc loco, ipſos Eccleſiaſticas pœnas nullas habuiſſe, quas peccantibus infligerent. Quippe ſui ordinis hominem, quem mortem non promeruiſſe iudicarent, non plagis & carcere, ſed ſacris pœnis caſtigauiſſent, Regique ſic magis ſatisfeciſſent.

Summatim dicam omnia, nullus exſtat vel in Ioſepho, vel in ſacris literis locus bipartitae illius iuriſdictionis, ſed vnius fit mentio Magiſtratus politici, qui profana & ſacra direxerit & gubernarit ſecundum Legis praeſcriptionem: nec mentio vlla fit aliarum pœnarum quàm carceris, plagarum, exilij, mortis, mulctae ſeu confiſcationis bonorum, & aliarum huius generis corporalium pœnarum, cum de pœnis delinquentium fit mentio in Biblijs aut Ioſephi libris.

Ex praedictis omnibus perſpicuè patet, in Iudaeorum Repub. quam Deus ipſe conſtituit ac ordinauit, duas haſce iuriſdictiones nunquam fuiſſe, ſed vnicum Magiſtratum res omnes profanas pariter & ſacras iuxta Regulam verbi Dei gubernauiſſe. At verò Deus Rempub. praeſcripſit populo ſuo perfectam, numeriſque omnibus abſolutam, quod ad ſubſtantiam attinet: qua neque excogitata ſit, neque excogitari poſſit alia perfectior, concinnior, aptior. Quis enim cum Deo de ſapientia contendat? Qui de praeſtantia & laude Legum à Deo per Moſen Iudaeis traditarum plura cupit videre, legat Euſeb. 8. lib. de praepar. Euangel. cap. 2. Praeclaram igitur meretur laudem, quae, quoad fieri poteſt, proximè ad hanc formam accedit.

cedit. Quocirca nos confiteri oportet, Deum non mandaſſe diſtincta illa vnius Reipub. in qua eandem cum ciuibus colit Religionem, Magiſtratus imperia & iudicia, quae hodie nobis obganniunt quidam. Vnde ſequitur, impiè illos facere, qui tali Magiſtratui partem viſibilis poteſtatis à Deo traditae adimunt, & neſcio quibus aliis adſcribunt: imò iuriſdictionem aliam confingunt, cui ipſe quoque Magiſtratus politicus obnoxius ſubiectúsque ſit. Peccant non minus, cum pium & Chriſtianum Magiſtratum veluti profanum ſacro opponunt: cum vnus ille idémque, quatenus res ſacras ſecundum ſcripturas gubernat & diſponit, ſacer, quatenus autem res profanas ſecundum Leges curat, Politicus nominetur. Non enim pro rerum diſpenſatarum varietate variat diſpenſatio ſeu gubernatio: vt ſupra fuit declaratum. Quippe Dij quidam ſunt tales Magiſtratus, & in medio eorum Deus habitat, Pſalm. 82. Item educatores, altores curatores, defenſores, & nutritii ſunt Eccleſiae. Eſaiae. 49.

Profanus igitur eſt, quiſquis profanos eos vocat, magíſue profanos exiſtimat ſacro illo ſuo Magiſtratu: quem Deus nullibi reperitur inſtituiſse vel approbaſse. Nam in nouo Teſtamento rationem gubernandi nullam praefiniit: nec veterem formam mutauit: imò manifeſtè ſuis Miniſtris prohibuit Chriſtus Dominatum; Reges, inquit, Gentium dominantur ipſis. Vos autem non ſic. Item palàm dicit ſe eos mittere ad docendum, quomodo ipſe miſsus fuerit à patre. Certè nullibi legimus Chriſtum iudicia exercuiſse de moribus, qualia nobis depingunt quidam: quinimò nec adulteram ſua ſententia damnare, nec inter fratres arbitrari voluit de bonorum diuiſione, tametſi rogaretur: vt doceret nos, ſe aliud iudicium non agnoſcere, quam Magiſtratus. Hinc Apoſtolus Paulus Miniſtros non dixit eſse Rectores iudiciorum & Senatus cuiuſdam Eccleſiaſtici, ſed diſpenſatores ſeu explicatores myſteriorum Dei. Sic & Petrus iubet Miniſtris ne ſic

agant

agant curam gregis, ac ſi dominatum exercerent.

Confirmat hæc omnia doctiſſimus ætatis noſtræ Theologus, Petrus Martyr, in comm. in cap.8. lib.1. Samuelis: vbi expreſſè probat, bicipitem, & ob id monſtroſam fore eam Remp. quae Magiſtratum habet Chriſtianum, ſi duo ſint pari poteſtate de coercendis moribus iudicia. Tandem diſputationem concluſurus ait. Quid ergo, inquies: imperabit Magiſtratus Miniſtris & concionatoribus? Reſpondeo, Verbũ Dei & Sacramenta nulli poteſtati ſubijciuntur. Miniſtri autẽ ſubijciuntur bifariàm, & quod ad mores, & quod ad functionem attinet. Nam ſi aut perditè viuant, aut officium non faciant, poſſunt corripi à Magiſtratu & ſubmoueri. Sed adhuc iſti ſibi ciuilem poteſtatem aliam Eccleſiaſticã, aliam profanam: quorum alteram tribuunt Papæ, alteram Magiſtratui. Sed fruſtra. Nam quod ad Eccleſiaſticam poteſtatem attinet, ſatis eſt ciuilis Magiſtratus. Is enim, vt ait Ariſt. in Polit. curare debet, vt omnes officium faciant, vt Iuriſconſulti, vt Medici, vt ruſtici, vt Pharmacopolæ: inter quos etiam poſſumus numerare Miniſtros & concionatores. Quid hîc opus eſt multiplicare capita? Salomon, Dauid Ioſias, cum eſſent Magiſtratus ciuiles, tamen putabant Religionem à ſua cura non eſſe alienam. Conſtantinus, Theodoſius, Iuſtinianus, nihil magis cogitabant, quàm vt veram Dei Eccleſiam conſtituerent. Hæc Martyr. Similia reperies in expoſit. cap.19. lib. Iudicũ, in loco cõmuni, de Magiſtratu.

Non nego interim, hunc ipſum Martyrem Seniorũ quoque mẽtionem facere. At ſi hos aliam habuiſſe poteſtatẽ in Eccleſia contẽdas, quàm Presbyteri, de quibus Hieronymus locutus eſt, habuerunt, contrarium ſibi cum facis. Nam apertè caſtigationẽ morum in Miniſtris & concionatoribus penes Magiſtratum eſſe ſupra dixit. Quare vt Conſiliarios quoſdam Magiſtratus cenſuit eſſe, à quibus doceretur, quid verbo Dei conſentaneum eſſet, aut non eſſet: de qualibus nos Presbyteris in præſentia non diſputamus. Scio illud etiam, cum in communi errore cum alijs haeſiſſe, & Seniores & Epiſcopos arbitratus fuerit poteſtatẽ habuiſſe Principes

Excom-

Excommunicandi Reges & Magiſtratus. At à viro pietate, virtute, & prudentia clariſſimo, D. Thoma Blarero, Conſule Conſtantienſe admonitus, timidius poſtea de hac re locutus eſt. Sed tempus eſt, vt ad tua redeam.

Idem nobis indicare voluit Chriſtus, cum dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo: hoc eſt, Regnum meum non eſt politicum, externum, & inuiſibile. Regnat enim Chriſtus etiam in hoc mundo, ſed inuiſibilis & ſpiritualis eſt ipſius gubernatio: quae, vt ipſe ait, in veritate conſiſtit & ſpiritu. Quare cum ex hoc mundo Regnum ſuum non eſſe ait, atque interim Regem ſe eſſe affirmet, de viſibili Regni procuratione loquitur. Ideo Pilato dicebat: Si meum Regnum externum eſſet & viſibile, pugnarent vtique Miniſtri mei pro me ne traderer Iudæis. Hunc locum mirum eſt, rabioſum quendam hypocritam auſum eſſe detorquere ad Excommunicationem: cum multò magis probet, non debere Miniſtros vllam exercere iuriſdictionem externam, quae à gubernatione Magiſtratus diſtincta ſit.

Sic cum Caeſari ac Deo Chriſtus iubet dare quod vtrique debetur, non hoc dicit, Presbyteros quoſdam, vel Miniſtros, vel alios quoslibet pio Magiſtratui ſubiectos, debere peculiare conſtituere iudicium, & diſtinctam exercere iuriſdictionem. Hoc non eſſet Cæſari dare, quod Caeſaris eſt, ſed ei adimere, quod Deus ipſi dedit. Probare debebant, qui talib. ineptijs infatuare imperitam multitudinem ſtudent, Deum alicubi hoc ſibi aut Eccleſiæ ſuæ popoſciſſe, vt in Repub. Chriſtianum habente Magiſtratum, ſeorſum Presbyteri & Miniſtri ſinerentur regnare, ſeu iudicia publica habere de moribus & ſceleribus, ipſiímque etiam ſuo imperio Magiſtratum ſubijcere. Quantiſper hoc non fecerint, fruſtra diſputabunt. Nam hoc ipſum quod probare debebant, veluti confeſſum probatúmque inſcitè ſumunt. Nos probauimus Caeſaris, hoc eſt, pij Magiſtratus totam eſſe viſibilem rerum ſacrarum pariter & profanarum gubernationem: vt qui Dei ſit Miniſter, & ipſius nomine ac loco regat, Rom. 13.

Senſus

Senſus illius loci talis eſt. Iudæi cùm eſſent Dei populus, putabant ſe nemini ſeruire debere: ac pugnare quodammodo, Dei populum eſſe ſiue Deo ſeruire, & hominibus parere: id quod Chriſti reſponſum euidentiſſimè probat. Ipſe namque ſimulationem eorum intelligens, de Deo reſpondet, licet ipſi dẽ Deo in ſua interrogatione nullam mentionem feciſſent. Quippe hoc tantum interrogant Chriſtum, vtrum liceat Cæſari cenſum ſoluere: vt, ſi affirmet, populo inuiſum reddãt, ſi neget, Herodis miniſtris accuſent. Reſpondet ergo eis Chriſtus verbis ſupra dictis, quaſi diceret: Non pugnant inter ſe Deo ſeruire & Magiſtratui, quamdiu vnicuiq; datur quod ſuum eſt. Cenſus Magiſtratus eſt, quod argumẽto ab inſcriptione & figura nummi ducto probatur. Quare nihil contra Deum facitis, dum Cæſari, quod ſuum eſt, redditis, modo interim Deo quoque, quod ſuum eſt, reddatis.

Adducunt etiam exemplum Regum Sauli 1. Sam. 13. & Vzziae. 2. Paral. 26. contra Dei mandatum officio Sacerdotis fungi volentium; quo ſignificare volunt, quemadmodum hi peccarint, ita etiam pium Magiſtratum grauiter errare, ſi res ſacras ſeu Eccleſiaſticas curet: id eſt, ſi ipſos iuxta & ſupra ſe regnare non ſinat. Quid ad putidum hoc cauillum dicemus nos? Antequam Deus Aharonem ſibi in Sacerdotem elegiſſet, nihil vetabat eundem eſſe Sacerdotem & Magiſtratum, vt exempla Melchiſedechi & Moſis oſtendunt, Leuit. 8. Poſtea quoque Heli & Samuel vtrumque munus ſimul adminiſtrarunt. Sic & poſt reditum ex captiuitate Machabaei, tametſi non eſſent ex Sacerdotali linea Aharonis. Patet igitur his exemplis abſurdi nihil ſequi, ſi Magiſtratus etiam res ſacras tractet.

Vt autem rectius intelligatur res, obſeruandum eſt, ideo Deum noluiſſe cuiuslibet Sacrificijs placari, ſed Aharonis ſolius & ab eo prognatorum, vt Iudaeos & nos quoque doceret, ſolius Chriſti Sacrificium potuiſſe iram Dei à nobis tollere. Ergo ſicut Iudaeos per Aharonitas iuſſit ſibi offerre

re Sacrificia mortem Chriſti ſignificantia, ſic etiam vult nos in Chriſto & per Chriſtum noſtra Sacrificia, laudes, inuocationes, preces, gratiarum actiones offerre, vt ab eo exaudiamur. Quis nunc neſcit Aharonis Sacerdotio ſublato, ex æquo nos omnes eſſe Sacerdotes? Peccauit ergo Rex Saul, quando ſacrificare auſus eſt: & peccauit etiam Rex Vzzias, quando ſuffire voluit, quae Sacerdotis erant. Sed non peccet perinde Magiſtratus hodie, qui Miniſterio fungeretur, ſi quidem per negocia vtrumque munus praeſtare poſſet. An excepit Apoſtolus Magiſtratus & potentes, quando in 1.ad Cor.14.dicit, poſſe omnes nos ſigillatim prophetare? Sublata iam ſunt ſacrificia boum & agnorum, vnà cum ſuffimentis: & relicta illa tantum ſunt ſacrificia, quæ tunc etiam ab omnibus ſibi offerri Deus voluit.

Iam hoc quoque conſiderandum eſt, aliud eſſe res ſacras curare & gubernare, aliud agere. Multas regit res Magiſtratus, quas ipſe per ſe non facit. Licuit igitur Vzziæ diſponere, gubernare, ac regere Sacerdotes, ipſorúmque officia conſtituere ſecundum praeſcriptum Dei: ſacrificare & ſuffire non licuit. Equidem Magiſtratus Sacerdotes ineptos remouere, aptiores ſubſtituere poteſt ac debet. Placet hoc Deo ſi modo id ſecundum verbi Dei Regulam faciat: vt Salomō fecit 1.Reg.2. Quinimò Perſarum Reges rectè pieque fecerunt, cum populo ex captiuitate reduci Principes ſiue Duces atque Sacerdotes iuxta praeceptum & voluntatem Dei in ſacris expreſſam libris conſtituerunt, legitiméque electos confirmarunt. Hoc enim ad eos ius pertinuit, dum Iudæam ſuo imperio ſubiectam & tributariam tenerent. Rectè poſteriores quoque Reges feciſſent, ſi non ex propria libidine, ſed iuxta Regulam à Deo traditam Sacerdotes & Principes Iudaeis ſubditis ſuis creauiſſent. Non peccarunt igitur cum alij, tum Romani, cum Sacerdotes ac Principes ordinarunt aut confirmarunt: ſed in hoc peccarunt grauiter, quod Sacerdotium illis crediderunt, qui ab Aharone non deſcenderant.

Nec

Nec minus rectè piéque fecerunt Imperatores Chriſtiani, quod hoc ſuum ius contra Epiſcopos, ipſúmque etiam Romanum Antiſtitem fortiter conſtantérque aliquot ſeculis defenderunt.

Probaui vnicam ſemper in Repub. Iudaeorum fuiſse iuriſdictionem, non duas differentes hoc pacto, quo nunc aliqui diſcriminādas cenſent. Supereſt igitur, vt alterum quoque probem, ſcilicet penes Synedrium ætate Chriſti capitalia iudicia in cauſis ad religionem propriè pertinentibus fuiſſe. Et ne longior ſim æquo, illa ſolum producam, quae paucis annis ante natum Chriſtum cōtigerunt.

CAP. II.

De poteſtate Synedrij tempore Romanorum.

CVm Iudæam Pompeius occupaſſet, atque Gabinius deuicto Alexandro Iudaeæ ſtatum mutaſſet, regnare integrè cœperunt Phariſaei Hieroſolymis. Etenim Dominatum Regium ſuſtulit, atque optimatum gubernationem reſtituit, tota Iudaea in quinque partes æqualis poteſtatis ſortíſue diuiſa: quarum ſingulae à ſuo proprio regerentur Synedrio. Ariſtocratia libenter regebantur, inquit Ioſeph. lib. 1. belli Iud. cap. 6. vnius imperio ſublato. Et lib. Antiq. 14. cap. 10. Cum quinque, ait, Synedria Gabinius inſtituiſſet, in quinque partes gentem diſpertiuit. His numeratis addit, καὶ οἱ μὲν ἀπηλλαγμένοι τῆς δυναστείας ἐν ἀριστοκρατίᾳ διῆγον. Haec Reipub. facies etſi iterum deinde luxata eſt, cum Iudaeis Rex datus eſt à Romanis Herodes ille Magnus (Synedrium magna ex parte iuriſdictionem authoritatémque ſuam ſub Hyrcano, cui Principatū Sacerdotij confirmarat Cęſar, retinuit: quod vel ſolius Herodis hiſtoria ſiue iudicium probet:) attamen à morte ipſius filiíque eius Archelai mox reſtituta fuit. Quod quia ex hiſtoria Euangelica alio in loco demonſtratum à nobis fuit, in præſentia aliquot Ioſephi teſtimonijs confirmaſſe conten-

contenti erimus. Citabo autem non omnia (hoc enim nimis longum foret) ſed duo aut tria duntaxat proferam, ex quibus res planiſsimè demonſtrabitur.

Ergo annis à Chriſti morte plus minus decem cum Claudius Caio Caligulæ in imperio ſucceſsiſſet, tale pro Iudaeis Alexandrinis edictum à Caeſare promulgatum fuit. Ex altè repetitis intellexi, Iudaeos, quos Alexandrinos vocant, in Alexandria ab antiquo Alexandrinis cohabitaſſe, paríque cum ciuibus iure à Regibus donatos fuiſſe, quod edicta & reſcripta ſuper hac re facta demonſtrant. Deinde poſtquam Alexandria per Auguſtum noſtro ſubdita eſt imperio, iura ipſis ſua à Præfectis noſtris diuerſis temporibus eò miſsis conſeruata eſſe cognoui: vt nec illo tempore, quo Aquila ibi fuit, in controuerſiam vocarentur. Et mortuo eorum principe non prohibuit Auguſtus alios eligere principes, vt qui ſingulos vellet ſuis vti moribus, neque cogi eos cuperet, vt patrium cultum tranſgrederentur. Paulò poſt, cum, quæ ſub Caligula contigerant, perſtrinxiſſet, hæc addit: βούλομαι μηδὲν διὰ τὴν Γαΐου παραφροσύνην τῶν δικαίων τῷ ἰουδαίων ἔθνει παραπεπτωκέναι: φυλάσσεσθαι δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ πρότερον δικαιώματα ἐμμένουσι τοῖς ἰουδαίων ἔθεσι. Hæc Ioſeph. lib. Antiquit. 19. cap.

Cæterum quia in hoc edicto mentio fit ἐθνάρχου ſeu Principis Iudæorum, operaepreciium fuerit declarare, quam ille habuerit poteſtatem. Igitur Ioſeph. lib. 14. Cap. 12. ex Strabone Cappadoce hiſtorico (quò maiorem lectori fidem faceret) ſic inter alia ſcribit. Præterquam quod in Aegypto Coloniam habent Iudaei, magna etiam pars vrbis Alexandriæ huic Genti attributa eſt. καθίσταται καὶ ἐθνάρχης αὐτῶν, ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος καὶ διαιτᾷ κρίσεις, καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται, καὶ προσταγμάτων, ὡς ἂν πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς. Poteſtatem, inquit, habent regendi, ius dicendi, cauſas cognoſcendi contractuum, mandata edictáque proponendi inſtar perfectae Reipub. Principis. Porrò non ſolis Alexandrinis Iudaeis conceſſa fuit haec poteſtas, ſed omnibus in toto Romano orbe habitantibus. Etenim exemplum edicti Claudij Caeſa-

ris in eodem illo ſupra citato capite commemorat Ioſephus (Alia plurima Roman. Caeſarum, Proconſulum, Senatus, Praefectorum, Decreta, data opera omitto) in quo praecipit omnibus, vt vbique terrarum ſinant Iudaeos eiſdem viuere ac frui priuilegijs, quae Alexandrinis conceſsa eſſe diximus. Qua in re nihil imperat noui Claudius, ſed iam ante data confirmat.

Ex hoc loco illud obiter intelligimus, quomodo Principes Sacerdotum poteſtatem dare Paulo potuerint Iudaeos extrà Iudaeam viuentes Hieroſolymam vinctos pertrahendi. Non enim ciuitas vlla facilè patitur ab alius vrbis magiſtratu, cui ſubiecta non eſt, ciues ſuos comprehendi, & aliò abduci. At Iudaei vbique erant liberi, & quoad ipſorum leges ritúſque pertinebant, nemine impediente tractabant. Itaque cum vbique Principes ſiue ἐθνάρχαι eorum Hieroſolymitano parerent magiſtratui, potuit hoc Paulus perficere.

Vix mihi perſuadeo, aliquem ita eſſe vecordem & ſtupidum, qui Iudaeis in ſua patria negatum opinetur à Romanis, quod alibi ſub imperio ſuo viuentibus tam liberaliter conceſſerunt. Notandum etiam eſt, quod imperator palàm affirmat, Iudaeos haec habuiſſe à Regibus priuilegia primum (quod hiſtoria verum eſse perſpicuè docet) quae omnibus deinde temporibus ipſis conſeruata à Romanis fuerint. Hoc mirabilius eſt quod Ioſephus lib. 12. cap. 3. ſcribit, Veſpaſianum & Titum Alexandrinis eadem conſeruaſse poſt Hieroſolymae vaſtationem. Promiſit etiam Titus idem in ipſo vrbis excidio Hieroſolymitanis cum bonam eius partem iam teneret: ſed fruſtra promiſit nolentibus eſse ſaluis. Verum vt omnem dubitandi cauſam omnibus praecidamus, & omnem effugiendi ſpem tollamus, concludemus hanc rem Ioſephi verbis, quae in libro 20. antiquit. penultimo Cap. ſcripſit: quibus nihil dici poteſt clarius: μετὰ δὲ τούτων τελευτὴν, ἀριστοκρατία μὲν ἦν ἡ πολίτεια· τὴν δὲ προστασίαν τοῦ ἔθνους οἱ ἀρχιερεῖς πεπίστευντο. Poſt

Herodis

Herodis & Archelai obitum, inquit, regebatur Reſpublica Iudaeorum optimâtum gubernatione: Principatus autem Gentis Sacerdotibus ſummis erat concreditus. Quae cum ſic habeant, negari non poteſt, quin Synedrium aetate Chriſti legitimus fuerit magiſtratus: ac iure ſuo gladium tenuerit.

Vtrunque igitur ſolidè, niſi me animus meus fallit, oſtendi: nempe duas diſtinctas iurisdictiones ſiue duo diſtincta iudicia publica de moribus in Republica Iudaeorum nullo tempore fuiſſe reperta: ſed vnum magiſtratum plenam habuiſſe poteſtatem iuxta praeſcriptum Moſis omnem religionem, omnes ceremonias, omnia ad cultum Dei pertinentia vnà cum politicis rebus conſtituendi, ordinandi, ac regendi. Quod cum affirmo, illud non nego; Magiſtratum, cuius non vna ſemper fuit ſpecies, quoties de re aliqua dubitaret, peritos & exercitatos in lege in conſilium adhibuiſſe. Deinde illud etiam probaui, Synedrium verum & ligitimum magiſtratum fuiſse, & ius gladij retinuiſse, quo tempore Chriſtus haec dixit: quanquam non de quibuſuis cauſis, ſed de illis ſolis iudicandi liberam poteſtatem permiſsu Romanorum retineret, quae ad religionem ſeu cultum diuinum moreſque patrios, quos peculiares & cum nullis alijs communes habebant, ſpectabant.

Dicis ex mea ſententia penes Synedrium fuiſse ſpiritualem & ciuilem iuriſdictionem. Dixi Gabinij tempore, antequam Romani ſuos praeſides Hieroſolymis haberent, Synedrium habuiſse poteſtatem de politicis & ſacris rebus pariter iudicandi. At tempore Pilati aliorúmque talium Praeſidum, pars maxima huius potentiae ad Romanos tranſijt: ac relicta ipſi eſt de ſolis rebus ad religionem attinentibus iudicandi facultas. Haec autem non erat iuriſdictio eccleſiaſtica, vt vos hodie à Politica diſcernitis: ſed Politicae, quam

prius totam poſſederat, pars erat. Nam ius gladij, carceris, plagarum, retinebant, quæ vos ad eccleſiaſticam potentiam pertinere negatis. Summa eſt, Magiſtratus erat legitimus & politicus quamuis non de omnibus cauſis, vt prius, ſed de certis ſolum cognoſceret. Satis ſupérque oſtendi, Politicum magiſtratum non deſinere eſſe quod eſt, cum è verbo Dei res ſacras gubernat, ſubditisque ſecundum id viuere cogit. Quæ de particula ὥσπερ obijcis non improbo.

Reprehendis poſt hæc triplicem verborum, ſit tibi vt Publicanus, explicationem: & ex eo colligis me haeſitare. Quod ſi ita eſt, vt, qui plures adfert ad rem vnam reſponſiones, mox etiam haeſitet, in perpaucis locis ſcripti tui certus es. Paſſim enim in margine notas: Reſpub. 1. Reſpub. 2. Reſpub. 3. Reſpub. 4. Potes autem excuſari, quod plerumque plures reſponſiones tuæ nulla ſunt reſponſio. An non in Theſibus diſertè oſtendi, me tertiam probare, cum dixi: Vera reſponſio eſt, quod &c. An non idem tu confiteris, cum me, hanc ſcribis, vt maximè verbo Dei & illis temporibus congruentem, amplecti? An non in primo ſcripto oſtendi poſtrema maximè conſentire cum totis ſacris literis, & omnibus circumſtantijs? Si ad hæc reſpicere vales, quam fraternè agas facilè agnoſces. Sed ad rem ipſam. Primæ & ſecundæ accuſationes non improbarem, ſi argumentis vtere iuſtis & bonis. In Theſibus poſtremis & correctis ſecundam omiſi, quoniam ipſemet probare non potui, poſtquam expendi primam leuiter attigi quidem, vt quae aliquando fortaſse locum potuerit habere: ſed ita attigi, vt tertiam mihi probari indicarim. Vtinam vel tu vel alius quiſpiam errores mihi alios, ſi modo alicubi erro, quod certè neſcio, ita poſſetis indicare. Tam non me puderet eos reuocare quàm me non pudet hic fateri, quod verum eſſe arbitror. Tuæ interim reprehenſiones nullius ſunt momenti: ex quibus ea tantum attingam, quae propter ſequentia ſunt vtilia.

Valde

1. Valde exaggeras quod dixi Chriſtum agere in 18. Matth. de leuioribus iniurijs. At ego non hoc ſentio, de omnino leuibus eum agere. Leuia voco, quæ, ſi conferantur cum ſceleribus nominatim à lege punitis, leuia videri poßint: quorúmque caſtigatio ad magiſtratum non pertineat, ſi, qui iniuria afficitur, de ea non conqueratur. Ergo ferè coincidunt nobis leue & priuatum, ſicut graue & publicum: nec negamus inter priuatas iniurias alias alijs eſſe grauiores aut leuiores. At detractionem, inquis, ſpeciem ponis. Ego mihi in primo ſcripto ſpeciem hanc exempli loco notaui: neque video cur tu damnes. An leuicula res eſt calumnia & obtrectatio quælibet? Non puto. At non decet fratrem ob eam cauſam, inquis, per diuerſa fora trahere: & extra duelli limites fugitantem pellere. Miror te ab affectibus tibi ſic eripi, iſta vt audeas ſcribere. Quomodo ego fugitantem extra duelli limites perſequor, qui rogatus à me toties ab iniuria tamen deſiſtere non vult? Debeo ignoſcere ſeptuagies-ſepties, ſi culpam agnoſcat ac deprecatur: id eſt, ſi poenitere ſe profiteatur, vt Lucas ait: vel ſi ἔλεγχος locum apud eum inueniat. Si conuinci nolit, & calumniando pergat, non ego fugitantem pertraho per diuerſa fora: ſed cogit ille me facere, quod facere nollem.

Mirari te ſcribis, à me non fuiſſe animaduerſum, illud, Sit Tibi, non eſſe concedentis, ſed praecipientis. Ego verò animaduerti eodem modo accipienda eſſe verba hæc, quo alia. Rogo te, ſi quis gentis ſuæ iudicium deſpexiſset, atque iniuria affectus tolerare maluiſset eandem, quàm coram Romanorum praeſide litigare, an fecißet malè? Non puto. Non enim coactus fuit, qui ab Ethnico vel Publicano laedebatur, mox eos apud ſuum forum accuſare, ſi ferre maluit iniuriam, quam coràm Romano Iudice ius ſuum defendere. Cum ergo præfractus ille mihi ſit inſtar Ethnici & Publicani, non minus liberum mihi manet. Deinde cum iubet Chriſtus offenſum, ſi iniurioſus poſt priuatam admonitionem non deſiſtat, vnum atque alterum aſſumere, an hoc ita praeceptum putas, vt ſi offenſus poſt priuatam admonitionem,

 tionem,

tionem tolerare malit offenſoris importunitatem, quàm a-
lijs cauſam aperire, id ei non liceat? Accidit ſoepè, vt
offenſae inter aliquos naſcantur, & alter eorum, qui me-
lior eſt & prudentior, non velit rem publicari. Is iniu-
riam inferentem admonebit, vt ſe liberet: ſed ita, vt ſi nihil
obtineat, ferre malit quàm vulgare, quod patitur. Vides
quam infoeliciter illa quoque refellas, quæ tibi vltrò con-
cedimus?

An non admirari omnes facis, cum ſcribis diuerſum
hoc loco tradi ab eo, quod mox Petro reſpondetur? Ra-
tionem profers hanc: quia vbi peccatum remittitur ſeptua-
gies, neque teſtes, neque ciuiles magiſtratus neceſſe eſt in-
terpellari. Si Lucam cum Matthaeo voluiſſes coniunge-
re illud non dixiſſes, puto. Chriſtus iubet offenſum pri-
mò omnium tentare, an poſsit offendentem conuincere pec-
cati, id eſt eò deducere, vt peccatum agnoſcat culpámque
deprecetur. Interrogat Petrus quoties hoc facere neceſse
habeat. Reſpondet Chriſtus apud Lucam, ſepties, ſi to-
ties dicat ſe propter factum ſuum dolere: apud Matthae-
um verò, ſeptuagies-ſepties. Senſus apud vtrumque eſt,
toties remittendam iniuriam, quoties iniuriam inferens
fatebitur ſe poenitere, & ab inferenda iniuria vult abſtine-
re. Proinde ad teſtes non ante veniendum eſt, quàm ſe ſo-
lum à ſolo coargui non ſinat. vides iterum tibi te debuiſſe di-
cere, Frater, an hoc eſt candidè, piè, ſimpliciter agere in re tanti
momenti?

Tertiam expoſitionem cogi te dicis, vt omnium ab-
ſurdiſsimam repudiare. Audiamus ergo elegantes tuas
rationes, quas adfers. Primum ais, obſtant antedictae rati-
ones. Deinde diſcordarent inter ſe Chriſtus & Paulus, quos
tu vis idem ſentire. Si non huc vſque tuis reprehenſioni-
bus aſſueuiſsem, putarem te ludere in re ſeria. Si non po-
tuiſti veris rationibus refellere, quæ ipſemet non firma ſa-
tis eſſe confiteor, quo pacto inanibus illis ratiunculis ve-
ram ſententiam delebis? De loco Apoſtoli tibi id reſpōdebo,
quod

quod iam ante alijs reſpondi, ne precioſum tempus fruſtra malè collocam.

Paulus primum iubet ne omnino litigent: quod nihil eſt aliud, quàm quod Chriſtus iubet, dandam eſſe operam, vt vel ſoli, vel cum amicis aliquot tentemus amicè controuerſias componere. Deinde ſi omninò litigandum ſit, prohibet Apoſtolus coram Gentili Magiſtratu litigare. Non enim conuenire, vt iuſti ab iniuſtis iudicentur. Ideo ex ſuo ordine aliquos iubet eligere, qui inter fratres iudicent. Cæterum non permittit hiſce delectis Arbitris iudicia de ſceleribus & rebus grauioribus, ſed minora ſolum concedit, & de rebus ad victum ſeu vſum vitae pertinentibus: quæ ipſe vocat κριτήρια ἐλάχιστα, & βιωτικά. Sanè ſi de illis etiam iuſsiſſet iudicare, plurimum de dignitate, poteſtate, authoritateque magiſtratus, cui vbique nos parere iubet, detraxiſſe videri poſſet. Et hoc quid aliud eſt, quàm quod Chriſtus dixit, Dic Eccleſiæ. Huc vſque pulchrè & apertè reſpondent omnia.

Sed nihil amplius addit Paulus, inquies, & hoc eſt, quod nos volumus. Reſpondeo: tametſi hoc in loco reliqua non ponat Apoſtolus, quæ in Chriſti verbis contineri oſtendi, alibi tamen re ipſa & facto ſuo declarauit, quid hac de re ſenſerit. Nam cum à ſua Gente accuſaretur, ac iniuriam ſibi fieri cerneret à Iudice, appellauit ad Caeſarem. Quo pacto igitur credere vllus homo poteſt intelligens (quem contendendi libido aliúſue affectus ſibi non eripuerit) Paulum offenſo non permiſiſſe iniuriam à ſe depellere auxilio Ethnici Magiſtratus, ſiquidem Aduerſarius Arbitros audire nollet? Iudicent omnes homines, an quiſquam verè putet Apoſtolum iniuria affectis hoc voluiſſe aut potuiſſe negare, quod ſibi licere putauit, & facto demonſtrauit? Quid ſi Arbitri iſti iniquè iudicauiſſent, an prouocare non licuiſſet oppreſſo ad alium Iudicem ſuperiorem?

Hoc ſi licuit Apoſtolo, ac nobis licet, quomodo non idem mihi liceat, ſi, qui mihi moleſtus eſt, Arbitros deſpiciat, eórúmque ſententiae ſtare nolit, ſed ab ea appellet? Non eſt fortè quiſquam ita immanis & barbarus, qui tales Iudices contemnat, ſi non putet iniquè ab ipſis iudicatum: at plurimi ſunt, qui ſe cauſam bonam defendere arbitrantur, ideóque prouocant ad ſuperiorem Iudicem. Male fiunt hæc, fateor: attamen fiunt, facta ſunt, ac futura videntur: & cum fiunt, non poteſt oppreſſo negari, quin ſe defendat ab illata iniuria. An non eſt impius quoque magiſtratus à Deo præpoſitus, vt ſubiectos quoſlibet ab iniuria & vi tueatur? Quomodo ergo vetet Apoſtolus in caſu tali, qualis à nobis proponitur, iniuriam patientem quærere ſui eam defenſionem, quae Deum ipſum habet authorem.

Non negauit cuiquam Deus iuſtam ſui defenſionem coràm quocunque magiſtratu: ſi prius illas rationes reconciliationis fruſtra expertus fuiſſet, quas experiri nos voluit, antequam ad profanum impiúmue magiſtratum cauſam noſtram deferamus. Habitant nunc ſub Turca & Pontifice Romano fideles; Si quis afficiatur ibi à fratre iniuria, nec audire iniurioſus ſuum coetum velit, quid aliud poteſt offenſus facere, quam eius implorare Iudicis opem, qui facultatem habet coercendi? At Eccleſia excommunicare, dices fortaſsè, debet refractarium. Primum hîc petitur principium. Quippe de hoc quaeſtio eſt, an ſit à Deo conceſſum hoc Eccleſiae. Nos permiſſum non eſſe demonſtramus: Aduerſarij hoc ipſo, quod probare eos oportebat ſua plerumque probant. Deinde ſi, qui infert iniuriam, iure ſe facere, quod facit, dicat, atque ad alium Iudicem prouocet, an negabitur reo ius ſuum alibi quærere, vt moleſtia illa liberetur? Certè Apoſtolus Arbitris & Iudicibus illis plus poteſtatis non dedit, quàm arbitrandi inter fratres, amiceque componendi diſſentientes (quod tu quoque apertè ſatis confiteris) poteſtatem vel cogendi

gendi nolentes, vel excommunicandi, tunc dediſſe credam, cum probatum teſtimonio ſcripturæ videro. Quod tum fiet, cum cœlum terra erit: terráq; cœli locum occupabit.

Negas deinde Synedrium, ius gladij habuiſſe, quod ſatis euidenter probaui. Quæ pro ſententia noſtra attulimus, amicos tuos opinionem ſuam mutare coëgerunt. Confitentur nunc nobiſcum contra te Synedrium legitimum fuiſſe Magiſtratum, & ius gladij poſſediſſe. Quę obijcis momenti nullius ſunt. Nullum dicis ad Romanorum Tribunal acceſſurum fuiſſe. At confutar.t te vel ſoli Publicani. Vt hoc ferre de his coacti ſunt Iudæi, ita & de alijs tulerunt, qui Publicanorum erant ſimiles. An ita aliquando legiſti cap. 18. Actorum? Non dabat offendiculum alijs, qui cum iniurioſo ſic prius expertus fuerat omnia, quomodo Chriſtus docuit. An non Chriſtum tradiderunt Pilato? Quî fieri potuerit, vt impunè Eccleſiam aliquis non audiret, ſupra expoſitum fuit.

De eiuſmodi peccatis dixi: Chriſtum agere, de quibus inter priuatos tranſigi poteſt: at de flagitijs priuati tranſigere non poſſunt. Item de illis, quę non pudeat reos confiteri coràm teſtibus: at flagitia nullus confitebitur. Has tu coniecturas dicis eſſe nimium infirmas: quia teneamur etiam grauiſsimas iniurias priuatis condonare. Quorſum hoc dicis? Ego non de iniurioſo loquor, qui ſemel fecit iniuriam, cuius eum deinde poeniteat: ſed de eo, qui iniurioſus eſſe pergit. An non mihi licet hanc à me iniuriam depellere? Cum dicis interpretationem meam locum habere non poſſe in iniurijs vltrò confeſsis apud teſtes, quid dicas, nec ipſe, puto, noſti: nec ego intelligo. Qui alteri facit iniuriam, putat plerumq; aut ſimulat ſe putare, ſe cauſam habere, cur faciat, quod facit. Proinde coràm teſtibus etiam fatebitur: quod certè non faceret, qui facinus perpetraſſet. An coniecturae tibi hæ ſunt? Certè ex verbis textus neceſſariò ſic deducuntur, vt quantumcunque coneris, negare tamen non poſsis. Et quibus ex rebus probabimus genuinum

alicuius

alicuius loci ſenſum hunc vel illum eſſe,ſi non ex verbis hoc modo colligamus? Refelle aliquid horum tu,ſi potes. Tertiam nihil ad rem facere cum dicis, non improbo.

Cap. III.

Refutatio interpretationis Bezæ verborum Chriſti: Dic Eccleſiæ.

SPeraui adhuc me in progreſſu ſcripti tui firmiora ac meliora inuenturum, ſed quo progredior longius tantò ſunt omnia imbecilliora & deteriora. Recitas hic neſcio quot argumenta, numerumq́; in margine notas, quæ non ſunt aliud, quàm imaginationes tuæ, alienę à verbis & mente Chriſti in hoc loco. Negas Chriſtum in his verbis, de quibus inter nos agimus, docere, quomodo priuatæ iniuriæ citra offenſionem ſiue ſcandalum proximi componi, tranſigi, aut amoueri debeant. At nos hoc ità probauimus in Theſibus primum, deinde etiam ſupra, vt non habeamus neceſſe metuere, vt refellas. Et quid opus eſt verbis in re tam plana? An non Petri interrogatio, deinde parabola ſubiecta, poſtea ipſa tractationis concluſio, demum etiam friuolæ & euanidæ tuæ reprehenſiones tam diſertè & tam manifeſtè hoc probant, vt negari à nullo veritatē quærente poſſit? Sed age videamus pręclara illa tua argumenta, quibus diuerſum oſtendere niteris.

Primum hoc eſt, Chriſtus hic non agit de priuatis iniurijs tranſigendis, ſed de offendiculis, quę quum incidunt, conſcientiæ noſtræ ſtatum perturbant: quoniam doctrina illa diuerſa ab hac eſt, & à Chriſto diſtinctè alibi traditur. Locum non adducis, niſi quod in 5. argumento inducis Chriſti verba Matth. 5. Si munus tuum detuleris ad altare &c. An hoc eſt probare apud te? Sic facilè quiduis probaueris. Eſto docuerit idem alibi etiam Chriſtus. An propte-

propterea hic docere non potuit? Nunquámne docuit aut expoſuit Chriſtus bis rem eandem? Non negabis quin praeceperit in hoc capite, vt alij alijs offenſas remittant. At quàm ſœpè idem hoc docuit ac iuſſit in alijs locis? cap. 5. Matth. docet nos quid facere debeamus, cum alios offendimus: nos hic autem docet, quomodo offenſi ab alijs gerere nos debeamus, ne offendiculo alicui ſimus.

Secundum eſt. Præcedentia & ſequentia declarant, de offendiculis hic agi, quibus Regnum Cœlorum interturbatur: non autem de ratione priuatas iniurias piè à ſe remouendi. Nego tibi vel antecedere vel conſequi aliquid verba haec, Si peccauerit frater tuus in te, quod tuam opinionem declaret atq; confirmet, noſtram autem ſententiam infirmet. Res planè contrario modo habet, vt omnes eruditi & pij, qui inſpicere locum volent, confitebuntur.

Tertium. Deſcribit loco tertio ordinem, quem ſeruare deceat, reuocandis in viam fratribus offendiculum alijs præbentibus, quod non ſit publicum, ſed vni cognitum. Nego tibi aliquid horum agere Chriſtum in hoc loco, niſi ex conſequente. Monet hoc capite primò & per ſe, vitanda eſſe ſcandula, ſiue vt nobis caueamus, ne alicui ſcandalum præbeamus: non autem quomodo eos, qui ſcandalum nobis præbent, tractemus, vt ex contextu liquet, maximè ex Petri interrogatione, ex Parabola, & ex concluſione. Non dicit Chriſtus, ſi ſcandalum prębentem non reduxeritis in viam: ſed dicit, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo, ex animo delicta eorum, idem vobis continget, quod ſeruo euênit, qui conſerui ſui miſereri noluit. Quanquam verò tu hanc partem à priore ſeparandam eſſe dicis, quaſi ad eam non pertineat: non tamen credere nos tibi vel poſſumus vel debemus, niſi prius probaueris: id quod in ſempiternum non perficies.

Quartum. Vnicum verbum, lucrefeciſti fratrem, confirmat de

mat de conſcientiæ ſalute, non autem de damno aliquo ciuiliter ſarciendo hic agi, Egregia verò ratiocinatio. Rogo te, cum quis fratrem iniurioſum arguit, atq; erroris ſui cõuincit, an non eum lucratus eſt Deo primùm, dum ad peccati ſui agnitionem ac poenitentiam perduxit? deinde etiam ſibi, dum ex hoſte amicum & beneuolum reddidit? An poteſt melior excogitari componendarum iniuriarum ratio? Quomodo igitur tu ex eo, quod fratrem lucratur, concludis, Chriſtum hic non agere de priuatarũ offenſarum Chriſtiana tranſactione? An quia conſcientia ſanatur, iniurioſus eſſe non deſinit? Imò amicus mihi fieri ex inimico nequit, priuſquam peccatum ſuum agnouerit odiſſéq; coeperit. Ideo dicit Chriſtus ἔλεγξον apud Matth. vt intelligamus eum erroris & iniquitatis conuincendum eſſe, vt eam agnoſcat ac deprecetur non apud nos tantum, ſed multò magis apud Deum. Hoc modo fratrem lucrefeciſti pariter & ſoluiſti. Si audire te nolit, hoc eſt, ſi ſe conuinci non patiatur & iniuſtitiam ſuam nec agnoſcat, nec deploret, ligatus ſic eſt, vt in coelo etiam ligatus ſit. Et hoc eſt, quod dicere volui, cum dixi, hoc lucrum idem valere quod remiſsionem, per quam reditur in gratiam: quæ poſtrema verba tu in tua reprehenſione non bene omiſiſti.

Quę præterea dicis hic, verba tua ſunt, eáq; inania, nullo aut ſcripturæ teſtimonio aut ex eadem deprompto argumento confirmata. Quocirca tam poſsum ac debeo ea facilè contemnere, quàm tu facilè auſus es dicere. In ſempiternũ non probabitis vel tu, vel omnes tui, duo hæc è Synagoga eijci, & velut Ethnicum ac Publicanum æſtimari, tantũdem ſignificare, ac Satanæ tradi. Aliud rurſus eſt, Anathema fieri. Aliud quoq; à communi victu arceri. Aliud ab his omnibus eſt, Excommunicari, ſiue ex viſibili Eccleſię ſocietate exturbari propter cauſam, de qua inter nos orta eſt diſceptatio. Si ſperas me omnibus expenſis tibi aſſenſurum, ſperas me aſino ſtupidiorem futurum.

Quintum argumentum, ſi rectè conieci, (Oedipus enim non ſum) hoc eſt; Chriſtus iubet non parentem Eccleſiæ

iudicio

iudicio haberi velut Ethnicum & Publicanum. At in foro conſcientiæ aliquem, vt Ethnicum habere, eſt ab eius congreſſu ita abſtinere, vt à commercio Ethnici, quibuſcum Iudæi nunquam ſacra conuiuia habuerunt. Ergo non agit hic de ratione componendi priuatas iniurias citra ſcandalum, ſed de offendiculis ex Eccleſia tollendis. Si voluiſſes ritè cõcludere, hoc concludere debebas: non eſſe cum eo ſacra conuiuia celebranda, qui iuſſus ſit pro Ethnico haberi. Primo loco falſum eſt, quod tanquam indubitatum ponis, Chriſtum hoc in loco iuſſiſſe non audientem Eccleſiam ab omnibus haberi velut Ethnicum. Nulla enim machina nulliſq; argumentis vnquam efficies, quicquid tandem tentes, vt hæc verba Chriſti, Sit tibi, idem ſignificare probes, ac ſi quis diceret, ſit Eccleſiæ toti talis, ſiue ſit à Sacramẽtis excluſus. Nam de vno, videlicet læſo, manifeſtè loquitur. Secundo falſum eſt, Chriſtum hic primò & per ſe agere de foro conſcientiæ: cum agat de modo, quo priuatas iniurias à nobis depellere abſq; ſcandalo poſſimus. Tertio falſũ eſt, velut Ethnicũ habere in prædicto loco tantũdẽ ſignificare, ac pro incircũciſo habere cui in templũ ingredi nefas eſſet.

Quando hic iubet Chriſtus Eccleſiam non audientem haberi velut Ethnicum & Publicanum, ab eo qui læſus fuerat, loquitur de re quapiam quæ communis vtriſq; eſſet, Ethnicis & Publicanis. Porrò conſtat Publicanis circumciſis licuiſſe in Templum venire, & per conſequens Sacrificijs ac ritibus alijs Diuinis intereſſe. Illud niſi tumetipſe nobiſcum fatereris, probare conarer. At Ethnico nihil horum licebat. Quare ſequitur, Chriſtum hic non loqui de amotione à Sacramentis, aut interdictione Templi. Quinimò ne quis verba Chriſti, ſit tibi velut Ethnicus, in alienum hunc ſenſum detorqueret, quod factum tamen eſt, adieciſſe videtur nomen Publicani, vt prius illud latius patens, velut coerceret & circumſcriberet. Deinde ne quis putaret non audientem Eccleſiam illam habendum ſimilem Ethnico in re qualibet, addidit vtriq; nomini, Ethnici & Publicani, articulum, ὁ, vt ſe oſtenderet loqui de quouis

Ethnico,

Ethnico,& quouis Publicano,qui in Iudęa tūc erāt, iniuriáq; Iudęos afficere poterāt,Dicit ergo, Sit tibi velut ille Ethnicus & ille Publican⁹,qui ſcilicet in Iudęa ſunt,tibiq; iniurij eſſe poſſunt.Hoc enim indicare nobis videtur repetitus articulus.Ergo quid erat cōmune Publicanis Iudæorū & Ethnicis ibidē agentibus,quod huic aptari cauſę queat? Nihil certè,niſi hoc,quod neutri facilè reſpōdebāt coràm alio magiſtratu,quàm Romano.De Ethnicis cōſtat: de Publicanis vix dubitatur.Quippe cum Romanorum eſſēt miniſtri, & quod agebant in detrimentum populi Iudaici facere viderentur, diſcerpti à Iudaeis fuiſſent, niſi Rom. potentia eos protexiſſet.Quod à Phariſęis,Scribis,& Sacerdotibus, qui tū pręerant rebus,nihil potuerint æqui expectare,nullus eſt qui ambigat; equidem ne quidem colloqui cum eis dignabantur:& Chriſtum atq; Apoſtolos hoc nomine accuſabant,quod eorū conſuetudinem non perinde vitarent.Quæ cū ſic habeāt,cōſtat te perperā hæc verba Chriſti exponere.

Reſpondes,ideo Publicanos ad Templū & Sacrificia admiſſos,quia ex lege non potuerint haberi exſecrabiles hoc nomine,quod redemptores eſſent Vectigalium: ac proinde Romanorū odio potius,quam ob aliud quicquam inſenſos eis Iudæos fuiſſe.Quoniam hęc tua(quæ retrò etiam à te dicta memini)conſentanea ſunt veritati & ſacris literis,ideo libenter admitto.Etenim quod hoc nomine,quod vectigalia redimerent,id eſt,quod Publicani eſſent, nulli exſecrabiles eſſe potuerint,ex 3. & 19. cap. Lucæ clarè patet.Equidem Chriſtus ἀρχιτελώνῃ Zachęo non imperat,vt Publicanus eſſe deſinat..Sic Iohannes ad ſe venientibus Publicanis non iubet officium deſerere,ſed hoc tantum mandat, ne vltra conſtitutum exigant.Sic nec is, qui in Templū aſcenderat precatū Luc.18.nec illi,qui Deū laudarunt ac iuſtificārunt Luc. 7.leguntur munere ſuo ſe abdicauiſſe, Quocirca dubiū non eſt,quin ſimul potuerit aliquis Publican⁹ eſſe ac religioſus. Quod porrò iniuſtè eos oderint Iudæi & ex iā dictis cernitur,& ex alijs prætereà colligitur. Quippe certū eſt multos Publicanos pios & religioſos fuiſſe.Qui ad Iohannē venerunt,vt baptizarentur, qualesquales antea fuerint,viri boni

poſtea

poſtea permanſerāt, vt ex cap. 7. & 15. Luc. apertè videmus. De principe eorū Zacheo, dubitandi cauſā nullā habemus. Ille quoq; cuius mentionē facit Luc. 18. cap. ipſiuſmet Chriſti teſtimonio iuſtior domū rediјt Phariſæo, qui ſe neq; rapacē, neq; iniuſtū, neq; adulterum gloriabatur. Itaq; dubium non eſt, quin iſti, aliiq; tales, non fuerint adeo mali, vt Iudæi merito eos poſſent odiſſe. Quamobrem vera eſt vtraq; pars reſponſionis tuæ: vnde ſic ratiocinabor.

Quiſquis nullo Diuino iure, nullò Dei mandato ac lege exſecrabilis, nulláq; iuſta de cauſa odio haberi potuit, is nullo vel iure vel præcepto Diuino potuit à Templo & ceremonijs ſacris prohiberi.

Cæterum Publicani ex lege non potuerunt haberi exſecrabiles, nec odij ſui aduerſus eos iuſtā cauſam habuerūt Iudęi.

Ergo Publicani, quoad tales erant ex lege pręceptóq; Dei nō potuerūt à Tēplo & cultu diuino ſubmoueri. Propoſitio certa eſt ac vera. Aſſūptio tua eſt, ſcripturiſq; ſanctis cōſona, vt oſtendi. In complexione nihil continetur, quod non ſit in præmiſſis expreſſè poſitū: nec in forma poteſt vitiū oſtendi. Ergo vera concluſione hac poſita, ſic deinde argumentabor.

Publicani ex mandato Dei non potuerunt repelli à Tēplo cultuq; diuino, vt ex poſitis à te demonſtratum eſt.

At qui Chriſtus dixit Eccleſiam, (de qua tunc loquebatur) non audientem, habendum velut Publicanum.

Ergo pro eo talē haberi voluit, qui iure ac lege nulla diuina poſſet à Sacramentis à Deo inſtitutis arceri. Quid hinc ſequatur vides, opinor, nempe te ſemel tota cauſa cecidiſſe. Verū excipies fortaſſe, nos Chriſti verba nō ritè exponere, eorūq; ſenſū talem eſſe dices. Qui Eccleſiā non audit, ſit tibi qualis Publicanus nūc eſt ipſis Phariſęis: hoc eſt, nō velle Dominū, vt eū habeam' ſicut Publicanū, ſed quales tūc habebātur vulgò à Iudęis Publicani. Putas enim omnes Publicanos bonos & malos à Phariſęis fuiſſe excluſos: in quo tamē, vt in pleriſq; alijs, modū nō tenuerint. Cauſā libēter dixiſſes fuiſſe ἀποστασίαν. Sed cū nō omnes apoſtatas fuiſſe videres (ex ſacris literis ne vnū quidē deſeruiſſe patriā religionē probabis, nedū pleroſq; aut multos) hāc adfers, quia Iudęis fuerint execrabiles: atq; hoc ſatis eſſe ad interp̄tationis tuę cōfirmationem.

Quoniam in eiuſmodi locutionum genere, inquis, non ſẽper quid iuſtè, quid moderatè fiat, ſed ſimpliciter interdum, quid fieri ſoleat attenditur. Ergóne ſatis magna cauſa fuit excluſionis odium etiam iniuſtum? Reſpondes, iure ipſos Iudęis fuiſſe exſecrabiles, his verbis. Iure tamen Publicanos non ſuperſtitioſis ſolum (à quibus minimè æquum eſt, vt Regulam temerè ſumamus) ſed etiam verè Religioſis fuiſſe abominandos, declarant etiam quærelæ veteres ipſorum Romanorum. Antequã hęc examinemus admonendus es breuiter conſtantiæ tuæ, quum tam turpiter in vnica pagina tibi contradicas; Supra dicebas, Romanorum odio potius, quam ob aliud quicquam offenſos habuiſſe Iudęos. Nunc dicis iure execrabiles pijs & impijs fuiſſe. Si propter rapinam & auaritiam iurè fuerunt abominandi, ob aliud ipſis fuerunt infenſi, quam ob Romanorum odium. Sed ad rem accedo ipſam.

Demonſtraui huc vſq;, nullum circumciſum iure Diuino potuiſſe arceri à Templo cultúq; Diuino, propter vitam inhoneſtam, ſed alia ratione voluiſſe Deum ſcelera coerceri. Ergo ſi maximè conſtaret, Phariſęos tale quippiam auſos fuiſſe tentare, contra & præter voluntatem pręceptumq́; Dei tentauiſſent. At abſurdum ſit credere, Chriſtum leges ſuis ferentem, quas omnibus deinde temporibus abſq; errore vellet obſeruari, hoc eos iuſsiſſe facere, quod Iudæos iniuſtè & contra pręſcriptum verbi Dei facere ſciebat. Si voluiſſet in preſente loco, in quo dicitis eum rẽ maximi momenti inſtituiſſe, hoc iubere, quod tu putas, nomine magis proprio fuiſſet vſus. Etenim Publicanus nullus, quatenus Publicanus eſſet, iuſtè aut per ſe potuit excludi, ſed tantum per accidens, hoc eſt, quatenus eſſet flagitioſus. Deinde non omnes erant vitioſi, vt oſtenſum eſt. Poſtremo non ſoli Publicani ex tua ſententia excludebantur, qui excommunicationem & è Synagoga eiectionem pro eadem re ponis. Quis ĩgitur præter te tuiq; ſimiles putet Chriſtum in re tam neceſſaria Eccleſiæ (quod vos dicitis) támq; exitioſa (quod res & hiſtoriæ probant) inſtituenda, magis voluiſſe attendere,

quid à perditiſſimis hypocritis contra praefinitionem Legis diuinae fieret, quàm quid iuſtè moderatéque ageretur? Regulam nos ſumere debere ais non à ſuperſtitioſis, ſed à Religioſis: & Chriſtum interim vis ab iniuſto iniuſtorum Phariſæorum facto poenam peccatoribus praeſcribere. Publicani nulli per ſe iniuſti erant, vt poſſent iuſtè excludi, nec omnes erant iniuſti, ſicut è contra etiam non omnes iniuſti ex ordine Publicanorũ erant, & nobis tamen vis perſuadere, Chriſtum nomine Publicani hoc in loco intellexiſſe iniuſtum ſeu Excommunicatum? Fruſtra laborabis dum firmiora non attuleris.

Falſum non minus eſt, Synedrium aut Phariſaeos Publicanis, quia Publicani eſſent, aut quia improbè licentérque vixiſſent, Templo & Sacrificijs interdixiſſe. Quomodò aut quibus hoc rationibus argumentiſq; probabis? Sacrae literę ſecus docent, vt ex hiſtoria Matthaei, Zachaeique colligimus. An reprehenſum à Iudaeis aut Phariſaeis aliquando legiſti Iohannem Publicanos ad ſe venientes vnà cum alijs baptizantem? Non neſciebant Iudaei baptiſmum Iohannis Sacramentum eſſe pœnitentiae, ipſo ſic docente. Quare ſi conſuetudo tunc fuiſſet Publicanos ad Sacramenta non admittẽdi, certè in Iohanne factũ hoc vituperaſſent cum alij, tum Phariſæi, praeſertim cum viderent eum neque increpare ipſos, quia Publicani eſsent, neque hortari vt munus ſuum desererent, ſed tantum monere, vt non plus exigerent quàm conſtitutum fuiſset. Murmurarunt quidam ex Phariſaeis quod Chriſtus cum Publicanis ederet. At non legimus eos murmurauiſse, quod ad Sacramenta & ad Templum venirent. Sanè Phariſaeus, qui Publicanum ſecum in Templo comprecantem vidit, neque Templum neque ſe exiſtimauit contaminari illius praeſentia, neque quod huc ingreſſus fuiſset reprehendit, tametſi quid de eo ſentiret, non diſsimularit. Tantum porrò abeſt, vt circumciſos à Templo & Sacrificijs Deo offerendis deterrerent Iudaei, vt etiam incircumciſos huc inuitarint: licet his non, vt illis, liceret in atrium interius Templi ingre-

O di.

di. Ego ſanè perſuaſus ſum, Sacerdotes, Leuitas, ac Templi Miniſtros, ſi maximè ipſis à Deo fuiſſet mandatum, vt ſcelere inquinatos arcerent, non fuiſſe tamen facturos. Cum enim ex Sacrificijs ipſi viuerent, proculdubio cupiebant omnes frequentes adeſſe, quo plus ipſi acciperent. Tanto ergo minus eſt credibile, ipſos, cum Legem hac de re nullam haberent, tale quippiam in animum induxiſſe.

Falſum denique illud quoque eſt Chriſtum iubere, vt Eccleſiam, de qua ibi ſermo ei fuit, non audientem offenſus pro tali reputet, pro qualibus Phariſaei rudiſque plebecula Publicanos tenebant. Non enim ſic loquitur Chriſtus, ſed hoc modo. Si iniurioſus Eccleſiam non volet audire, ſit tibi eo loco quo Publicanus tibi eſt, ſiuè puta ſic te cum eo poſſe agere, quomodo cũ Publicano te offendẽte ageres. Nõ certè dicit Chriſtus, Sit tibi talis qualis Publicanus eſt Phariſæis, aut alijs quibuſlibet: ſed ſimpliciter dicit, Sit tibi qualis Publicanus eſt, tibi nimirũ. Caeterũ conſtat Publicanos à Diſcipulis, cum quibus tum loquebatur Chriſtus, non habitos fuiſſe pro exſecrabilibus, aut facinoroſis, aut Excommunicatis, cum & Iohanni & Chriſto eos probari vidiſſent, frequenter cum eis viuerent, officium illud ſuum impium non eſſe ſcirent, in ſuo comitatu & ordine Matthaeum ſecum haberent. Nec alia mens fuit Religioſorum & piorum omnium, quicunque vel ſuapte natura intelligentes erant, vel Iohanne aut Chriſto Praeceptoribus vſi fuerant.

Ex praedictis omnibus patet, primum quidem id, cuius cauſa iſta praecipuè diximus, ſcilicet Publicani nomen in oratione Chriſti nullo prorſus pacto accipi poſſe pro Excommunicato aut facinoroſo, cum illi, quibuſcum loquebatur Chriſtus, Publicanos pro Excommunicatis & nefarijs neutiquam haberent, vt qui non modo ſcirent hoc, Publicanorum ſcilicet munus cum Moſaicis legibus non pugnare, verumetiam exploratum tenerent, multos in illo ordine honeſtos, caſtos, pios, & Religioſos exſiſtere. Deinde & illud patet, falſò te ſcripſiſſe, Publicanos iure abominandos fuiſſe non tantum ſuperſtitioſis ac prauis, ſed

etiam

etiam bonis & Religioſis. Si cauſam hi nullam habebant, cur eos abominarentur, (vt tu ſupra affirmabas) cur vt exſecrabiles odiſſent ipſe non video. Pugnat enim ſi quid aliud cum pietate hoc maximè, fratrem ſine cauſa odio proſequi.

Aequè abſurdi ſint, qui fortè putent, Chriſtum per nomē Publicani, non ſimpliciter Publicanos, ſed conſceleratos duntaxat voluiſſe ſignificare. Obſtant primum, quae hucvſque diſputata ſunt ferè omnia. Deinde quod eodem modo cogeremur dicere, eum non omnes Ethnicos in Iudaea agentes intellexiſse, ſed impuros, ſceleribuſque aſtrictos tantum. Eodem namque modo ait, Sit tibi velut Ethnicus, quo modo dicit, Sit tibi velut Publicanus. Conſtat autem eum de omnibus Ethnicis locutum. Quare ſimiliter de Publicanis ſimpliciter locutus exiſtimari debet, quod tu quoque rectè iudicas. Praeterea pugnat cum opinione hac, quod Chriſtus nulla omnino exceptione aut mentione bonorum aut malorum vtens, generatim dicit, Sit tibi velut Publicanus: quod certè nunquam feciſſet, ſi hac in parte diſcrimen aliquod ſtatuere voluiſset. Planius opinionis huius falſitas ex eo perſpicitur, quod articulum vtrique nomini praepoſuit Spiritusſanctus. Nam cum Praedicato appoſitus eſt articulus, ipſammet naturâ Prædicati, aut certè emphaſim quādam denotat. Non.n.idē prorſus ſignificant apud Gręcos hæ duæ Orationes: Petrus eſt ἄνθρωπος, & Petrus eſt ὁ ἄνθρωπος. Illa enim Petrum tantum ſignificat hominem eſse, haec ipſummet hominem eſse innuit. Sic cum dicimus, Voluptatem eſse ipſum bonum, τὸ ἀγαθὸν plus dicimus, quam ſi ſolummodo bonum dicamus eſse. Significat ergo hoc in loco vox ὁ τελώνης, Publicanum, quatenus eſt Publicanus, ac proinde generaliter ſumitur. Si negetur hoc, atque aliam Emphaſim contendatur ſignificare, non litigabo hac de re, cum in ipſa cauſa nihil inſit difficultatis: modo illud mihi concedatur, quod negari nulla ratione poterit, Emphaſim ſignificare, quae communis eſset Ethnicis & Publicanis. At communis

alia nulla poteſt eſſe ad hanc pertinens cauſam, in qua ratio docetur priuatas offenſiones abſque ſcandalo vitandi, quàm quod neutri alium agnoſcebāt Magiſtratū, quàm Romanū.

Ergò immotum nullaque ex parte labefactatū perſtat noſtrū illud argumentū, quo cauſa tua tota ſemel concidit. Niſi enim probes, velut Publicanū haberi, idem ſignificare, quod ſignificat à Sacramentis remoueri, incaſſū laboraueris. Locū certè alium in nouo Teſtamēto (in vetere nullū cōtineri per ſe manifeſtū eſt, ac in ſequentib' manifeſtius adhuc fiet) nullum potes indicare, in quo Deus veſtrā Excommunicationē inſtituerit, quam 18. cap. Matthaei, teſtib' omnibus amicis & praeceptoribus tuis, quos mihi videre audiréue contigit. In hoc autē cap. nihil eſt quod ſentētiam tuam probare poſſit, ſi non probet nomē Publicani. At hoc nihil probare, imò contrarium probare, demonſtratum eſt. Quare integrum permanet noſtrum argumentum.

Nulli Publicano circumciſo potuit iure Diuino Templum & ceremoniarum Diuinarum vſurpatio negari: nec vlli negata fuiſſe (propter cauſam eam, de qua nos inter nos diſputamus) oſtendi poteſt.

At Chriſtus Eccleſiam non audientem iubet haberi velut Publicanum.

Ergò iubet pro eo haberi, qui nec poſſit iure Diuino à Sacramentis à Deo ordinatis depelli, nec depulſus aliquando fuerit. Veſtra igitur Excommunicatio nil aliud eſt, quàm inane figmentū hominū imperare alijs cupientium. Miror vehementer cur refellere tentes, quod dixi, nec Matth. nec Zacchaeū, nec alios Publicanos, (imò nec Chriſtū nec Apoſtolos, quos in eodē cenſu cum Publicanis habebant, & peiores exiſtimabant) à Templo & Sacrificijs abactos fuiſſe, cū ſpontè fatearis, Publicanos à Phariſæis non fuiſſe prohibitos ab ingreſſu Tēpli, & orationib' in eo factis. Sed neceſſe eſt, vt, qui veritatē impugnat, ſibi ſæpè ſit contrarius. Duobus argumētis hic pugnas, Vnum eſt, non defuiſſe voluntatem, ſed poteſtate arcana Dei metúque populi cohibitos fuiſſe. Alterū, Iudæos à Romanis coactos in Tēplū paſſos eſſe

venire: at cum ipſis nunquam ſacrificaſſe. Niſi morem tuum noſſem, valdè mirarer adeo friuolas tuas ratiunculas. Quomodo probabis Phariſaeos voluntatem habuiſſe arcendi vel Publicanos vel Chriſtum à Sacramentis, cum nulla huius rei mentio fiat in Scripturis? Hanc fuiſſe cauſam, quod videlicet diuinitus ac metu etiam populi cohibiti fuerint, libenter crederem, ſi ſcriptura meminiſſet. Solet enim explicare propoſitum & conſilia Phariſaeorum, & cur, quod cupiebant, non conſequerentur, ſimul exponere: vt cum dicit, eos cogitaſſe de comprehendendo Chriſto, at propter metum populi non auſos fuiſſe. Huius autem rei nullum veſtigium inuenitur: cum conſtet eos apertis vlnis occaſionem talem amplexaturos fuiſſe, ſi Legis mandatum potuiſſent prætexere. Ergo ſomnium hoc eſſe dicemus, dum non probaueris.

Alterum aequè abſurdum eſt. Ita namque ſeruarunt Romani Iudæis ſuam in Religione libertatem, vt ne quidem ſigna militaria in vrbem inferrent. Et cùm clàm intuliſſet noctu Pilatus, coactus eſt iterum tollere. Dicam vno verbo. Nugas adfers. Non coëgerunt eos Praeſides Romani, vt Romanos intromitterent: ac coëgiſſe me vis credere, vt contra Legem Publicanos paterentur ingredi, quibus magis quam ipſis Romanis infenſos fuiſſe rectè affirmas. Quo loco deinde legiſti aliquem in Templum admiſsum eſse, & eundem Sacrificijs adeſse non potuiſse? Si hoc demonſtrabis alicui circumciſo negatū; cui illud eſset permiſsum, non iam te nihil omninò dixiſse affirmabo.

Poſt haec ad verba ligandi & ſoluendi deſcendis: in quorum interpretatione duo reprehendis: quod ea cuilibet laeſo accommodem: & quod idem ſignificare dicam, ac fratrem admonendo & ad pœnitentiam adducendo lucrari, vel inculpabilem reddere. Vtrumque tibi diſplicet. Soluere & ligare, inquis, verba ſunt iudicialia: ac proinde ſoli Publico miniſterio attributa reperiuntur: priuato nulli. Deinde non vſurpantur in eodem ſignificato, cum modò ſignificant promulgare peccatorum remiſſionem & retentionem,

modò verò iniurias condonare & inexcuſabilem quempiam reddere. Illud enim vnius Dei eſt: iſtud verò etiam noſtrum. Sed & iniuriam retinere neſcio, qui tandem pijs poſſit accommodari, praeſertim in cauſis priuatis. Summa eſt, verbis Ligandi & Soluendi ſolennem actionem ſemper ſignificari affirmas.

Velim te probatione aliqua docuiſſe, me perperam verba haec Chriſti priuatis omnibus accommodare, qui proximum ſuum rectè ex verbo Dei vel peccati coarguunt, vel in ſpem erigunt: aut ſcripturae teſtimonijs demonſtrauiſſe publico duntaxat Miniſterio ſemper attribui. Tibi certè abſque ſcripturis affirmanti credere non poſſum. Vis verum tibi dicam? Audacter affirmas & timidè probas: adeoque aliud nil fermè vbique agis, quam tibi ſumis, quod probare debebas. Hoc certè, quod hic aſſeris, nullo vnquam tempore probabis. Chriſtus 16. Matth. non ad ſolum Petrum illa verba dixit, ſed in perſona eius ad omnes illos, qui cum eo confitentur Chriſtũ filium eſſe Dei viui, & hanc confeſſionem alios docent. An non poteſt vnuſquiſque priuatus priuatum arguere & conſolari? Sed ſi docendo huc adduxerit aliquem, vt peccata ſua agnoſcat, & ex recta fide in Dei benignitate propter meritum Chriſti acquieſcat, an non ſolutus erit? Si fruſtra moneat ac doceat, annon maneat, qui ſic pertinaciter ſalutem repudiat, ligatus? Si non ſaepè priuati ligant ac ſoluunt, hoc ideo fit, quia vel imperiti ſunt, vel negligentes, praeſertim vbi Miniſtrorum adeſt facultas & copia.

Quod ſi etiam tibi largiremur, Chriſtum eo in loco verba praedicta ad ſolos Miniſtros dixiſſe, quod falſum eſſe tu quoque non ibis inficias, ſpero, nihil tamen ex eo praeſidij exſpectare poſſes. Etenim ſolis Miniſtris hoc liceret, alijs Presbyteris nullis, quod tu contendis falſum eſſe. Deinde nondum probauiſſes, eadem illa etiam in praeſenti loco non pertinere ad omnes priuatos. Equidem praeclarè demonſtraui, Chriſtum hic inſtituere nos, qua ratione iniurias nobis illatas pie à nobis depellere

poſſimus:

poſſimus: ex quo conſequitur, verba illa ad omnes pertinere, qui à fratribus laeduntur. Interrogatio Petri, tota ſequens parabola, Chriſti concluſio, antecedentia & media ſic probant, vt miror, ſi quis reperiatur, qui porrò negare velit. Non dicit Dominus, Si duo Presbyteri, vel duo Miniſtri conſentient: ſed ſi duo veſtrum, hoc eſt, duo mei diſcipuli ſiue Chriſtiani conſenſerint: quia ſcilicet hic non de Miniſtrorum, ſed priuatorum omnium officio diſſerit. Ergo poſſunt hic duo aut tres quilibet ligare & ſoluere: non ſoli Miniſtri, multò minus ſoli Preſbyteri. Imò ex vno hoc loco propemodum exciderunt Dominatu ſuo toto Presbyteri tui.

Non illud ſolum ex iam dictis liquet, verba illa Chriſti rectè priuatis omnibus, quoties ritè ex verbo Dei proximum arguunt aut ſolantur, accommodaſſe, verum & illud patet, non ſolis Miniſtris tribui. Et quid aliud eſt fratrem lucrifacere fibi ac Deo? aut quid aliud dicit Chriſtus, cum mox confirmat Patrem ſuum ratum habiturum in cœlis, quae in ipſius nomine duo inter ſe egerint? Certe ex veteribus & recentioribus plurimi aliter, quàm tu exponunt. Argumentum autem tuum, quia verba ſint Iudicialia, nihil concludit. Non enim quaecunque Iudicialia ſunt, ſoli Miniſterio conueniunt, vt nullus ignorat. Imò quia Iudicialia & forenſia dicis eſſe, ad Magiſtratum pertinere aſſeris: niſi demonſtres tempore Chriſti apud Iudaeos praeter forum Magiſtratus aliud fuiſſe forum, in quo publica de puniendis & coercendis improbis iudicia exercerentur. Hoc autem quando, quibus, aut vnde ſumptis argumentis oſtendes? Hic ergo, vt aliâs ſemper, conſiſtis. Tam verum illud etiam eſt, quod me ambiguè vti verbis iſtis aſſeris. Si argumentum meum attuliſſes in medium, non erat cur te nunc refutarem. In Theſibus igitur haec ſunt verba mea.

Cum eadem verba, & modus loquendi idem habeantur Matth. 16. & 18. cap. neceſſe eſt, vt ſi non prorſus

idem, ſimile tamen aliquid dicat Chriſtus. At ligare & ſoluere Matth. 16. ſignificant Euangelium annunciare, vt, qui ei credit, ſolutus ſit, qui non credit, inexcuſabilis redditus ſit. Proinde hic etiam non eſt aliud, quam fratrem orare, vt ab iniuria deſiſtat, indicando gratum hoc eſse Deo: quem, ſi ab incoepto nō deſiſtat, propitium habiturus non ſit. Cum etiam verba haec, Ligare & ſoluere, in totis ſacris literis, pro eo, quod eſt, à Sacramentis abiungere, vel ad eadem iterum admittere, nuſquam ſint poſita, miror plurimum, cur in hoc loco id ſignificare putentur. Summa eſt, nunquam probabitur Ligare idem eſse, quod Sacramentorum vſum negare, aut Soluere idem ſignificare, quod eorundem vſum rurſus concedere. Si fratrem, qui iniurius tibi eſt, voluntate atque ira Dei ex verbo eius propoſita ab inferenda iniuria deterrueris, lucratúſque ſic fueris, ſoluiſti: ſi non perſuaſeris, manet ira Dei ſuper eo, quemadmodum ſuper illo manet, vel non manet, qui auditae Euangelij praedicationi non credidit, vel credidit.

Ex hiſce manifeſtè perſpiciunt omnes, quae hic dicis, falſa eſse vniuerſa. Nam & priuatis conuenire poſſunt: & ſolis Miniſtris non competunt: nec ambiguè ſic vſus ſum iſtis verbis, quia ſumma ſit vtrobique ſimilitudo. Non ſignificant etiam ſemper ſolennem actionem, ſed priuatam quandoque. Sanè hic aliter exponi non poſsunt. Quippe vt non poteſt alius remittere debitum, quam creditor, ſic iniuriam remittere nullus poteſt alius, quam qui paſsus eſt. Valde velim te legere, quae in ſuis locis communibus de triplici remiſſione eruditiſſimè ſcripſit vir doctiſs. & ſanctiſs. D. Wolphgangus Muſculus. Intelligitur ex praedictis illud etiam, qui priuato conueniat ligare ſeu retinere iniuriam: & quo tu candore nobis talia obieceris. Remiſit nihilominus Paulus Iudaeis iniuriam, qua ab ipſis afficiebatur, etiamſi ad Caeſarem prouocaret. Hic de alia remittendi ratione ſermo eſt ab ea, qua remittimus in animis noſtris.

An non boni Miniſtri cum prædicando Chriſtum incredulos & præfractos ligant, ſimul etiam iniurias, ſi qua fortè ab ipſis affecti ſunt, remittunt? Longiſſimè differunt, iniuriam in animo remittere alicui, & cauere ſibi à futura iniuria ratione ac via licita: de qua hic differit Dominus. Reſponſum ſimul quoque eſt ſequentibus. Vides enim ligare & ſoluere hoc modo poſſe vnum & duos, & tres: ac proinde conuenire ea poſſe & primæ & ſecundæ admonitioni. Item non agi hic, vt in iudicio (dum adhuc inter priuatos agitur) vbi Iudex aliquis ſolenniter ſedet ſententiam dicturus, poſtquam accuſatorem ac reum audiuit.

Non ſpectant hæc verba ad generalem & quotidianam tantum verbi prædicationem, verum complectuntur etiam applicationem ad ſingulares perſonas, fateor: at nego hanc à ſolis Miniſtris, multò magis nego à ſolis Preſbyteris illis tuis fieri debere, quos ſcriptura non nouit: quod pro ſexto argumento attuliſti.

Septimum argumentum tuum eſt. Ligare eſt peccati & immunditiæ laqueis adhuc conſtrictum pronunciare: denique ex cœtu Iſraelitarum extrudere. Num. 19. Tu, quod ſæpè iam dixi, audaciſsimus es aſſertor, at timidiſſimus probator. De ceremoniale immunditia ſupra egimus: hic tantum monebo, ſententiam tuam ex hoc ipſo cap. confutari potuiſſe, ſi ex ceremonijs argumentari voluiſſemus. Sanè ſi eiectio immundi ſignificaſſet ligationem, etiam purificatio ſignificauiſſet abſolutionem. At purificari immundus à quouis mundo poterat, non à ſolis Sacerdotibus. Quare ſolui vnuſquiſque à priuato quolibet poſſet. Verum ad rem redeo. Nego tibi ligare hoc eſſe, quod tu dicis, ſiquidem hoc putes fieri oporteri per Preſbyteros tuos ſolenniter: & neges à priuato & Miniſtro quolibet poſſe fieri eo modo, quo dictum iam fuit. Si oſtenderis ἐκτριβήσεται & ἐξολοθρευθήσεται idem ſignificare ac pro incircumciſo haberi, & à Sacramentis depelli, concedemus te locum illum non ineptè produxiſſe. Sed haec

indè

vnde & ex quo authore probabis ? Apage cum iſtis nugis in re tanti momenti.

Octauum argumentum nititur ſomnio Iudaei cuiuſdam Eliæ Leuitæ. Ego neque ſacris literis, quod vnum diſputo, neque probatæ fidei hiſtoricis te oſtenſurum eſſe dico, Excluſionem à Sacramentis cultuque diuino vſurpatam fuiſſe Iudæis ex præſcripto Moſis aut Prophetarum in talibus de qualibus nos diſputamus. Scio Phariſæos multa perperam nouaſſe abſque Dei mandato: Scio etiam alios poſt euerſam vrbem & diſperſionem in omnes orbis terræ partes mirabilia confinxiſſe: & quibuſcunque potuerunt modis ſuos in obedientia retinere ſtuduiſſe. His ſi tu maiorem, quàm verbo Dei, fidem habes, inſanire te putabo. An non ineptus es, cum me vis credere, Chriſtum & Apoſtolum ad iſta Iudæorum poſteriorum deliria reſpexiſſe? Saltem hoc in mentem tibi venire debebat, quod Paulus in 2. Cor. 3. ſcribit Iudæos veteris Teſtamenti ac Moſis lectionem non intellexiſſe. In hunc vſque diem, cum Moſes legitur, τὸ κάλυμμα, inquit, cordibus eorum impoſitum hæret. Adde, quod hic Leuita tuus noſtra memoria mortuus primum eſt, cui tu me potius vis credere, quam ſeptuaginta Interpretibus. Probabilitatis ſpeciem habuiſſet, ſi ex Ioſepho, qui ex Sacerdotum genere, atque ideo rituum Iudaicorum, qui ante & poſt Chriſti ætatem ad excidium vrbis vſque vſurpati fuerunt, ſcientiſſimus fuit, aliquid in medium attuliſſes. Cur non feceris, nota cauſa eſt: quia nihil apud eum reperiſti, quod non pugnaret cum ſententia tua. Cum ſeptuaginta Interpret. conuenit Onkelus interpres Chaldæus, qui ita Chaldaicè reddit iſta, vt ipſe in ſuo Methurgman Elias tuus, vocem, qua is vſus eſt, Excidium internecionémue ſignificare prodiderit: qua de re nuper, cum eius Leuitæ mentio fieret, me amicus meus linguarum peritiſſimus, & cui de ἀγεωμετρησία Eliæ tui ſatis conſtaret, certiorem fecit. An non [illegible] te pudet

te pudet harum ineptiarum, in re tanta?

Mirabar, niſi hoc etiam ſugillares, quod dixi, Chriſtum formam Diſciplinæ veſtræ mancam propoſuiſſe, ſi, quod vos vultis, inſtitutum habuerit. Dixi autem hoc, vt eum nihil noui inſtituiſſe docerem: quod cum tu quoque ſentias, cur hic reprehendas iſtam meam rationem non video. Attamen videamus quid contra adferas. Multa de Methodis, Definitione, Partitione, &c. dicis: ac nimium tibi indulges. Chriſtus quoties noui aliquid inſtituit, ſubſtantiale nihil omiſit: tametſi non per talem Methodum propoſuerit, vt primum Logicè definiret, deinde partiretur, poſtmodum cauſas, conſequentia, cognata &c. adferret. Ritum cœnæ atque Baptiſmi inſtituit, & ſubſtantiæ partem nullam omiſit: Idem vos hic factum docere non poteſtis, cum eum de priuatis & occultis ſolum peccatis, ſiue de quotidianis delictis, vt alij vocant, agere confiteamini: Excommunicatio autem non hiſce, ſed publicis propriè ſecundum vos infligatur. Si dixi vos verbum arguendi exponere per vocem Excommunicandi, fateor me erraſſe. At non recordor me dixiſſe. Dixi quidem, ſic non poſſe exponi, atque ideo ad excommunicationem nihil facere: non autem dixi, quod ſciam, vos ſic exponere.

Ex hoc quoque probari poſſe dixi, Chriſtum verba ligandi & ſoluendi priuatis tribuere, quia ſcribatur dixiſſe, πάλιν λέγω ὑμῖν, iterum dico vobis. Conſtat autem eum ſupra nihil de duobus dixiſſe, niſi cum priuatum à priuato arguendum lucrandumque dixit, hoc ergo nunc repetit. Tu reſpondes trifariam, pro tuo more. Primum ſignificare hoc aduerbium, aliquando, repetitam actionem: At non oſtendis hîc ſignificare. Syllabas me aucupari ſtomachoſè ſcribis, quod ego vltrò fateor, cum ex ſyllabis & dictiones & orationes conficiantur. Ego abſque ſyllabarum diligente animaduerſione nihil poſſum ſolidi intelligere. Scio etiam ex vnius ſyllabæ adiectione vel detractione

mirabi-

mirabiliter orationis ſenſum mutari poſſe. Aucupor ergo ſyllabas ego, vt genuinam verborum Chriſti mentem vener, dum tu ſomnia tua captas, neglectis ſyllabis. Dicis ſecundo, etiamſi ita ſit, vt ad mutuam conſenſionem haec & ſuperiora ſpectent, non tamen ſequi, vt de priuatis negotijs vel iſta vel ſuperiora, vel vtraque intelligantur. Vellem te audire cum ſcripturis loquentem. Iam enim abundè ſum edoctus quam facilè quiduis affirmes, & nihil probes. Ego non dixi tantum, ſed probaui: adeoque ſic probaui, vt fruſtra tu labefactare conatus adhuc fueris.

Tertio dicis, confirmationem eſſe à comparatis hoc modo: Si duorum conſentientium preces non ſunt irritæ, an irritas cenſebimus Synedrij conſentientis preces? Nihil te iuuat hoc etiam effugium. Etenim niſi concedas eum prius ſenſiſſe ac dixiſſe duorum conſenſum in rem aliquam à Deo petendam ratam haberi, non potuiſſet dicere, dico iterum. Hoc ſi concedis, à comparatis valebit argumentum. Nam ſi non ſeruetur res eadem in vtroque extremo, vana erit comparatio. Qui ſic ratiocinatur: Si puer hæc intelligit, an non adultos eruditoſque intelligere eadem par eſt? rectè colligit, quia pueros etiam ponit intelligere. At ſi hoc modo argumentaretur: Si puer intelligit, adultum quis neget eſſe opulentum & bonum? Meritò rideretur: quia medium ſeu rem ſubiectam mutaret. Cum ergo dicis, Si duorum conſenſum probat Deus, multò magis Synedrij probabit conſenſum, nihil concludes, niſi de eadem re vtrobique ſic loquaris: Si, quæ duo aut tres ligant ac ſoluunt, Deus rata habet, quomodo irritum ab eo haberi cenſebimus, ſi Synedrium liget ac ſoluat? Saltem hic vides, ſpero, quomodo tuo tibi gladio iugulum traijcias.

Poſtremò conaris reſpondere ad teſtimonia Theophylacti & Auguſtini: quos ego hic non defenderem, ſi non tua refutatione tu ſententiam noſtram, vt ſæpè iam feciſti,

ſti, egregiè confirmares. Sed præſtat primum verba horum authorũ, deinde accuſationem tuam apponere. Theophylactus compilator Chryſoſtomi in hunc locum inter alia ſic ſcribit. Si tu offenſus habes eum, qui te iniuria affecit, ſicut Publicanum & Gentilem, erit ille & in cœlo talis. Si autem ſolueris eum, hoc eſt, ignoueris: erit ei & in cœlo condonatum. Non enim ſolum, quæ ſoluunt ſacerdotes, ſunt ſoluta: ſed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus vel ſoluimus, & ipſa erunt ligata & ſoluta. Hæc probant, hanc Chriſti concionem à veteribus quoque de priuatis iniurijs acceptam expoſitamq́; fuiſſe. Non eſt dubium, quin idem ſenſerit ac ſcripſerit Chryſoſtomus, cuius vbiq; ſcripta hic author in compendium contraxit. Auguſtinus de verbis Domini ſuper Matthæum ſermone 16. hæc habet. Cœpiſti habere fratrem tuum tanquam Publicanum, ligas illum in terra: ſed vt iuſtè alliges vide. Nam iniuſta vincula diſrumpit iuſticia. Cum autem correxeris & concordaueris cum fratre tuo, ſoluiſti eum in terra. Cum ſolueris in terra, ſolutus erit in cœlo. Ex his teſtimonijs ſatis apparet, ne Veteres quidem non vidiſſe locum hunc de priuatis agere iniurijs, etſi aliàs non videantur ſatis appoſitè expoſuiſſe.

Ad hæc quid tu reſpondes? Concedimus Auguſtinum in illo ſermone, inquis, ad priuatam reconciliationem trahere iſtam ligandi & ſoluendi poteſtatem: ſed præſuppoſito Eccleſiæ iudicio. Addis hoc etiam: eum in ſuis concionibus non ſemper ſummam rationem habuiſſe propriæ alicuius loci interpretationis. Alibi autem rectius & magis appoſitè ſcripſiſſe. Ad Theophylactum idem reſpondes, ſcilicet Ligare & Soluere priuatos præeunti iudicio Synedrij ſubſcribentes.

Ego non affirmaui Auguſtinum ſemper expoſuiſſe verba Chriſti vno modo. Quoniam ergo aliàs aliter expoſuit, patet in vnis ſacris literis nobis eſſe acquieſcendum. Ex ipſis verbis & orationis contextu, ex propoſito, ex antecedentibus, & conſequentibus meam expoſitionem probaui, &

tuam

tuam refutaui. Conſtat autem rectam veramque meam eſſe, non ob eam cauſam tantum quia ex ipſis verbis Chriſti probata eſt, verumetiam quia neque tu neque alij refellere eam adhuc potuiſtis. Auguſtini & Theophylacti verba addidi, non ad probandum, ſed ad oſtendendum veteres etiam aliquando in veritatem hoc in loco intuitos eſſe.

Quod dicis eos conceſſiſſe hoc priuatis, ſuppoſito iudicio Synedrij, de tuo aſſuis. An oblitus es Presbyteros tales nullos fuiſſe tempore Ambroſij & Auguſtini? Veruntamen ſcire ex te velim, quomodo non cogeretur vnuſquiſq; pro ſoluto ligatoque habere, quem iam antè abs Synedrio, cui nefas ſit contradicere, ligatum & ſolutum nouiſſet? Loquuntur illi de Ligatione & ſolutione, quæ in prima & ſecunda admonitione contingere poterat: antequam ad Eccleſiam cauſa perlata fuiſſet. Quippe res ipſa nos docet, quod & ſupra declaraui, potuiſſe iniuria affectum in prima vel ſecunda admonitione ſubſiſtere: atque iniuriam potius ferre, quam publicare. Poterant igitur ſecundum hos authores priuati etiam Ligare & Soluere: & poterat nihilominus Eccleſia etiam Ligare & Soluere: ſi ad eam cauſa deferretur. Non pugnant hæc inter ſe vllo modo. Quare vides ex horum quoq; ſententia falſam eſſe tuam opinionem: cum priuatis verba hæc Chriſti conuenire negas.

Chriſtum dicis, cum Math. 7. vetet Sanctum dare canibus, & Margaritas obijcere porcis, de Sacramentis potius fuiſſe locutum, quàm de ſolo ſimplici verbo. Dominus enim non deſiitit, inquis, vitam offerre Phariſeis & Sadducæis, quibus nulli alij magis porci fuerunt. Mirarer te hoc adducere, ſi non ſolitus eſſes teipſum oppugnare. An enim vetuit Phariſæis Sacramentorum vſum Chriſtus? Si & Sacramenta conceſſit, & verbum non negauit, non pro his porcis habuit, de quibus hic loquitur. Nam aliter contra ſuum mandatum videri poſſet feciſſe. Loquitur Chriſtus de calcantibus Margaritas, & de laniantibus Sanctum offerentes: de quibus Matth. 10. etiam eſt locutus, cum excuſſo pedum puluere deſerendos eſſe tales

præcepit.

præcepit. Hi non poſſunt alij eſſe, quam doctrinæ hoſtes & perſecutores: quicquid tu tuique ſimiles dicant. Nec aliud tu quodam loco publicè ſcribis. Verba tua ſunt hæc. Paſtori danda eſt opera, vt canes & porcos, id eſt, manifeſtos pietatis hoſtes, diſtinguat. Quis porrò neget Sacramenta neganda doctrinam pertinaciter repudiantibus & deridentibus? Non dixi ego de ſolo verbo Chriſtum hic agere: (Nam & Sacramenta comprehendi ſub τῦ ἁγίυ nomine concedo) ſed de verbo præcipuè eum hic agere ſcripſi: quod fruſtra tu negas. Qui membra externæ volunt Eccleſiæ videri, illi non calcabunt Sacramenta, nec offerentem laniare tentabunt. Et ſi quis talis reperiatur, hunc ego admittendum minimè cenſeo. Sermo noſter de illis eſt, qui crimen agnoſcunt & confitentur: qui emendationem promittunt: qui Sacramentis rectè cum cæteris vti, quantum iudicare nos poſſumus, deſiderant. Hæc ſi à me dicta legiſti, quo animo audes ex me quęrere an ſceleratum, qui ſe criminis pœnitere neget, ab eoq; deſiſtere nolle affirmet, admittendum cenſeam? Si non legiſti, qui negligentem te fuiſſe negabis?

Miror cur non Apoſtolum Petrum potius citâris, quam Auguſtinum, vt porcos eſſe oſtenderes etiam improbè viuentes: ſicut alii obiecerunt. Quod hiſce reſpondi, etiam tibi reſpondeo: non omnes facinoroſos eiuſdem eſſe generis, modi, & qualitatis: nec eſſe neceſſe, vt Chriſtus in præſenti loco de quibuſlibet porcis, vel de ijſdem locutus ſit cum Petro. Quanquam ne hoc quidem dicat Apoſtolus. Hoc dicit, tale quid accidere ijs, qui ab agnita veritate relabuntur ad voluptates moreſque huius ſeculi, quale lotæ ſui contingit, quæ mox in luto iterum voluitur. Concedimus tibi libenter, etiam abſq; Patrum authoritate ſeu teſtimonijs porcos appellari poſſe etiam Eccleſiæ prius inſertos. Concedimus & illud, ſi tales fiant porci quales ſunt, de quibus hic loquitur Chriſtus, neganda ipſis eſſe verbum & Sacramenta. At non omnes porci tales ſunt. Summa eſt Chriſtus hic loquitur de

de calcantibus Margaritas & Sanctum repudiantibus, ac præter hæc offerentes diſcerpere volentibus: nos autem de longè alijs diſſerimus.

Ex diſcrimine verbi & Sacramentorum, quod hic adfers (atque ego probo) alij quidem carpere voluerunt, quod dixi, verbũ non eſſe vilius & indignius Sacramentis, ideoq; cum ab illo facinoroſi non abſterreantur, ne ab his quidem eoſdem eſſe repellendos, ſi quando intus admoniti vſurpare ea cupiant. Non eadem, aiunt, eſt verbi & Sacramentorum ratio: quoniam illud infidelibus etiam, hæc duntaxat conuerſis deſtinata ſunt. Libenter illis do, verbum eſſe omnibus commune etiam impijs & infidelibus, vt eo tanquam tuba vocentur omnes ad Regni cœleſtis poſſeſſionem, & diuinæ beneficentiæ agnitionem. Nos non de illis, qui extra Eccleſiam ſunt viſibilem loquimur, ſed de illis ſolis diſſerimus, qui baptizati ſunt: qui ſe Chriſtianos volunt nominari: qui errores peccataque ſua agnoſcunt: qui cum cæteris Chriſtianis celebrare mortem Domini, ſuamq; fidem teſtatam Eccleſiæ facere cupiunt. Hos dicimus admonitos à Miniſtro, ſi accedere velint, Presbyterorum quorundam iudicio non eſſe arcendos. Hoc illud eſt, quod in ſcripturis præceptum negamus. Hoc eſt, quod probari nobis volumus: nempe non debere ad Sacramenta illos admitti, qui viſibili Eccleſiæ inſerti, inque ea educati ſunt, ac doctrinam eiuſdem palàm approbant, & Sacramentis vti cum cæteris deſiderant. His nos dicimus tàm non poſſe Sacramenta negari in externa hac Eccleſiæ politia, quàm non poteſt eis verbum negari: quod neque dignitate, neque ſanctitate, neque vſu cedit Sacramentis.

Quæ de Iſmaeli & Eſau adfers, ea ſi noſtro propoſito ritè ſic accommodabis, vt contrarium eius, quod nos diximus, demonſtrent, eris mihi meritò, non magnus modo, ſed etiam maximus, Apollo. Cum malos bonis res bonas polluere negas, rectè facis: ac nos aduerſus te iſta non diximus, ſed contra illos, qui affirmarunt.

Sunt

Sunt enim apud nos complures qui dicunt ſe bona conſcientia non poſſe Sacramentis vti cum alijs quibuſdam ipſis multò melioribus: quantum quidem iudicare ego de vtriſq; poſſum; Cum nos ſic argumentatos dicis, Non polluuntur boni à malis in Cœnæ participatione, Ergo mali non ſunt à Cœna prohibendi, dicis quod nos nullibi diximus. An idem dicit, qui errare affirmat putantes bonos à malis pollui in vſu eorundem Sacramentorum? &, qui malos ideo non arcendos à Cœna aſſerit, vt bonos non contaminent? Contra illos tunc ſcripſi, qui ſic ſolent ratiocinari: Hic peccator accedit ad menſam Domini: Ergo ſi ipſe etiam acceſſero, particeps ero peccatorum ipſius: Item, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Ergo qui Cœnam Domini vſurpat cum malis, iugum ducit cum talibus, & participem ſe facit ſcelerum illorum. Item, mali polluunt bonos: Ergo mali ſunt arcendi à Sacramentis. Hos dum non rectè colligere dico, quod non veram ſumant cauſam, tu me contrarium voluiſſe concludere opinaris.

Videamus iam tuum argumentum. Mali ſibi-ipſis (non alijs) polluunt Cœnam: Ergo ab eius vſu per delectos Presbyteros, lata ſuper hac re publica ſententia, arcendi ſunt. Vnde probabis hanc conſecutionem? imò vero vnde probabis conſequentis veritaté, etiamſi conſecutionem tibi largiremur? Si bona eſt conſecutio tua, neceſſe eſt, vt concedas nobis, malos neq; legere neq; audire ſacras literas debere: nec ferendum, vt Deo agant gratias, vt nomen eius inuocét: vt orent: vt præſtent Eleemoſynam: deniq; vt aliquid eorum faciant, quæ aliàs bona ſunt, quoad externa ſunt. Quippe omnia hæc, & quicquid omninò faciunt, dicũt, cogitant, ipſi ſibi polluunt: & apud Deum peccata ſunt vniuerſa. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum eſt apud Deum: ſed non in oculis hominum. Peccata autem adferunt iudicium & damnationem. An tu me feras ſic argumentantem? Atqui ſic tu argumentaris. Nam propoſitionem te facere oportet generalem: Vnuſquiſque eſt ar-

cendus ab eo, quod ſibi polluit. Hæc ſi falſa ſit, mandatum te adferre oportebit ſpeciale de Sacramentis. Hoc autem vbi ſcriptum reperiſti? Non ſunt abſterrendi à Sacramentis participare cupientes, ſed monendi vt dignè, quomodo Chriſtus iuſsit, participent: ſicut nulli interdicendum eſt precibus, ſed inſtituendi ſunt, vt rectè ex fide precentur: ne aliter precando peccent. Porrò quomodo conſequens probabis? Vbi eſt ſcriptum de Presbyteris illis cenſoribus tuis? Nuſquam. Paſtores cauere pro viribus debent, ne quis ſibi Coenam & res ſacras polluat; fateor: At debent illis modis, quos ſcriptura probat, cauere: non quos ipſi ſibi finxerunt. Cum ſuo munere perfuncti ſunt, extra culpam ipſi erunt. Ezech. 33. Sic Apoſtolus egit in 1. ad Corinth. Cap. 11. Rurſus vides iniuſtè meá à te carpi: iuſtè autem tua à me refutari.

Ad hiſtoriam Simonis Magi ſupra reſpondi. Fuit illa manuum impoſitio Sacramentum donorum Spiritus ſancti: non commune Sacramentum erat omnium. Quod tu probabile dicis eſſe, hoc nos probabile eſſe tantiſper negabimus, dum ex ſacris literis probaueris. Quomodo enim ſequitur: Petrus negabit Simonem participem eſſe donorum, quæ argento emere volebat, & quæ non erant omnium Chriſtianorum communia: Ergo ſi pœnitentiam peccati profeſſus fuiſſet, ne ad illa quidem Sacramenta fuiſſet admiſſus, quæ communia omnibus erant? Aduerſarij mei, tui autem ſocij, contendunt nullum excommunicari poſſe, præterquam obſtinatos & peruicaces, quorumque crimen publicè notum ſit. Cæterum Simon (vt facinus eius notum fuerit pluribus) non fuit ante præmonitus: nec pertinax iudicari tunc potuit, quando primum admonitus fuit. Petrus certè non dicit eum pertinaciter egiſſe, verum grauiter peccauiſſe indicat, & ad pœnitentiā tunc primum hortatur. Quod ſi pœnitentiam non acturum vidit, Spiritu Sancto docente cognouit. Adijcis deinde Pauli diſceſſionem à rebellibus Iudæis, iuxta mandatum Chriſti Matth. 10. vt vbique tui maneas ſimilis. Diſceſſit Apoſtolus à no-

lentibus.

lentibus audire verbum Dei, ſiue ab illis canibus & porcis, de quibus Matth. 7. Chriſtus pręceperat: nos autem de inſertis in Eccleſiam & peccata ſua vltrò cõfitentibus, atque emendationem publicè pollicentibus, Sacramentaque appetentibus loquimur. Quid inter hos ſimile eſt? Hoc tibi (dicam iterum, poſtquam toties iam dixi) probandum noris: illum admitti ad Sacramenta non debere, qui crimen commiſerit quidem, ſed palàm fateatur ſe pœnitere, & meliora cogitare, priuſquàm Presbyteris quibuſdam videatur reſipiſcentię ſuæ documenta ſatis magna dediſſe.

Cap. IIII.

Defenſio veræ interpretationis loci 1. ad Corinth. Cap. 5.

Quoniam præcipua excommunicationis veſtræ fundamenta duo ſunt, videlicet Cap. 18. Matth. de quo ante egimus, & exemplum Corinthij, quem Apoſtolus decreuerat Satanæ tradere, operæprecium erit, vt, quæ de hoc loco dicis, pari diligentia examinemus. Ergo in loci propoſiti defenſione illa primum, (ordinem tuum ſequentes) expendemus, quæ contra argumenta noſtra adfers. Deinde interpretationem tuam ponderabimus. Velim autem te in reprehendendo potius Theſes noſtras ſecutum fuiſſe, quàm ſcriptum illud, quod mihi ſoli magis, quàm alijs vllis conſcripſeram. Sic enim ordo fuiſſet melior, & argumenta clariora. Sed poſtquam tibi aliter viſum eſt, ſequemur te, quocunque ducis; Lector prudens & diligens cum Theſibus facilè conferet.

Argumentum primum tuum ex ſcripto iam nominato hoc adfers. Apoſtolus contra & ſine mandato Chriſti nihil fecit: Iam verò oſtenſum eſt,

 Chriſtum

Chriſtum neminem, ne Iudam quidem excluſiſse. Volui aſsumptionem ponere hanc. At Chriſtus nec verbo iuſſit aliquem excludi, nec ipſe aliquem excluſit: ſed contrarium potius egit, nempe Iudam admiſit. Hanc, inquam, aſſumptionem volui propoſitioni ſubtexere: ſed in eo ſcripto neglexi. At in Theſibus ſatis apertè poſui (vt etiam alia complecterer) his verbis. Apoſtolus contra Leges Moſis de Sacramentis, quas Chriſtus non ſuſtulit, nihil vnquam vel dixit vel fecit: ſed fuit cum cæteris Apoſtolis patriarum legum obſeruantiſſimus. Chriſtus autem legem de Paſchate celebrando, in cuius locum ſuam coenam ſubſtituit, pro ea parte, qua iubet omnes celebrare, non mutauit, vt abunde ſupra declaratum fuit. Paulus ergo nec hunc, qui inceſtum fecerat, nec alium à Coena Domini arcuit. Ad hæc debebas reſpondere tu: & oſtendere, Chriſtum mutauiſse Legem Moſis pro ea parte: vel aliter feciſse: aut ſaltem Apoſtolos facere aliter feciſse. Fruſtra, crede mihi, latebras iſtas quæris. Dicis te de Iuda, imò etiam de hac re tota abundè ſupra dixiſse. Ego verò fateor te nimis multa dixiſse: at nihil veri dixiſse aſsero: iudiciumque huius rei Eccleſiæ, eruditiſque omnibus permitto.

Deinde cum ſcripſi: Non hoc dixit Apoſtolus, cur non interdixiſtis huic vſu Sacramentorum? ſed, cur non luxiſtis? id eſt, expoſitore Auguſtino, cur non luctu & precibus veſtris à Deo impetraſtis huius hominis ſublationem è medio veſtri? Reſpondes tripliciter. Primo, debuiſse Auguſtinum illud, vt tolleretur, ad Corinthios potius quàm ad Deum referre: cum alioqui parata eis fuiſset exceptio: luximus quidem, ſed Deus eum non ſuſtulit. Secundo, tum demum fuiſset precandus Deus aduerſus talem, poſtquam excommunicationem tandem fuiſsent experti. Tertio non dicit Auguſtinus lugendum fuiſse, vt iſte tolleretur, ſed vt iſtud opus tolleretur.

Quis non videat leuiora eſse iſta, quam vt argumento ſatisfaciant? Auguſtinus ideo Corinthijs hoc non tribuit,

quia ſciebat ipſorum non eſſe aliquem è medio tollere, vt qui carerent Magiſtratu: ſed petendum hoc à Deo eſſe. Quodſi excepiſſent, ſe luxiſſe, non habuiſſet cauſam Apoſtolus eos accuſandi. Cum autem reprehenderet hoc nomine ſciebat eos non feciſſe: nec voluerunt illi mendacio ſe excuſare, vt tu eos doces. Porrò ſciendum hic eſt, non ſolum Auguſtinum hunc luctum ſic exponere, verumetiam alios pleroſque ex veteribus Graecis. Nam Theophylactus & Oecumenius, qui veterum Graecorum ſcripta redegerunt in compendia, eodem prorſus modo exponunt. Quando precandus fuerit Deus aduerſus iſtum hominem, indicat Apoſtolus. Non dicit Paulus, cur non prius tentaſtis omnia alia, & tandem Excommunicaſtis eum? & ſi ne ſic quidem proficeretis, cur non tunc luxiſtis, vt è medio tolleretur? Nulla talium facta mentione reprehendit, quod non luxerint: vnde patet ſecundam quoque reſponſionem euanidam & à mente ac verbis Apoſtoli alienam eſſe. Tertio non modo vana eſt, ſed etiam ridicula: praeſertim Pauli interrogationem conſiderantibus. Non enim queritur Paulus, quod non luxerint vt hoc opus tolleretur, ſed de homine, qui ſcelus perpetrauerat, diſertè loquitur. Et cum monui Auguſtinum quae de luctu. 12. cap. 2. Cor. dicit Apoſtolus, eodem modo explicare, non erat difficile videre, quae mens eius fuerit. An oblitus es, quae is de hac re ſcripſit lib. 2. Retractationum ſuarum. Cap. 17? Relege igitur, vt negligentiam tuam perſpicias & accuſes. Lege etiam quę de hac re lib. 3. Cap. 2. aduerſus Epiſt. Parmen. Item lib. 5. Quaeſt. 39. in Deuteron. & quam ſis infoelix argutator intelliges. Rurſus ergo infoeliciter, vt ſemper adhuc, nos oppugnas. Summatim dicam, probare te oportebit, ſi aliquid hic contra nos voles adferre, lugere vt aliquis tollatur è medio aliquorum, idem eſſe, ac eundem illum à Sacramentis arcere per Miniſtros & Seniores veſtros.

Tertio reprehendis quod dixi, miſerum illum nihil videri à Corinthijs paſſum, quàm ἐπιτιμίαν: Etenim cum Paulus eum in 2. Epiſtola abſoluat à tota pœna: nec mentionem alius faciat, quam τῆς ἐπιτιμίας à pluribus profectæ: liquet ab eis nihil dum aliud inflictum ei fuiſſe. Reſpondes primum, ἐπιτιμίαν ſcribi, non ἐπιτίμησιν. Deinde quia hoc te nihil efficere vides, addis Excommunicationem non fieri ſine duriſſima obiurgatione. Tertio, non eſſe de hoc laborandum, cum iuſſerit Satanæ tradere, quicquid Corinthij fecerint. Omnibus iſtis non ſoluis argumentum, quod probat miſerum illum non fuiſſe excluſum à Sacramentis, ſed tantum duriter obiurgatum à Corinthijs. Siue excommunicatio fit cum obiurgatione, ſiue abſque ea, dicit Apoſtolus huic ἐπιτιμίαν ſufficere, alia pœna porrò non eſſe afficiendum: ſed hanc ipſam cõuertendam eſſe in τῆς ἀγάπης κύρωσιν. Quid tradere Satanæ ſit exponam, cum occaſionem tu nobis dabis.

Reprehendis deinde, quod dixi, miſerum illum non videri perſeuerauiſſe in ſcelere: nec ita iuſſum à Paulo caſtigari, vt qui adhuc peccaret, ſed ſicut Magiſtratus ſolent ſceleratos punire, etiam poſtquam ſceleratè agere deſierunt. Probaui ex eo, quod bis ſcribitur à Paulo, eum patrauiſſe, non autem patrare illud ſcelus. Reſpondes, hæc non ad continuationem ſcortatoris, ſed ad ipſum factum referri, quod in ſuum contubernium nouercam recepiſſet. Docere hoc Paulum, qui initio capitis non ſcribat, γυναῖκα ἐσχηκέναι, ſed γυναῖκα ἔχειν. Mox ipſum Apoſtolum amarè inſectaris, ſi quidem illum qui iam peccare deſijſſet, Satanæ voluiſſet tradi.

Parum certè ſolicitus hic ſum, quid quiſque credat, tantum dixi videri poſſe. Tua interim argumenta diuerſum non probant. Nam cum Paulus dicit, non nominari hoc ſcelus inter Gentes, vt aliquis patris vxorem habeat, de eo loquitur, quod inter alios fit, non primò & per ſe de miſero illo. Exaggeratur crimen miſeri ijs

verbis

verbis: at non oſtenditur eum tunc etiam apud ſe habuiſſe. Quod D. Paulum deinde neſcio cuius rei putas accuſari poſſe, ſi quidem pœnitentia affectum nihilominus Satanæ voluerit tradi, in eo nimium ſanè tibi indulges. An non Magiſtratus patrata flagitia plectit, etiamſi pœnituerit patratorem facti, & quidem ex mandato Diuino? Cur ergo in tam enormi ſcelere velis Apoſtolum iniuſtè aut crudeliter feciſſe, cum propterea quod magiſtratu careret Eccleſia, ratio alia puniendi non ſuppeteret? An & Petrum accuſabis Ananiam occidentem? Propter hoc factum dicit Scriptura magnum metum totam peruaſiſſe Eccleſiam. Sic apud Moſen frequenter legimus, cum puniri aliquod ſcelus iubet, ita faciendum, vt cæteris metus incutiatur. Vides cur Spiritusſanctus talia per Apoſtolos egerit? Addidi aliam coniecturam, quod nimirum ſic ſcribat Paulus, ac ſi ei conſtitiſſet de hominis reſipiſcentia. Sed hæc ſatis.

Vt oſtenderem maius aliquod fuiſſe Satanæ tradere, quàm à ceremonijs externis amouere, multis adduxi verbis Pauli rationes, (quarum aliquas tu omittis: inuitus ſcilicet) vt, quòd tanto ſtudio támque exquiſitis verbis ſe excuſet, ac veluti culpam deprecetur 2. & 7. Cap. poſter. Epiſtolæ: quod ſumma affecti fuiſſent triſtitia Corinthij: quod magna diligentia pro miſero intercesſiſſent: quod affirmet Apoſtolus Corinthios nullo abs ſe detrimento fuiſſe affectos: quod dixerit ſe pœnituiſſe quodammodo: & quæ huius generis alia in Theſibus notaui. His, inquam, non erat opus, ſi tandem ad reſipiſcentiam vſque iuſſiſſet à Sacramentis repelli. Si perpetuum hoc erat manſurum in Eccleſia: nec in alium finem erat faciendum, quam vt inuitaretur ad pœnitentiam, non erat cur tantopere ſe purgaret: præſertim ſi Seniores iam ordinauerat &c. Inſpiciat Theſes qui plenius iſta cupit cognoſcere. Nunc tua videamus, cum dicas te cogi ſingula plenè in hoc argumento carpere.

Primum dicis, me ſupra contendiſſe, Apoſtolum præcepiſſe,

piſſe, vt tantum admoneretur. Cauſas deinde doloris in Corinthijs recitas, ſed leues & euanidas ad id, quod vrgeo in argumento. Tertio non ſe excuſare Paulum, ac ſi peccaſſet: id quod ego nec dixi nec ſenſi vnquam. Scio certo certius eum hac in re nulla ex parte peccauiſſe: cur ergo ſe perinde ac ſi peccauiſſet, purgaret? Quarto nec poenituiſſe eum, vt qui malè ſibi ſunt conſcij. Concedo non minus hoc quoque, & contra affirmantes, me diuerſum probare poſſe ſcio. Vltimo nihil horribilius viuentibus proponi poſſe, ais, (excepta vltimi diei ſententia) quàm ſi quis in Chriſti nomine pronuncietur ligatus in coelis & in terra.

Quæ ſecundo, tertio, & quarto loco dixiſti, ſatis confutata ſunt: nec ad propoſitum noſtrum aſcendunt. Quod primo loco mihi tribuis, falſiſſimum eſt: nec reperies à me vllo in loco affirmatum. Dixi nihil eum praeter obiurgationem illam multorum perpeſſum: at non dixi Apoſtolum hoc tantum iuſſiſſe. Hoc modo cum toties mecum agas, & ſubinde tamen fratrem me appelles, facis certè vt prudentes dubitent, quo me animo ac modo fratrem nomines. Quod poſtremo dicis, verum eſſe concedo: at Corinthium illum pronunciatum hoc modo fuiſſe à Paulo, tunc verum erit, quando quicquid tu dicis, verum erit. Paulus crimen voluit in homine punire: propterea explicatiſsimè dicit, ſe ſtatuiſſe eum tradere ad interitum carnis, quo anima ſalua maneat. Vides, quàm leuibus ratiunculis veritatem oppugnes?

Athanaſio quoque, Auguſtino, Chryſoſtomo & Theophylacto, dixi, maius aliquid viſum fuiſſe tradi Satanæ, quàm à Sacramentis repelli. Hoc quia negare non potes, multum te torques, vt tandem non videaris ſiluiſſe. Athanaſius, inquis, exceptam fuiſſe ait animam iſtius, id eſt, vitam, ſicut in tentatione Iobi factum eſt. Auguſtinus titubanter loquitur. Chryſoſtomus apertè ad cruciatum corporis refert.

Quorſum

Quorſum dicas, quicquid hîc dicis, ego certe non video. Propoſitum mihi fuit docere, Patres, quos citaui, affirmauiſse aliud quippiam fuiſse Satanae tradi, quàm à Sacramentis remoueri. Hoc tu eos ſcripſiſſe cum negare nequeas, tamen me reprehendis. At non idem, inquis ſenſerunt hac de re omnes: ſed alius corporis cruciatum eſſe dixit, alius vitam excepit, alius modo hoc, modo aliud quippiam affirmauit, aut titubanter locutus eſt. Sed quid hoc contra nos facit? Non hoc diſputamus, an idem omnes ſenſerint? vel an ita ſint interpretati, vt ego expoſui? ſed hoc quaerimus, an aliud eſſe putauerint, quàm à Sacramentis depelli, quicquid tandem ſinguli opinati fuerint eſſe? Non minus erras, cum ſcribis, me in vobis oppugnare, quorum authoritate nitar. Nam quatenus eorum teſtimonijs vtor, rectè me vti oſtendi: tu, ſi potes, diuerſum doce.

Athanaſius certè, vt & hoc obiter moneam, non excipit vitam: ſed per ſalutem ſpiritus intelligit ſalutem animæ. non autem vitam corporalem: quod in ipſius expoſitione ſuper hunc locum manifeſtè ſcriptum legimus. Nec dicit, Apoſtolum eoſdem terminos Diabolo hîc praeſcripſiſse, quos Deus ei praefinierat in tentatione Iobi: ſed hoc tantum dicit, ſicut ibi certum terminum tentationis Diabolo propoſuerit Deus, ita Apoſtolum indicauiſse, quatenus eum vellet eidem tradi. Iobus tentabatur ſolum à Deo: at Corinthius ille plectendus fuiſset, ſi Magiſtratum habuiſſet Eccleſia. Iudicium tandem cum permittis Eccleſiae, facis hoc, quod ego vnicè cupio.

Argumentum deinde inuictum, vt rectè dixi à ſignificatione nominis ὄλεθρος, propoſui, hoc modo. Perpetua certiſsimaque haec eſt regula (quam qui non ſeruat, poteſtatem ſibi facit omnia pro libidine ſua peruertendi) autores exponendi omnes, vt verba in ſua propria natiuaque ſignificatione, in qua cum authore noſtro alij cuncti vſurpare ſolent, accipiamus: niſi omnino

con-

conſtet, authorem, quem interpretamur, aliter vſum fuiſſe: & circumſtantiae ac res, de qua ſermo eſt, aliter nos accipere cogant. Cæterum apud omnes Graecos nomen hoc, ὄλεθρος occiſionem, mortem, necem, exterminationem, exitium, vt tibi placet, notat: nec aliter Paulus eo vſus oſtendi poteſt; (ſemper enim pro morte vel corporis, vel ſpiritus ſiue animæ, vel vtriuſque poſuit: pro exſtinctione cupiditatum carnis nunquam vſurpauit) nec res nos cogit aliter intelligere. Ergo hîc etiam pro morte ſeu interfectione poſitum eſt. Citaui deinde teſtimonia omnia noui Teſtamenti, quorum recordari potui, quaeque ab alijs notata animaduerti, in quibus vel nominis huius, vel verbi, vel participij fit mentio, vt ſic rem habere demonſtrarem. Poſt haec ita concluſi. Interficere aliud eſt, quàm à Sacramentis arcere. Apoſtolus hunc decreuerat occidere. Aliud igitur voluit, quam à Sacramentis depellere. Haec ex priore illo meo ſcripto, quod tu magis, quàm Theſes videris refellere voluiſſe. Quid ad hæc tu?

Primum dicis, te malle ὄλεθρον exitium interpretari, quo videlicet funditus aliquid deleatur & pereat. Deinde omiſſo eo, inquis, in quo controuerſia poſita eſt, id, de quo non ambigitur, in dubium reuocas, quod magnum eſſe in diſputando vitium non ignoras. Nos enim nomine carnis declarari arbitramur carnis affectus, quibus perimendis deſtinata ſit etiam eiectio ex eccleſia. Hæc tua ſunt. Quomodo conuerti nomen hoc malis, non laboro: modo id mihi des, quod eripere non potes, occiſionem ſiue mortem ſignificare corporis hoc in loco. Cum enim addit Apoſtolus τῆς σαρκὸς, ac deinde adijcit, vt ſpiritus maneat ſaluus, hoc eſt, vt anima ſalua ſit, palàm declarat, quatenus eum tradi Satanae velit, nempe vt corporalem vitam adimat: animum non affligat. Rectè dicis deinde, magnum eſſe in diſputatore vicium, ſi quis principium petat. Equidem non ob aliam cauſam foedum hoc vicium toties in te reprehendo, quàm quod turpe eſse ſcio. At hoc tibi ſumis, inquies, in praeſente loco. Ergo videamus, quid de hac re dixerim.

Dixi nec apud Paulum, nec apud authorem vllum alium

Graecum

Græcum nomen hoc ὄλεθρος, ſiue additum ei ſit nomen τῆς σαρκὸς ſiue nõ ſit additum, inueniri poſitum pro exſtinctione affectuum carnis: nec cauſam iuſtam adferri poſſe, cur hoc modo potius, quàm propriè poſitum in praeſente loco dicemus. Oſtendi Corinthios ita doluiſſe, vt nullus ſanæ mentis poſſit cogitare, hoc ipſos intellexiſſe, tradendum eſſe eum duntaxat ad exſtinctionem cupiditatum carnis. Quomodo petiuiſſent ab Apoſtolo, vt non traderet Satanæ, hoc eſt, (vt ex tua expoſitione conſequi oportet) vt non adigeret ad poenitentiam, ſiue vt non extingueret in eo carnis cupiditates? Quomodo etiam tali petitioni aſſentiri potuiſſet Apoſtolus? imò quomodo ſcripſiſſet ſe condonare ei? An condonando permittebat hoc, vt non deleret ſeu non caſtigaret affectus carnis? An extinguere cupiditates aliter non poterat, niſi eijceretur ex Eccleſia? At verbum de eius contumacia nullum legimus poſt factam admonitionem: imò potius videtur mox poenitentia ſumma ductus fuiſſe, vt propè triſtitia abſorberetur. Propter has & conſimiles alias rationes in Theſibus ita hanc rem concluſi. Opponit Apoſtolus non affectus carnis cogitationi ſpiritus, ſed τὸν ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, τῇ σωτηρίᾳ τοῦ πνεύματος: id eſt, mortem corporis animæ ſaluti: quod & verborum proprietas, & Pauli conſuetudo, & verbum παραδοῦναι ſic probant, vt qui effugium hîc quærit, quiduis potius, quàm veritatem, quærere videri poſſit. Qua fronte igitur tu ſcribere audes, me omiſſo eo, quod in controuerſia eſt, id reuocare in dubium, de quo non ambigitur? Si oſtenderis τὸν ὄλεθρον τῆς σαρκὸς pro cupiditatum carnis exſtinctione poni in ſacris literis, & argumenta mea confutaueris, tum dicito me falli & fallere alios.

Verum ſi Apoſtolus, inquis, apertè dixiſſet, εἰς ὄλεθρον τῶν πράξεων τοῦ σώματος, vt alibi dixit, θανατοῦτε τὰς πράξεις τοῦ σώματος, an mutaretur hæc ſignificatio? Reſpondeo, ſi Paulus ita dixiſſet, ſciremus ita intelligendum: nunc cum aliter vnà cum Græcis omnibus eſt locutus, ſcimus quoque eum ſic intelligendum vt loquitur. Quia alibi aliter ſcripſit, potuiſ-

ſet

ſet etiam hic ita ſcribere, ſi ita voluiſſet intelligi. Aliud eſt carnis interitus, & aliud rurſus mortificatio affectuum carnis. Tu vocas ſyllabarum aucupium, quia vides te coargui iſtis: malles fortaſse nos ad tua omnia reſpondere αὐτὰ ἔπη, at facere non poſsumus. Falſum quoque eſt, quod adijcis, citata à me teſtimonia, ſi vrgere ea velis, docere, ὄλεθρον ſecum trahere ſpiritus perditionem. Mortem ſpiritus ſiue animae ſignificare poſse dixi: perditionem, vt in nihilum redigatur, nõ poteſt, quia ſic mori homo nullus poteſt. Nomen τοῦ νεκροῦ rectè dixi pro occiſione affectuũ carnis nullibi poni cum adiectione vocabuli carnis ſic abſolutè poſitum, vt hic ὄλεθρος ponitur: verbum autem ipſemet citaui. Si quæ ex cap. 8. ad Rom. citas, ita doceas exponenda eſſe, vt ei cõtradicent, quod de hoc nomine diximus, erraſſe in hoc me libenter profitebor. Quippe quomodocunque res habeat, ſemper manet firmum & indiſsolutum, quod probare nos volumus, nomẽ videlicet, ὄλεθρος, ſemper mortẽ, numquã carnis affectuum abſciſsionem ſignificare. De verbo παραδίδωμι tunc reſpondebimus, cum certi aliquid accuſabis. Cum me parum abeſse dicis à calumnia, non moueor, dum à fratre proficiſci cogito, qui calumniari neſcit. Iudicabunt pij & intelligentes omnes, vter noſtrûm à calumnia abſit longius.

Quoniam ad id, quod dixi, neque Paulum tantopere ſe fuiſſe excuſaturum, neque Corinthios ita fuiſſe dolituros, ſi ad reſipiſcentiam vſque ſolummodo iuſsus fuiſset excludi à Sacramentis: ex quo nec ad Eccleſiam nec ad ipſum aliquid mali tanti perueniret, propter quod ſic animis angerentur: quoniam, inquam, nihil reſpõdes ſolidi, ipſe quoque prætereo. Alia fuit Apoſtoli ratio, qui inuitus puniebat, ideoq; meritò lugebat. Si ad emendationem vſq; tantum voluiſset à Sacramentis arcere, aliter fuiſset locutus. Quid multis? Poenas infligebat enormiter peccantibus longè grauiores quàm veſtra ſit excluſio, vt qui poteſtatem accepiſset à Deo non traditã quibuſuis alijs aut miniſtris aut Senioribus.

Non me videre cum dixi, quomodo Satan carnales affectus in nobis extinguat, cũ iubeat Apoſtolus Spiritu-ſancto

nos

nos delere & compeſcere carnis fructus, ita tibi peccauiſſe viſus ſum, vt calũniam primò, & eo nomine poſtea expuncto fictionẽ eſſe ſcripſeris: quam vt à vobis arceat Dominus, rogas. quid tu ſcis, quid mihi auditum ſit antequam illa ſcriberem? An ego te ſpiritusſancti officium dixi ad Satanam tranſtuliſſe? Nullo in loco dixi. Quanquam non valdè fortaſsè peccet, qui hoc de vobis affirmet. Nam dum ſic interpretamini verba Pauli εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, vt idem ſignificent, ac ſi dixiſſet, ad occiſionem cupiditatum carnis, certè videmini ei hoc munus delegare. Qui enim perſonam alij perſonae (vt filium praeceptori) ad rem certam, (vt ad caſtigationem vel inſtitutionem) tradit, is certè videtur permittere traditum poteſtati eius, cui tradit, in eum finem, propter quem tradit. Sed ad rem.

Citas contra nos Apoſtolum & deinde Chryſoſtomum: ſed quorſum neſcio. Cum enim dicis tradi aliquos ad diſciplinam omnis nequitiæ magiſtro, quid aliud dicis, quàm ego dixi? Cur ergo calumniam aut fictionem vocas? Nego tibi, Paulum tradidiſſe aliquos Satanae ad diſciplinam. De Alexandro & Hymenaeo dicit ſe eos tradidiſse, vt iam didicerint non blaſphemare. Hos certè non ſic excommunicarat, vt Corinthium excommunicare (loquendum mihi eſt more veſtro) decreuerat, cum illi fidem abnegaſsent. Sic ergo loquitur Apoſtolus, vt cum dicimus magiſtratum ſceleſtum aliquem tradidiſſe carnifici, quo diſcat nõ amplius furari, aut latrocinari.

Chryſoſtomi expoſitionem non accuſo vt impiam, ſed propriam eſſe nego: cum nec verbis Apoſtoli, nec ratione aliqua nitatur. Imò verò cum ait Apoſtolum non dicere ſe velle Corinthium tradere Satanae, vt ſpiritum ſaluet, ſed vt ſpiritus ſit ſiue maneat ſaluus, apertè ſatis perſpicitur, eum non tradendum fuiſſe ad diſciplinam. In loco ſuperiore ſcribitur, ἵνα παιδευθῶσι, vt hic, ἵνα πνεῦμα σωθῇ: vt par ſit vtrobique, quod ad hanc rem attinet, ratio. Non tam futilis ergo mea eſt ratio, quin futilior tua ſit accuſatio. Si cenſes Paulum voluiſſe, inquis, vt iſte Corinthi ſic interficeretur, vt Ananias ad Petri pedes exanimis cecidit, tu videris, quàm reſipiſcentiae locum

ipſi-

ipſi relinqueret: & quomodo Corinthios excuſaturus ſit, quod non patuerint. Ad vtrumque hoc ſupra reſpondi, & in Theſibus. Etenim Paulus ſcelus punire voluit: & de reſipiſcentia hominis non videtur dubitauiſse. Magiſtratum non iuſsit Deus ſceleratorum poenas differre, dum eum, qui patrauit, poeniteat: poenitentiam ſuis etiam in ipſa morte concedit Dominus. Apoſtolus quoque non modo Corinthios pro miſero illo deprecantes habuit excuſatos, ſed maximopere affectum eorum erga miſerum illum commendauit, adeo vt & ipſe ei pepercerit, & illis hortator fuerit, vt benignè eum complecterentur & conſolarentur. Tu potius videris, quomodo non ſis nimium audax, qui Pauli factum, & Corinthiorum pium affectum in ſuſpicionē aliquā adducere audes. Multò laudabilior eſt Corinthiorū pia humanitas & miſeratio, quàm parū Chriſtiana quorundā in cenſendis proximi cogitationibus ſeueritas.

Paulus nullo loco dixit, ſcripſi ego, miſerum illū rurſus eſſe ad Sacramenta admittendum, aut in Eccleſiæ ſocietatem iterum recipiendum, ſed ſolam ἐπιτιμίαν ſufficere ait. Nihil ergo perpeſſus fuerat aliud. Reſpondes non referre quid Corinthij fecerint, ſed quid Apoſtolus præceperit, ad quod ſupra ſatis reſponſum fuit. Quorſum, quæſo te, hóc reſpondes? Nos de Pauli facto loquimur, tu de Corinthijs reſpōdes. Et ſuprà, cum de Corinthiorum facto ageremus, tu de Pauli prçcepto reſpōdebas. Quid facias diſputatore tali? Deinde dicis, Apoſtolum ſatis exprimere excluſionem factam, cum ſufficere dicis, quod cum ipſo palàm actū erat. Iam ante ad hoc quoq; reſpōſum eſt, nihil cum eo actum, quàm quod à plurimis fuit obiurgatus. Tu plura cum eo acta videris opinari: at ex textu nō potes probare.

Si tradere Satanæ idem eſſet, dixi, quod extra Eccleſiam eijcere, extra quam nō eſt ſalus, non addidiſset Apoſtolus, verba hæc, vt anima ſeu ſpiritus ſaluus maneat. Ex his ego liquere puto, vt nulla præterea adeſſent argumenta, Apoſtolum tam non putauiſse hunc damnatum iri, ſi occiſus fuiſset, quàm non putamus alij nos vel latrones vel alios ſceleratos damnari, cum piè in ſupplicio moriuntur. Reſpondes primò multa de veſtra opinione, quam ego non magnifacio in diſputatione tali, in qua teſtimonia ſcripturae quaerimus.

Dein-

Deinde negas Apoſtolum ſcripſiſſe, vt ſaluus maneat: ſed vt ſaluus fiat. Verborum proprietas multò magis meæ quàm tuæ ſententiæ ſuffragatur iudicio eruditorum. Conuertit te rectius interpres, vt ſaluus ſit, quod ſequentia mox verba, in die Ieſu, id eſt, in die iudicij, clariſsimè oſtendunt. Quippe non tum primum ſalui ſimus: ſed pronunciantur ſalui, qui iam antè ſunt ſalui. Certè verba hæc apertè ſatis probant Apoſtolum de morte corporali fuiſse locutum.

Si tradere Satanæ idem eſt, quod à ſola Coena arcere, non idem eſt, ac extra Eccleſiam eijcere, extra quam ſalus non eſt. Quoniam Coena non eſt abſolutè neceſſaria ad ſalutem. Reſpondes, non poſſe aliquem, qui velit participare Coenam, ab ea prohiberi, vbi legitimus ſit excommunicationis vſus. Sed addis poſtea, oportere illum talem deſiderium ſuum ritè teſtari Eccleſiæ, ne ſeipſum fallens iudicium ſibi cumulet: hoc eſt, oportere eum Preſbyteris placere. An non pugnant hæc, non prohiberi aliquem appetentem: &, iudicium penes alios conſiſtere num rectè veréque appetat? Et quis, rogo te, poteſt ligitimus vſus eſſe veſtræ excommunicationis, ab hominibus ſine verbo Dei confictae? Abutuntur homines inſtitutis Diuinis: & humano decreto, quod pro lege Diuina tanta animorum contentione nobis obtruditis, legitimè vtemini? An apud ſolos Allobroges non falluntur homines in iudicando? Item quis hoc ſcripſit, oportere Sacramenta appetentem deſiderium ſuum Presbyteris ritè, id eſt, quomodo ipſis videatur eſſe rectum, teſtatum facere? Quòd deinde negas, excommunicationem excluſionem eſſe à ſola Coena, ſed declaratione dicis excluſionis è Regno coelorum, ſupra ſatis ſupérque confutatum fuit, vnâ cum alijs, quæ hic allinis.

Multos apud veteres fuiſſe ſcripſi, qui ad finem vitæ demum baptizati fuerint, quos tamen ob id nullus putauerit Satanae traditos. Cum ergo, inquam, nullibi ſcriptum ſit illum damnandum qui à Cœna coactus abſtineat, non illum, qui baptiſmum volens differat:

cur

cur illi potius, quàm hi, exiſtimantur Satanæ traditi? An melior eſt, qui vltrò à baptiſmo abſtinet, eo, qui coenam deſiderat, ſed à presbyteris arcetur? Ad hæc, quæ in primo ſcripto obiter mihi notarem, in Theſibus repetere non volui, ſic reſpondes, vt ſocordiam veterum hac in parte accuſes: quos ego in praeſentia neque defendere, neque accuſare decreui. Tradi Satanæ aliud fuiſſe apud Apoſtolum, quàm vel baptiſmum deferre, vel vltrò à Coena abſtinere tibi perlibenter concedo. Aut neſcis quid voluerim dicere, aut neſcire te ſimulas. Nunquam enim vel dixi vel ſomniaui, hæc non toto coelo, quod aiunt, differre.

Supra, cum propoſitum eſſet probare, Apoſtolos nullum excommunicauiſse, argumentum, quod hoc loco tu recitas, propoſui his fermè verbis. Neque rixoſos, neque ſchiſmatis authores, neque in ipſa Coenæ celebratione Ebrios factos, neque inflatos illos Gnoſticos, neque mortuorum reſurrectionem negantes, neque alioqui diſſolutè viuentes ab vſu Coenæ iuſsit ſeparari: cum minora tamen corrigat, vt quod domi ſuæ quiſque cibum capere debeat. Mandat vt vnuſquiſque ſeipſum probet: non præcipit, vt alij alios probent. Monet, vt omnes ſtudeant dignè accedere, ne ſibi iudicium edant: non iubet quenquam emanere; tametſi indignè veſcentibus caſtigationem Domini denunciet. In 2. deinde Epiſt. cap. 12. & 13. illis, quos poſt admonitionem non poenituerat immunditiæ, libidinis, & impudicitiae, quam patrauerãt, non minatur amotionem à menſa Domini: ſed pro autoritate ac poteſtate ſibi à Deo tradita rigidè ac duriter ſe in tales animaduerſurum oſtendit: quod in ſuis ſcriptis frequenter ab eo factum obſeruauimus: nunquam verò inuenimus eum à Sacramentis quempiam abſterruiſſe, vel Presbyteris aliiſue vllis, hoc vt facerent, impoſuiſse. Contra hæc quid tu adfers?

Ne nos quidem ad extrema ſtatim remedia proſilimus, ſed omnia prius experienda docemus. Illos verò, qui in Idolæo deinceps veſcerentur, cenſuiſse Apoſtolum dignos, qui arcerentur à menſa Domini, ſuo loco oſtendimus

mus. Capite quinto autem docuit, quod cum cæteris fieri vellet, vetans vel cibum cum ipſis (præeunte legitimo Eccleſiæ iudicio damnatis) ſumere. Id enim priuatorum arbitrio relinquere, & periculoſum nimis, & toti Eccleſiæ damnoſum fuiſſet. Quo in loco oſtendiſti Paulum cenſuiſſe illos excommunicandos eſſe, qui Idolothytis veſci pergerent? Supra declaraui te id ita probaſſe, vt in hoc tuo ſcripto probas vniuerſa: rationibus videlicet nullis, aut tuam ipſius ſententiam euertentibus. Quantum differant priuati commercij negatio & Sacramentorum interdictio ſeu excommunicatio ſuprà copioſè expoſui. Quibus tu probabis hominibus, niſi planè rudiſſimis, hoc quod Apoſtolus de fuga priuati conuictus & familiaritatis præcipit, non pertinere ad priuatos quoſlibet, ſeu non eſſe in priuatorum arbitrio priuſquam Presbyteri ſua ſententia declarauerint hoc faciendum? Næ tu homo es cordatus, qui ſcripturas interpretari quomodo libet audes: nulla certa expoſitionis tuæ cauſa prolata. Textus ipſe, verba, res, conſilium Apoſtoli, docent, eùm mandare ſingulis, quid facere conueniat: nec velle, vt iudicium quoddam Presbyterorum veſtrorum, quos ignorauit, exſpectent. Falſum eſt, Eccleſiæ periculoſum ac damnoſum hoc eſſe poſſe: quia ſpiritusſanctus aliter cenſuit.

Alij quidem Corinthios infirmitate ſic peccauiſſe aiunt: ac proinde à Paulo non debuiſſe priuſquam admoniti fuiſſent excommunicari. His ego ſic ante hoc tempus reſpondi. Quomodo infirmi fuerunt, qui ſe plus Apoſtolo ſcire gloriabantur, illique ſe in rebus omnibus ferè præferebant? An non ideo Gnoſtici nominati ſunt, quod ſe ſolos Religionem rectè percepiſſe exiſtimarent, atque idolothytis abſque culpa veſci poſſe putarent, alijſque præterea contra Pauli doctrinam perſuadere ſtuderent? Quis credat illos magni æſtimauiſſe Pauli reprehenſiones, qui ei modis omnibus obtrectabant, ipſiuſque authoritatem ſuperbiſſimè eleuabant, negligebant, deſpiciebant?

Hi vel non legerunt, vel certè data opera diſſimulauerunt, quæ poſtea ſequuntur in Theſibus ex fine cap. 12. & principio 13. ſecundæ Epiſtolæ deſumpta. Vidiſſent enim multos ne poſt admonitionem quidem deſtitiſſe à libidine & immundicia ſua, quos tamen non iuſſit excommunicari: quamuis pro poteſtate ſibi, non alijs, à Deo tradita, ſe acturum contra tales minetur. An non fuerant iſti tales in priore Epiſtola & alias quoque, vt ex textu apparet, admoniti? Inaniſſima igitur eſt hæc quoque reſponſio.

Carpis & hoc, quod dixi, vel tunc irrepſiſſe interdictionem vſus Sacramentorum in Eccleſiam, cum ſalutem eis adſcribere homines cœperunt: vel certè ex hoc errore prognatam fuiſſe. Huius ſomnij mei, vt tu vocas, cum probationem peteres, ipſe credo, ſomniabas. An non res ipſa docet, vt probationis alius non egeat? Expende modo, & aſſentieris. An non tamen probaui ſatis, quantum res talis probari poteſt? Pro argumento hæc non adduxi, ſed vt monerem tantum, quid olim pepererit mali Eccleſiæ iſta excommunicatio. Sic autem probaui. Conſtat ab omnibus fermè olim fuiſſe creditum, pœnam grauiſsimam eſſe Sacramentorum negationem, adeo vt plerique de ſalute illorum ambigerent, qui abſque eis ex hac vita migraſſent. An exciderunt tibi Auguſtini hac de re habitæ diſputationes; vt alios taceam? Certe non audebis dicere, opinor, eos plus Baptiſmo quam cœnæ tribuiſſe. Propter hanc opinionem, inquam, quæ tunc non idiotas ſolum, ſed etiam doctos inuaſerat, ſtatutum fuit, vt in extremo aut magno vitæ diſcrimine conſtitutis cœna Dominica concederetur, etiamſi excommunicati eſſent, imò ſcriptum creditumque fuit, aliquos non potuiſſe mori, priuſquam cœnæ participes facti fuiſſent. Quis dubitet, præter te, ſic fuiſſe tunc homines ratiocinatos? Negatio cœnæ adfert interitum. Ergo eiuſdem conceſsio adfert ſalutem. Interroga tuam ipſius conſcientiam, an non veriſimile & propè neceſſarium putes talem plurimorum fuiſſe

tunc

tunc opinionem. Vtinam tu tua vel hoc modo probare potuiſſes, quomodo ego coniecturam hanc meam oſtendi eſse probabilem.

Vltimo loco ponis hoc argumentum meum. E medio tollere, & Satanæ tradere (ad interitum carnis) idem ſignificant. At ex Eccleſia eijcere & è medio tollere non ſignificant idem. Ergo neque ex Eccleſia eijcere, & Satanæ tradere eadem ſunt. Quippe cum è medio tolli malum iubet Apoſtolus, alludit ad dictum Moſis 13. Deuter. quo in loco pro occidere ponitur illud, è medio tollere. Sed cum Eccleſia tunc careret Magiſtratu, atq; idcirco gladio careret, precibus à Deo iubet impetrare, vt nefarium hominē interficeret. Sanè ſi nullo alio argumēto refelli poſſet veſtra excōmunicatio, vel vnū hoc ſufficere poſset. Etenim Apoſtolus cum ſceleratum vult puniri, non iubet eū excōmunicari, nec adducit ſcripturæ teſtimoniū hoc iubentis: ſed vult eū interfici: & ſcripturæ teſtimonio declarat rectè hoc ita fieri ex voluntate atque ordinatione Dei. Quid tu? Reſponſiones quatuor adfers. Prima eſt, probauimus ex ijs ſcriptoribus, quorum authoritate abuſus es, Satanae tradere non eſſe interficere. Secunda, Nō ſcripſit ſimpliciter vt tolleretur è medio, quod ſignificat mortis ſupplicium, ſed addit pronomen ὑμῶν veſtri. Aliud autem eſt, tolli è medio, quam tolli è medio Eccleſiæ Corinthiacæ. Tertia, Si idem ſunt, tradere Satanę, & è medio tollere, conſequitur, ius tradendi Satanę penès Corinthios fuiſse, cum eos iubeat malum è medio ſui tollere. Ad hęc primum reſpondebimus: deinde vltimam confutabimus.

Ad primam reſpondeo, falſum eſse, te ex illis authoribus probauiſse, quod dicis. Etenim Auguſtinus apertè loquitur de ſublatione è medio. Quinetiam lib. 5. quęſt. 39. in Deuter. tollere è medio palàm dicit ſignificare interficere: idque probat 2. argumentis. Primum eſt, quod Apoſtol. teſtimonium ex Deuteron. deſumpſerit. Alterum eſt, quia dicat, τὸν πονηρὸν, non autem τὸ πονηρὸν. Athanaſius ait exceptam fuiſſe ab Apoſtolo animam, quod verum

eſt: at per animam non intellexit hanc vitam mortalem, vt tu perperam affirmas. De alijs nunc nihil dicam: ſed hoc ſolum attingam, te rurſum iniuria me afficere, cum me horum virorum authoritate ſcribis abuſum eſſe. Quippe hoc ſolum volui ipſorum teſtimonijs probare, aliud ipſos exiſtimaſſe Satanæ traditionem, quam Sacramentorum interdictionem: quod negare tu non potes: quantumuis non eodem planè modo exponant hunc locum.

Ad ſecundam dico, pronomen ὑμῶν ſententiæ noſtræ neque addere neque detrahere. Cum enim iubet eos malum illum tollere è medio ſiue hominum & mundi, ſiue è medio ſui vel Eccleſiæ, idem iubet. Si, quod tu dicis, ſenſiſſet, perinde id eſſet, ac ſi quis Virginis pudicitiam iuberet conſeruare, & eandem imperaret ex honeſtarum matronarum cœtu in proſtibulum ſiue Lupanar detrudi.

Ad tertiam reſpondeo, Corinthios habuiſſe poteſtatem inceſtuoſum hominem è medio tollendi, quomodo Apoſtolus eos facere debuiſſe indicat, nempe vt luctu & precibus à Deo impetrarent, vt, quomodo ei viſum fuiſſet, ita eum tolleret. Satanæ tradere non iubet, quæ poteſtas Apoſtoli fuit, non Corinthiorum, ſed conuenire iubet, vt eis congregatis ipſe eum ſpiritu preſens traderet. E medio tollere, ſi Corinthios ſpectes, generalſius erat: ſi Apoſtolum ſpectes, eadem erant, quo tempore hoc modo tollere decreuerat.

In reſponſione quarta & vltima plus ineſt rei. Primum dicis non tantum cap. 13. Deuter. poni verba hæc, tollite malum è medio veſtri, ſed alibi ſæpius: id quod verum eſt. Nam in meis Theſibus, quas poſtremò correxi, oſtendi eadem verba, imò eaſdem penè ſyllabas contineri Deuteron. 17. & 19. & 21. & 22. ter, & tandem 24. cap. ſemel. In omnibus his locis poſitum eſt ἐξαρεῖτε ſiue ἐξαρεῖς cum in cap. 13. pro eo poſuiſſet ἀφανιεῖτε. Cum ergo dicis, ſi capitale ſupplicium vbique ſignificet hæc phraſis

phraſis cauſam nullam eſſe cur accuſetur Draco, quaſi leges ſanguine ſcripſerit: quum futurum ſit, vt Moſes multò magis ſanguinarius inueniatur. Hæc tu cum inuſitatam hanc tuam audaciam conſidero, qui Apoſtolum & Moſen, adeoq; Deum ipſum, audes corrigere, non poſſum non exhorreſcere: Impiè audax ſit, qui negare ſciens velit, in omnibus citatis locis phraſim hanc ſignificare capitalem pœnam à Magiſtratu infligendam. Nec propterea vel Moſes, vel Apoſtoli, vel Deus ipſe rectè à te vocabuntur ſanguinarij.

At ſani interpretes, ais, monent, interdum iſta eſſe referenda ad ipſius Dei iudicium. Non hoc quærimus, an aliquando Deus interminetur aliquibus etiam familijs exitium, ſed quid in his locis, ex quibus verba ſua conſtat Apoſtolum ſumpſiſſe, id voluerit? Cum de ſe-ipſo loquitur Deus, non dicit ſcriptura, aufer hunc, vel auferte hunc è medio veſtri: ſed dicit, excindetur, ſuccidetur, peribit, alijſque ſimilibus vtitur loquendi formulis. In citatis omnibus locis mandat Deus expreſsè per Moſen Magiſtratui, vt tales afficiat capitis ſupplicio. Non memini adhuc me in ſacris libris hanc loquendi formam, ἐξαρεῖτε τινὰ ἐκ μέσου ὑμῶν, poſitum reperiſſe pro eo, quod eſt, κατάρατον & ἀνόσιον εἶναι. Vides quouſque procedas dum figmentum humanum vis hominibus venditare pro mandato Diuino?

Hæc ſunt, quæ in expoſitione noſtra huius loci Apoſtolici carpere & denigrare, ſed infeliciſſimo conatu tentaſti. Quippe non modo non maculaſti ea, ſed animi tui affectum præclarè nobis prodidiſti, quantumuis fratris appellatione ſubinde tegere eum conatus ſis.

Prudentius feciſſe aliquibus videris, quod libenter quædam prætererieris. Tale eſt argumentum à verbo παραδίδωμι deductum hoc modo. Vbicunque verbum hoc ſic eſt poſitum in ſacris literis, quomodo hic à Paulo poſitum cernimus, ſemper ſignificat poteſtati alicuius permittere ad hoc faciendum, cuius cauſa aliquis traditur. Con-

ſtruitur autem in hoc loco ſic, vt Nominatiuus perſonæ tradentis præcedat, ſequatur Accuſatiuus perſonæ traditæ, vnà cum Datiuo perſonæ, cui traditur, ac tandem id, cuius cauſa, & quatenus traditur. Talis ergo eſt oratio, ac ſi dicerem: tradidi filium meum præceptori ad caſtigationem. Ita cum dico, an non hoc dico, poteſtatem me præceptori dediſſe caſtigandi filium? Dicam aliquid amplius: nec apud ſacros ſcriptores nec apud profanos verbum hoc reperies vnquam ſic poſitum, quin idem ſignificet ac permittere, in poteſtatem dare vel dedere. Exempla ſunt in 1. ad Timoth. 1. Actor. 27. & 28. Matth. 5. 18. 27. Marc. 15. Ioh. 19. Simillimum eſt, quod Matth. 24. habetur, παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν: & Marc. 15. παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον. Item 2. Pet. 2. παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. Item 2. cap. Iobi, ἰδὲ παραδίδωμί σοι αὐτόν: μόνον τὴν ψυχὴν αὐτοῦ διαφύλαξον. Hoc tu argumentum diſſoluere debuiſſes: atque alia quædam ad rem non adeo pertinentia omittere.

Ne ad hoc quidem reſpondes, quod dixi, nullo authore idoneo monſtrari poſſe ἐξαίρειν ἐκ μέσου τινῶν, idem eſſe aut ſignificare, quod arcere à Sacramentis, vel excommunicare. Nam ſi pro eijcere maximè alicubi poſitum eſſet hoc verbum, hic non poſſet tamen ita accipi. Cum enim dicat, ἐκ μέσου ὑμῶν ad Gentiles fuiſſet exturbandus. At obſtat quod dicit, vt anima ſalua ſit, quæ extra conſortium Eccleſiæ ſalua eſſe nequit. Si à ſolo Sacramentorum vſu priuatoque commercio duntaxat arcuiſſent, nondum è medio ſui ſuſtuliſſent. Si ad reſipiſcentiam vſque eijciendum fuiſſe ad Gentiles dicas, ſcriptum hoc nullibi eſſe, ſed à te verbis Apoſtoli aſſui conſtanter veréq; reſpondeo. Non enim huius rei meminit Apoſtolus vnica ſyllaba: imò nec vllius receptionis commeminit, dum eum tradi velle ſcribit. Ac poſt interceſſionem Corinthiorum, quando culpam ei condonat, non iubet recipi ad Sacramenta, ſed ſufficere ait ἐπιτιμίαν, maioreque eum pœna non vult affici.

Item

Item locum te oportebat oſtendere, in quo Apoſtolus iuſſerit vel Presbyteris vel alijs vllis quempiam Satanæ tradere ad interitum carnis. Scribit vbique ſe cum authoritate venturum: ſe aſperum fore & rigidum: ſe pro poteſtate à Deo, Sibi, non Eccleſiæ, non alijs, conceſſa acturum: ſe cum virga venturum: peccanteſque imperat per Epiſtolam, Sibi, indicari, non iubet à Presbyteris excommunicari aut Satanæ dedi. Erat hoc Apoſtolicæ authoritatis, quibus non ſanandi modo, verumetiam percutiendi facultatem Deus conceſſerat. Nullos quoque ordinauiſſe eum legimus Presbyteros, qui hoc munus in Eccleſia gererent. Timotheum iubet quidem peccantes coràm omnibus ſiue palàm arguere: Satanæ tradere ſiue excommunicare aliquem neque hunc neque alium quempiam iubet. Illuſtre argumentum hoc quoque facit, quod 1. Timoth. 1. de Hymenaeo & Alexandro loquens ſcribit, ſe (non Eccleſiam, non Presbyteros, non alios quoſuis) eos Satanæ tradidiſſe. Quibus permotus videtur Petrus Martyr, vt in 6. cap. Comm. in lib. Iudicum ſcripſerit, his verbis: Paulus & cæteri Apoſtoli Cacodæmones habuere ſibi ſubiectos: & per eos nonnunquam eis licuit ſontes ad ſalutem ſuam punire. Iccirco quibus huiuſmodi donum conceſſum non eſt, ij ab eo exercendo abſtinere debent. Quantò rectius hic author, qui tamen veſtræ diſciplinæ hoſtis non fuit, quam tu de hoc Apoſtoli facto iudicarit, ex his ſatis liquet.

Item cum in 1. Cap. poſter. Epiſtol. ait, eos ſic triſtatos fuiſſe ſecundum Deum, vt damnum ſeu detrimentum ab eo nullum acceperint, ſatis docet, quid futurum fuiſſet, ſi non tanto ſtudio pro eo comprecati fuiſſent. Etenim ſuo mœrore & precibus veniam illi miſero impetrauerunt: quod niſi factum fuiſſet damnum fuiſſent perpeſsi, nempe amiſiſſent illum. Sanè pro detrimento non potuiſſent iudicare, ſi ad pœnitentiæ ſolum prouocationem fuiſſet à Sacramentis reiectus. Lucrum potius futurum fuerat, proque eo mul-

tis modis gaudendum ipſis fuiſſet. Dicitis enim ad lucrandum peccatores Excommunicationem inſtitutam eſſe.

Hæc & his ſimilia ſolidè refutare debebas, ſi tam candidè ac ſtrenuè cauſam tuam agere decreueras. Sed vel vnicum argumentum illud noſtrum, à verbo tradendi deſumptum, omnes conatus veſtros irritos faciat. Nec poſſum non extremè mirari, quod dicas tam confidenter, me in tota Scriptura ne vnum quidem apicem reperire, exquo confirmem tradere Satanæ, idem declarare, atque per Satanam interficere. Cur non tot argumenta, quæ ſine cauſa nullaque cum ratione allatraſti, refutaſti? Cur non oſtendiſti alicubi in ſcriptura verbum παραδιδόναι hoc modo poſitum, vt hic eſt poſitum, aliud ſignificare, quàm dedere, concedere, ſeu poteſtati alicuius permittere? Sed de hac re nimis multa dixi: tempus iam eſt, vt ad partem alteram, videlicet ad interpretationem tuam huius loci Apoſtolici deueniamus: & per lepida tua argumenta examinemus.

CAP. V.

Confutatio Argumentorum pro Excommunicatione ex loco Pauli 1. ad Corinth. cap. 5. exſtructorum.

REgnum Satanæ, inquis, eſt Mundus. Ergo qui traditur Satanæ, ab Eccleſia iubetur exulare. Vehementer miror, ſi ſeriò iſta dicis de præſente loco! Quo argumento probabis Apoſtolum hic voluiſſe, per tradere Satanæ, intelligere, eijcere in mundum? An in Regno mundi ſeu Satanæ ſeruantur animæ? At Apoſtolus hunc ſic ſtatuerat tradere Satanæ, vt ſalua maneret eius anima.

Admira-

Admiratione certè digniſſimum eſt, vos tam anxiè ſolicitos eſſe, vt authoritatem habere videamini ex Chriſti membris membra Satanae efficiendi, cum contrarium potius ſtudere conueniat, qua ratione ſcilicet non ſolum in Eccleſia agentes in eadem retineamus, verumetiam extra eam viuentes modis omnibus in ipſam pertrahamus, Luc. 14. At non ob aliud, inquies, prauos eijcimus, quam vt reſipiſcentes recipiamus: & ne membra putria totum corpus inficiant. Quaſi verò facilius ſit eiectos ad obedientiam reuocare, quam intra Eccleſiam permanentes ſanare: ac deſint Magiſtratui rationes iuſtæ & legitimæ, quibus quantumlibet pertinaces ad officium & honeſtam vitam cogat.

An non abſurdè fecerit pater, ſi petulantem impudentemque virginem ex ædibus eijciat, vt meliorem redditam recipiat, dum domi ſuae rectius & commodius fraenare poſſit immoderatos affectus? Abſurdius multò fecerit, qui non tantum ex ædibus ad alios, vbi tamen liberior ſit futura eijciat, ſed in Lupanari cum impuriſſimis ſcortis collocet, vt in illa ſocietate caſtitatem & pudicitiam diſcat. Haud leuius peccatis vos, dum peccatores, quos intra Eccleſiam corrigere licet, extra eam expellitis. Quae res etſi eſt abſurda, longè tamen abſurdius eſt hoc, quòd non modo ex Eccleſia ſimpliciter extrudere vultis, verumetiam Satanæ dedere, inque mundum, qui Satanae regnum eſt, intrudere conamini. Quid porrò Mundus, quoad Satan in eo regnat, aliud eſt, quàm regnum improbitatis, nequitiae, libidinis, immunditiae, impietatis? In hoc regnum qui aliquem ideo exturbat ex Eccleſia, vt melior efficiatur, an non perindè facit, atque is, qui Virginem laſciuam inter petulcas & proſtitutae libidinis fœminas viuere cogat, quò caſtior facta eam ad pudentes & verecundas reuocet? An non facilius inter filios Dei, quam inter Satanae mancipia ſanabuntur peccatores? Hanc viam corrigendi improbos non praeſcripſit populo ſuo Deus in Veteri fœdere, ſed intra Eccleſiam ad obedientiam cogi mandauit.

Haud rectè quoque ſimilitudo putridi membri adfertur.

Primum quidem, quoniam ſimilitudines nihil probant, quoties praeceptum Dei non exſtat. Deinde verò etiam, quoniam non congruit inſtituto. Quippe nulli omninò peccatores, nedum illi, de quibus nos adhuc egimus, (Excipi ſemper volo pertinaces haereticos in fundamento ſalutis errantes, & in Spiritum-ſanctum peccantes) ſic ſunt, dum viuunt, deſperati, quomodò putre & emortuum membrum inſanabile eſt. Imò ſicut putreſcens membrum, nondum tamen mortuum, ſanabile eſt, quantiſper corpori cõtinuatum cohaeret, inſanabile autem, cum primum reſectum à corpore fuerit, redditur, ita ferè ſanabiles ſunt peccatores in Eccleſia retenti potius, quam expulſi. Praeterea non eſt neceſſe ſic alios à malis contaminari, quomodò membra ſana neceſſarium eſt à putridis corrumpi. Nam vt lignum non poteſt non comburi ab igne tangente, ſic non poſſunt non mẽbra inter ſe continuata à ſe mutuo pati, cum homines ratione vtentes cauere ſibi poſſint. Poſtremò non poteſt ab hominibus aliquis in mundum, quatenus is eſt regnum Satanae, ex Eccleſia eijci, ſed ex viſibili tantum Eccleſia expelli poteſt. At hic, ſi modò fidem retinet, quantumuis ſepulta aliquandiu iacuerit, non eſt in mundo, regno videlicet Satanae, ſed in Eccleſia, licet inter medios Turcas viuere cogatur. Qui autem fidem non retinet, in mundo eſt, etiamſi inter viſibilis Eccleſiae membra nobiliſſimum atque optimum iudicetur eſſe. Sanè ex Eccleſia in mundum eijcere, nil eſt aliud quã damnationis ſententiam exſequi, quod hominibus nequaquam competit. Proinde non rectè à te dicitur Apoſtolus Corinthium iuſſiſſe aut voluiſſe in mundũ, Satanæ regnũ, expellere, cum animam voluerit ſaluam manere in die Domini: quae in mundo hoc ſalua manere non potuit. Nihil igitur aliud facitis Excommunicando, quam quod vel adigitis infirmos & rudes ad deſperationem, vel efficitis inſignes & magnos Hypocritas, quos peccatoribus alijs grauius odit Dominus. Deinde non vides te principium petere, & pro certo probatoque ſumere, cuius probationem à te praecipuè flagitamus? Satanae tradere negamus

idem eſſe, quod extra Eccleſiam eijcere, imò probamus eadem eſſe non poſſe. Haec cum tu refutare non potueris, quomodo ſine pudore veluti confeſſum nihilominus ſumere auſus es? Aliud eſt, cum ſcriptura dicit, Paulus juxta poteſtatem à Deo ſibi conceſſam, tradidit hunc nefarium Satanę ad interitum corporis, vt nihilominus ſalua maneret anima: & aliud rurſus, cum dico: hic traditus eſt Satanae in ſuum regnum; ſeu traditus eſt in Mundum. Argumenta noſtra ſemper manent integra. Paulus jubet eum ἐξαιρεῖσθαι ἐκ μέσου αὐτῶν: at hoc non eſt in mundum eijcere. Paulus vult eum Satanae tradi εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός: at hoc non eſt in mundum proijci. Omitto iam cætera, quae ex ſuperioribus & Theſibus noſtris peti poterunt.

Argumentum alterum tuum eſt, Paulum de ſpiritualibus locutum eſſe: ac proinde non interpretanda haec de poenâ corporali aut politica. Quaſi verò Petrus non egerit de ſpiritualibus, cum corporaliter Ananiam occidit: aut Paulus de corporalibus rebus diſputarit, cum Elymam Magum excoecauit: aliquos Satanae tradidit: & hunc ad interitum carnis tradere apud ſe ſtatuit. An ὁ ὄλεθρος τῆς σαρκός, & noſtra mors temporaria ſpiritualis eſt, atque ad corpus non pertinet, cum propter peccata eam patimur? Quo medio probabis, corporali pœna ſeu politica nunquam vel Deum vel Apoſtolos peccata puniuiſſe?

Tertium eſt, Si factum tale quid fuiſſet ab Eccleſia, permagna fuiſſet calumniantibus parata probatio, voluiſſe eos ius ſibi vſurpare Magiſtratuum. Multò maior parata pijs nunc eſt veſtrum commentum refellendi occaſio, cum vobis, quanquam eſtis ſubditi, Magiſtratus ſubiicitis. Sed, rogo te, an non contendimus Eccleſiis hoc non licere, ſed poteſtatem hanc fuiſſe ſolis Apoſtolis conceſſam? An ideo calumniantibus praebita fuit occaſio maledicendi, quia Ananiam cum vxore interfecit Petrus? & quia Magum excoecauit Paulus? Et alios quoſdam Satanae abſolutè tradidit? Aliter loquitur Scriptura.

Quartum

Quartum eſt, Si Chriſtiani Magiſtratus tollerent omnes ebrioſos, ſcortatores, & ſimiles, gladio, multis carnificum millibus eſſet opus: & deſinerent homines peccare potius paenae formidine, quàm virtutis amore. Non dixi ego omnes quomodocunque peccantes capitali ſupplicio plectendos eſſe: ſed illos, quos vel lex Diuina, vel Cęſarum edicta ita damnant. Reliqui pro circumſtantia locorum & temporum caſtigari poterunt. Satis Deo factum eſt, cum ſcelera quacunq; ratione honeſta cohibentur & cohercentur, etiamſi vna eademque pœna non ſemper & vbique puniantur. Hoc certum eſt, Deum velle, vt, quae iuſſit ac voluit olim à Magiſtratu puniri, hodie quoque ab eodem puniantur: etiamſi pœnae formam non mandarit eandem vbique ſeruari. Non enim propter commenta noſtra mutantur Dei conſilia. Phariſæi eodē propè modo, quo vos hodie facitis, quædam falsè in lege exponebant, quę Chriſtus 15. cap. Matth. apertè damnat. Sed oro te, an facit malè, qui hac in parte facit, quod Deus iuſſit? Moſes quantam multitudinem occidit Exod. 32. Num. 25? An Dauid peccauit, cum omne nefas ſuſtulit, & Iſraëlitas omnes Deo ſeruire coegit? An impiè Rex Aſa fecit, qui interficiendos omnes ſtatuit, non quaerentes Deūm, 2. Paralip. 15. Quam eſſes dignus, qui hoc loco aliam acciperes reſponſionem? Sed condonabo hoc Eccleſiae.

Cur etiam nobis hic velut errorem & peccatum exprobas, quod Magiſtratum dicimus pœnis prohibere ſcelera debere, & ad honeſte viuendum earum formidine cogere? An non mandauit ei hoc Deus? Tollite hunc, inquit ſoepius, & obruite lapidibus, alitérue occidite, vt Iſrael videat ac timeat, tantumque facinus porrò, patrare nullus audeat. Te potius obiurgares, quod publicè non veritus es ſcribere ob id maximè vrgendam Excommunicationem veſtram, quod ſi bonos non faciat, ſaltem hypocritas reddat. Tu modo non licitò hypocritas facere ſtudes, & me accuſas, qui nil aliud doceo, quā quod Deus mandauit. Moneo igitur te, vt cogites, quam hic mihi immanitatis iniuriam inurere

voluiſti,

voluiſti, in Deum ipſum redundare, cuius doctrinam hic vrgeo. Deinde etiam, vt, quàm bellè ſolitus ſis argumentari, notes. Multis opus foret Magiſtratui carnificibus, ſi malos punire omnes vellet: Ergo Apoſtolus per, tradere Satanae, intellexit Excommunicare.

Quintum eſt, Caro ſœpè ſignificat carnis corruptionem: & opponitur ſpiritui ſeu regenerato homini. Ergo Paulus hic per carnis interitum intellexit carnis corruptionem ſeu prauitatem. Concedimus antecedens: at pernegamus & conſequens & conſequentiam. Nam nec ſequitur conſequens ex eo, quod antecedit: nec verum eſt: Nam carnis interitus hoc in loco, opponitur ſaluti animae, non caro ſpiritui: ac ſignificat non exſtinctionem affectuum malorum, ſed mortem corporalem, vt efficaciſſimè ſupra probaui. Proba tu alicubi τὸν ὄλεθρον τῆς σαρκὸς pro morte ſeu reſtinctione prauitatis carnis noſtrae poni. Aliud eſt caro, & aliud carnis interitus, vt hoc loco loquitur Apoſtolus. Longè aliud eſt, de quo ad Rom. loquitur, & de quo hic praecipit. Mirum eſt, te audere iſta tam confidenter pro argumentis adferre, cum haec ipſa probanda tibi eſſe non neſcias.

Reſponſum eodem modo fit ad ſextum argumentum: quod cum quinto vel eſt idem, vel idem valet.

Septimum eſt, A carnifice Satana qui perimendus eſt, vel ſtatim reſipiſcit, & nullo iure ab Eccleſia tradi poteſt, vt ſpiritus ſaluetur, qui iam ſaluus eſt: vel non reſipiſcit, & ſic non erit ſaluus in die Domini. Nullus ſerpens percuſſus ita ſe toquet ac flectit, vt tu te-ipſum inflectis, vt aliquid inuenias. Non dicimus Apoſtolum voluiſſe Corinthium tradere Satanę ad interficiendum, vt hac conditione ſaluus fieret ſpiritus eius: ſed voluiſſe enorme illud ſcelus morte punire, (vt Magiſtratus talia punire iuſſus eſt à Deo, vbi is eſt) quò terrorem alijs incuteret, eoſque ab improbitate abſterreret, ac ad pietatem reuocaret. Cuius rei coniecturam illud etiam probet, quod non ſimpliciter dicit, vt anima eius ſalua ſit, ſed addit in die Domini: quomodò de mortuis loqui ſolemus. Equidem Apoſtolus optimè de eo ſperauit,

uit, vt ſupra expoſui: ideoque non dicit, ſe id facere vt ſeruetur ſpiritus ipſius, ſed vt ſaluus ſit in die Domini, ſicut ſupra ex Chryſoſtomo tumet-ipſe citaſti. Terminũ ergo hunc ſolum praeſcripſit Satanæ, quo non tentaret ac affligeret animum illius miſeri, ſed corpus ſolum necaret: quod Magiſtratus facere aliàs ex Dei mandato ſolet. Inſipidae igitur nugae ſunt tuae illae ratiunculae.

Similis propemodum eſt octaua quoque ratio. An poteſt ſeruari alicuius anima, quæris, cuius corpus damnetur? Reſpondeo, ſi per damnationem corporis intelligas occiſionem, affirmamus manifeſtius hoc eſſe, quàm vt idiota aliquis dubitare debeat, nedum tantus magiſter Iſraëlis. An enim non ſeruari animos eorum credis, quorum corpora à Magiſtratu veſtro cremari iubentur, ſi piè moriantur? Vnde ergo hoc, quod quidam dixiſſe fertur, beatius mori iſtic homines, qui à carnifice occiduntur, quàm qui alibi domi ſuae moriuntur? Si de condemnatione æterna loqueris, nihil hoc ad nos pertinet, qui Apoſtolum ſcimus de morte corporis duntaxat locutum fuiſſe.

Cum hiſce coniungis tandem locum in 1. ad Timoth. 1. cap. de traditione Alexandri & Hymenaei &c. Ridiculum magis dici nihil poteſt, inquis, quàm occiſum fuiſſe quempiam, vt ſanctius de Deo ſentire & loqui doceretur. Si voluiſſes fraternè interpretari noſtra, non erat nobis hic opus defenſione. Dixi enim Apoſtolum hos velut blaſphemos & naufragos circa fidem Satanae tradidiſſe, ſine illis conditionibus, quas in Corinthio notauit. Item videri mihi eos occiſos fuiſse à Satanae duabus de cauſis. Primum quidem, quod dicat ſe ipſi eos tradidiſse (ἵνα παιδευθῶσι) vt edocti iam eſsent, non amplius blaſphemare. Sermo hic vſitatus eſt ſatis apud nos, & talis fermè eſt, ac ſi Magiſtratus de fure Carnifici tradito dicat, ſe eum tradidiſse, vt didicerit non furari amplius. Cum ſic dicit, non hoc vult ſignificare, eum à carnifice inſtituendum, vt non furetur, ſed ſignificat eum occidendum eſse, vt non poſſit amplius furari. Sic Apoſtolus ait,

ſe

ſe eos Satanae interficiendos tradidiſſe, vt porrò amplius non poſſint blaſphemare, ſicut antea facere conſueuerant. Deinde, quod ex Eccleſia eiecti non videntur ceſſaturi fuiſſe à blaſphemia. Etenim multò licentius tunc blaſphemaſſent. Quid hic abſurdi, alieni, & coacti reperitur?

Principio dicis, verba ſubiunctiui modi talia, nonnunquam futuri quippiam denotare. Deinde praeteritum hic ſignificare concedis, quoniam totum praeterierat. Addis deinde non me poſſe ex his verbis colligere eueniſſe, quod propoſitum erat Apoſtolo. Ego certè credo firmiter, Apoſtolum ſic fuiſſe certum ſuae poteſtatis, vt, ſi quos ipſemet traderet Satanae occidendos, ij omninò ab eo occiderentur: praeſertim verò mali, quales iſti fuerunt, qui Apoſtolo multo tempore moleſti exſtiterant, & fidem abiecerant. Tibi liceat forte de Apoſtoli factis & dictis dubitare: mihi nec licet, nec vt liceat, volo. Tradidit ergo, vt non amplius poſſent blaſphemare. Fruſtra igitur aceruas nugas, vt elabaris. At, inquis, Apoſtolus non dixit, vt non poſſint blaſphemare, ſed vt edocti ſint non blaſphemare. Concedo totum hoc: ſed dico eum ſic vſitatè fuiſſe locutũ, quomodò etiam hodie de talibus rebus vulgò loquimur. Significatur enim hac oratione ſic eſſe quempiam tractatum, vt poenam ſcelere ſuo dignam acceperit: & porrò ſceleſtus eſſe nequeat.

Quae poſtea de diuerſitate horum & Corinthij addis, ad cauſam noſtram non pertinent. Hoc ſenſi, Paulum de Corinthio optimè ſperauiſſe: de alteris vtrum ita ſperarit, neſcire me fateor. Satanę non ſentio eos ita ab Apoſtolo traditos, vt animas eorũ vellet perdi. Hoc enim non eſt creaturæ, ſed ſolius Dei munus, ſeruare ſcilicet ac perdere animas. Pœna igitur eos ad terrorẽ aliorum affecit, vt Magiſtratus ſceleratos afficere ſolet. Quod ſi repudiata impietate conuerſi ſunt ad Dominum, non obſuit mors corporalis ſaluti ipſorũ. Vt dubitemus aliquo modo, id facit, quod & blaſphemi fuerunt, & fidem abiecerunt. Porrò blaſphemos iuſſiſſe Deum interfici

fici Leuit.24.nullus eſt,qui neſciat.Perfacilè ex his intelligi poteſt,fruſtra te hic Anathema obijcere,& comparationem inter hos & Corinthium facere. Meræ ſunt ambages,& putida ſophiſmata: cum longiſſimè aliud ego & dixerim & ſenſerim.

CAP. VI.

De Fermento.

POſſem multa verè ac rectè in tua interpretatione huius loci reprehendere & confutare: quæ, ne à propoſito nulla neceſſitate coactus diſcedam, in medio relinquam.Ergo largiar tibi, cum ita lubet, Apoſtolum ceremoniam prohibiti fermenti in celebratione Paſchatis voluiſſe hic exponere: nec per ſimilitudinem ſolum & alluſionem argumentari, quod ego ſentio. Quod inde commodi ad te redibit? Azymorum feſtum comparat Apoſtolus vitae noſtrae toti, qua in hac viuimus peregrinatione,vt cum Iudæi ex Ægypto exibant, terram meliorem poſſeſſuri. Fermentum ſignificat ſceleratam vitam. Ex his ſequitur,vt illis toto tempore feſti illius non licuit fermentata edere: ſic non licere nobis toto tempore vitæ noſtræ flagitioſè agere.Quid ex his aliud ſequitur, quàm vt,quemadmodum fermentum edens interficiendus ſcribitur, ita etiam ſceleratus interficiatur? Nihil horum contra nos facit. Sanè qui fermentati aliquid ediſſet tota illa ſeptimana, non iubetur à Paſchate, (quod initium erat huius feſti, ſicut fides in Chriſtum ſeu Spiritualis eſus Chriſti pro nobis crucifixi principium eſt Chriſtianæ nouæque vitae) arceri, ſed exterminari.

Non laboro etiam, vtrum Deum eſſe illum affirmes, qui exterminationem minetur ex populo Iſraelitico, an à Magiſtratu occidendum fuiſſe cenſeas. Prius magis conſentaneum eſt alijs ſcripturae locis, ſimilem modum loquendi habentibus, quos non eſt dubium de poena Diuina intelligendos eſſe. Videntur etiam huc facere, primum quidem

hiſtoria,

hiſtoria, quod nullum legimus ob hanc cauſam occiſum, licet multos legamus neglexiſſe: deinde quod Paulus in 11. cap. 1. ad Corinth. de indignè Coenam Domini edentibus ſcripſit. Certè ſeptuaginta Interpretes verbum Hebraicum verbo Græco ἐξολοθρευθήσεται vtrobique Exodi ſcilicet 12. & 9. Num. interpretati ſunt: quod nullo modo aliud poteſt, quam exſtinctionem ſiue occiſionem ſignificare, à quocunque occidendus fuiſſe putetur.

Ergo videamus nunc, quomodo ex hiſce, quae vltrò tibi largimur, propoſitum tuum argumenteris. Fermentum edentes arcebantur à Paſchate. At fermentum ſignificauit ſcelera. Ergo ſcelerati ſunt à noſtris Sacramentis excludendi. Quam multa hîc falſa ſint, vide. Primum hoc falſum eſt, Deum ſcilicet alicui mandaſſe fermentum guſtantem arcere à feſto Azymorum, ſeu Paſchatis. An idem ſignificant hae duae orationes? Qui fermentata edet, exterminator: &, qui fermentata edit, à feſti concelebratione arcetor. Tantundem certè differunt, quantum hæ duae: Qui in concione ex pueris garriet, virgis caeditor: &, Pueri inter concionandum confabulantes excluduntôr à concionibus: Sicut magiſter, cum pueris vetet confabulationes in templo ſub certa poena, eos non emanere iubet, ſic Deus, cum fermentum in feſto Azymorum comedentibus interminetur excidium, non iubet à concelebratione feſti excludi. Vterque praecipit facere, quod fieri debet: ſimulque poenam proponit non ritè facientibus, quod facere iuſſi ſunt.

Quod ſi maximè concederemus, Deum voluiſſe fermentum comedentes à feſto Azymorum repelli, falſum nihilominus foret, eum propterea iuſsiſſe licentius improbiúſque viuentes à Sacramentis noſtris depellere. Etenim Azymorum feſtum, vt iam dictum eſt, non Coenam Dominicam, ſed totum peregrinationis noſtrae tempus ſignificat. Quare non è Coena Domini, ſed è vita excludendus erit ſceleratus. Longè differunt occiſum ſeu exterminatum iri, & à Sacramentis depulſum, aut excommunicatum iri.

Iam ſi iſtud etiam concederemus, exciſionem, quam Deus interminatur fermentum comedentibus, ſignificauiſſe depulſionem à Sacramentis, falſum adhuc tamen permaneret hoc, nempe fermentata edentes ita figurauiſſe flagitioſos, vt vos vultis. Nam defendi Moſes à contradictione manifeſta non poſſet. Contradictoriæ namque ſunt hæ duæ enunciationes: omnes edant Paſcha ſub poena exitij ſui, quicunque ſecundum legem mundi ſunt: & aliqui ſecundum legem mundi, hoc eſt, qui peccatum aliquod admiſerunt, non edant Paſcha. Ex hiſce ſatis apparet, quam ſint infirma & lubrica, quæ ex hac ceremonia extruitis pro veſtræ excommunicationis defenſione. Iam videamus, quæ contra noſtra excogitaris.

CAP. VII.

Defenſio ſententiae noſtrae de Fermento.

ABſurdum eſſe dixi, imò impoſsibile, nulloque pacto credendum, Deum eodem tempore apertis verbis mandare aliquid, & idem eodem tempore eiſdémque hominibus tectè & ſub figura vetare. Præcipit apertè, mandatumque aliquoties repetit, vt omnes circumciſi, exceptis ſolis legaliter immundis & abſentibus, ter ſingulis annis coràm Deo compareant cum aliquo munere, & feſta ſimul concelebrent. Quis ergo audeat dicere, Deum eodem tempore ſub velamine fermenti idem hoc voluiſſe prohibere? Certè contradictoria ſimul iuberet, quod impium eſt cogitare. Ad hæc quid tu? Concedimus, inquis, totum argumentum: nec alios præter immundos arcemus. Hæc tu. An non aduertis, quàm candidè agas? Argumentum noſtrum loquitur de immunditia legis: tu reſpondes de impuritate morum. Hoc te probare oportet, aliquos impuros moribus, etiamſi iuxta legem mundi eſſent, à paſchate & ſacrificijs abactos. Niſi tales à Moſe exceptos oſtendas, à contradictione nunquam eum vindicabis: niſi noſtram ſententiam, tua deſerta, approbes. Moſes enim ſolos immundos iuxta

legem

legem, & abſentes excipit: cæteris circumciſis omnibus præcipit vt cōcelebrent ſimul feſta. Contorque ac verte te in quotquot figuras velis, argumentum tamen hoc rectè nunquá diſſolues. Quocirca neceſſe eſt, vt vana ſint omnia, quæ præterea de fermento opponis. Praeſtat tamen ea inſpicere.

Delaberis deinde ad longam reprehenſionem eius, quod dixi, figuras non proponi rerum præſentium. At non erat neceſse, ſi frater eſſe videriq; cupiebas. Vides enim me dicere de rebus exte[r]nis, vbi ſignatum eſt ipſo ſigno frequentius & notius. Internarum rerum non neſcio ſigna nobis à Deo externa proponi, vt imbecillitati noſtræ conſulat. Sed fruſtra ſic conaris elabi. Docti enim omnes perſpiciunt effugium te quærere. At tecum, inquis, litiges oportet, cum mox dicas Paulum totius vitae ſordes cum fermento conferre. Hoc, dixi, Paulum nunquam voluiſse aut exiſtimauiſſe, nempè fermentum in ceremonia Paſchatis ita ſignificauiſſe ſordes vitae, vt ex eo poſsit colligi veſtra excommunicatio. Nam tunc, cum vetaret Deus fermenti comeſtionem ſceleribus ſuas poenas conſtituit. Ideo dixi Apoſtolum alluſiſse ad eum locum hoc aut conſimili modo. Sicut Iudæi ſuum Paſcha abſque vero fermento celebrarunt, ſic nos decet noſtrum Paſcha abſque fermento malitiæ aut nequitiæ peragere. Fermentum ſimpliciter ſumptum, poteſt bonum & malum ſignificare, vt ex 13. & 16. Matth. liquet. Quare indicat Paulus, de quo ipſe fermento loquatur. Adde, quod potuit corruptionem noſtram congenitam ſignificare, & legis immunditia. Nam non edere tantum prohibet Deus fermentum, ſed etiam habere in aliquo domus ſuæ loco. Non dicit etiam Apoſtolus, delinquentes ſic eſſe à Sacramentis arcendos, aut ex Eccleſia exturbandos, vt i fermentum edentibus mortem Deus comminatus eſt. Hoc certum eſt, fermentum Iudæis non ſignificaſſe ſcelera ſic punienda, vt vos dicitis.

Ad id, quod dixi, oportere homines occidi, non à Sacramentis arceri, ſi quidem fermentum edentis poenam velitis transferre ad licenter corruptéq; viuentiū cohercitionē, ſic

ſic reſpondes. Poenæ iudiciales veteris legis, non ſunt hodiè in eccleſiam introducendæ. Item, Paulum non dixiſſe, occidite, ſed tollite è medio. Item, formulam hanc, excindetur anima illa ex Iſrael, non ſemper ſignificare poenam capitalem, ſed interdum idem notare, quod pro incircumciſo haberi. Ad primum reſpondi ſupra, & nunc quoque duobus verbis, tametſi huc partim pertinet, dicam. Quod Deus magiſtratus poenis ſubiecit, nullus eius poteſtati ſubtrahere alijſque puniendum committere debet, Matth. 15. etiamſi poenarum modus pro circumſtantijs poſsit eſſe alius. Apoſtolum per hæc verba ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐκ μέσου ὑμῶν, ſicut & per traditionem Satanæ mortem intellexiſse abundè ſupra demonſtratum fuit. Nec mandauit tamen Corinthijs, vt miraculum ederent: quod aliqui nobis obijciunt. Hoc enim voluit, vt praeſens eſſet Eccleſia traditioni, quam ipſe apud ſe decreuerat Apoſtolus: quo videlicet alij magis auocarentur à ſceleribus. Quod vltimo loco dicis, hoc conſtanter totum dico falſiſsimum eſse, & omninò proprietati linguæ, vt audio, Hebraicæ, (quam ſeptuaginta te rectius intellexiſse arbitror) deinde Graecæ & Latinæ manifeſtè aduerſari in cap. 12. Exodi poſitum eſt ἐξολοθρευθήσεται: quod tu exponere potes, vt libet, nos quid ſignificet ſcimus. Si hoc ſolum dixiſses, hanc formulam non ſemper ad magiſtratum pertinere: ſed Deum ſibi extirpationem eam aliquando reſeruare, vt paulò ſupra rectè ſcripſiſti, facilè tibi aſſentirer. Sic Deus Corinthios indignè edentes puniuit, & puniet pro ſua ſancta & iuſta voluntate, quos, quando, quomodo vult.

Quartam obiectionem nolo defendere. Sed neque de quinta ſolicitus ſum. Quoniam nec tibi nec mihi proſunt. Fruſtra igitur de ijs litigemus.

Cum ex ſcholaſticis ſcripſi, ſenſum analogicum non eſſe argumentatiuum, de iis ſcripſi, qui ſic argumentantur: Deus minatur excidium fermentum edentibus durante feſto Azymorum. At fermentum ſignificat flagitia: & excidium deſignat excommunicationem. Ergo flagitioſum

excommunicandi à presbyteris quibuſdam fictitijs. Quas nobis figuras Spirituſſanctus expoſuit, & quatenus expoſuit, tenemus nos pro certioribus, quàm quicquid excogitari à cunctis poteſt creaturis certi, veri, firmi, ac non figurati. Nulla eſt nobis allegoria, quando Spirituſſancti habemus expoſitionem. Allegoricum vocamus, quod expoſitum non inuenimus, ſed accommodare, ſeruata proportione, ſtudemus ipſi. Hunc ſenſum dicunt ſcholaſtici, & dicimus nos, non eſſe argumentatiuum. Vbi, quaeſo, Paulus dixit, poenam comeſti fermenti ſignificare veſtram excommunicationem vel interdictionem Sacramentorum? Aut ergo oſtende tu locum, in quo Apoſtolus ceremoniam fermenti ſic fuerit interpretatus, aut male dicere deſine. Quatenus & quomodo exponat Apoſtolus, iam antè clarè explicatum eſt.

Nuſquam inueniri dixi nomen, Paſchatis, pro Coena Domini poſitum in nouo Teſtamento: & quidem verè dixi. At verò tu, vt fraternè reprehendas, hoc ſaltem dicis, me ſupra contendiſse Coenam Paſchati ſucceſsiſſe. Quaſi verò ex hoc refutetur, quod affirmaui, nomen Paſchatis nullibi poſitum pro Coena Domini. An eſt neceſse, vt quod alteri ſuccedit, illius etiam nomine nominetur, cui ſucceſsit? Indica tu nobis locum in nouo foedere: & eris magiſter magnus in Iſrael. Sed indigna ſunt hæc, quæ aut tu ſcriberes, aut ſaltem ego refutarem.

Duas dixi à Deo præcipuas recenſeri cauſas, cur abſque fermento iuſsi fuerint Paſcha ſuum edere Iudæi, nempè vt ſubitæ ac prodigioſæ liberationis è duriſsima Aegyptiorum ſeruitute, & primo-genitorum liberationis recordarentur. Haec tu pro tuo more fraternè accuſas, & neſcio quid de ardore (puto te metiri alios ex tuo ingenio) declamitas. Non poteſt verè dici, inquis, has praecipuas fuiſse cauſas, quum illa ipſa liberatio ex Aegypto longè excellentius adumbrarit. Si verus es frater, cur reprehendis tam acerbè, quod confiteri cogeris? Fermenti prohibitio, hæc, quae dixi, primò & praecipuè figurauit, teſtificante Deo. Quod

ſi res hæ ſignificatae aliud deinde excellentius deſignarint, nihil id contra nos facit: nec nos id vnquam negauimus. Non hoc diſputamus, quid liberatio ex Aegypto ſignificarit: ſed quid comeſtio panis abſque fermento notarit. Non quid primogenitorum conſeruatio portenderit inquirimus: ſed quid fermenti vetatio repraeſentarit inueſtigamus. Ideo dixi, poſſe etiam ſeruire futuri Chriſti agnitioni eiuſdemque officij, quia hæc non primò, ſed per res ſignificatas indicaret.

Acerbius exagitas hæc mea verba, ſi praeter hæc, quae praeterita fuerunt, futuri quoque aliquid ſignificauiſſe contendatur, falſam doctrinam, aut turpem vitam figurare potuit. At non ita certum exploratumque hoc nobis eſt, vt ſine alio praecepto à figura ad figuratam poenam transferre nobis liceat. Quodnam reperiſti in his verbis meis tam graue peccatum? Dixi fermentum praeteriti nihil ſignificaſse (quod quidem ſcire nos poſsimus) quàm quod ſcriptura dicit. Ad res futuras quod attinet, oſtendi me contendere nolle, ſed vrgenti vltro largiturum eſſe, potuiſſe ipſum falſam doctrinam aut turpem vitam denotauiſſe. Scio Apoſtolum ad hoc alludere: at tale quid propriè ſignificauiſse Iudaeis fermenti illam interdictionem, tu nec probaſti, nec probaturus es. Sed vt hanc fugerem diſputationem, dixi hoc non eſſe ſic certum nobis, vt liceat poenam comeſti fermenti (quam etiam hîc falsò concedo fuiſse amotionem à Sacramentis) transferre ad flagitioſorum cohercitionem à vobis ſomniatam, niſi verbum accedat, ſiue praeceptum. Nam Apoſtolus hoc non fecit, nec extat alius ſcriptor ſacer ſeu Apoſtolicus qui fecerit: Quocirca rectè ac verè dixi, quæ tibi tantopere diſplicent. Vides mea tolerabilia eſſe: tuas verò inſulſas nugas & odioſiſsimas cauillationes ferri non poſse?

Quod poſtremum carpis, hoc eſt, quod dixi Deum mandaſse omnibus maribus vt intereſsent tribus illis feſtis: nec excepiſse improbos, ſi modò eſsent mundi iuxta ceremoniam legis. Reſpondes pollutos nullos ante purificationem admiſsos fuiſse. Loqueris autem de pollutis ſecundum legem.

gem, cum dicis tales ne ad priuatam quidem menſam admiſsos fuiſse: quod de alijs accipi nequit. At ego hos excipi à Moſe iam ante toties inculcaui. Dixi licentius viuentes non fuiſse repulſos, de quibus ſolis diſputamus. Ad hoc tu piſce magis mutus es. Multo tum rectius & verius, tum prudentius & doctius alij reſpondent, non fuiſse improbos tunc admiſsos, cum ſecundum legem Moſis Reſpub. gubernaretur. Nam Magiſtratum tales ſuſtuliſſe ex Dei præcepto & Moſis præſcripto: & proinde non fuiſse Moſi opus exceptione alia. Hæc, inquiam, etſi noſtræ ſententiae admodum ſunt conſentanea, argumentum tamen non ſoluunt, vt ſuo loco oſtendemus: ſed ad veritatem longè accedunt propius quam tua. Scripturae teſtimonia à te exſpectabam: tu verò mihi fabuloſos Gentilium Poetas citas. An ſeruanda nobis omnia putas, quae in ſuis illi ſacris ſeruarunt? Non arbitror. Ergo ex particularibus colligis: Ethnici improbos abegerunt à ſuis ſacris, Ergo & nos idem decet imitari. Pudeat te ſic argumentari: nos non pudet multa non facere, quæ ipſi fecerunt: Sed bene factum eſt, cum ab Ethnicis veſtræ opinionis confirmationem petere cogimini.

CAP. VIII.

Refutatio argumentorum pro excommun. ex priuato conuictu, & 2. ad Theſſ. 3. deſumptorum.

His explicatis, redis ad argumentum & locum de priuato conuictu, eique coniungis alterum 2. ad Theſſ. 3. cap. ſic tandem concludens. Si cum ijs, quos Eccleſia è medio ſui ſuſtulit, ne cibum quidem communem capere licet: multò minus in ſacris licet cum illis communicare. Falſum eſt, quod dicis, Apoſtolum imperare, vt cum illis, qui è medio ſublati ſunt, cibum non caperent. Quomodo enim cum mortuo capiat aliquis cibum? Deinde vt per illud,

tollere è medio, intelligas eiicere ex Eccleſia, rurſus falſum eſt, eum iubere, ne cum talibus cibum capiamus. Etenim nullo in loco prohibet cum Ethnicis cibum capere: imò in eodem capite permittit priuata talium cõmercia: atque alibi diſertè concedit cum illis cibum capere. Falſa quoque eſt ratiocinatio hæc: Non licet cum fratre vocato cibum capere: Ergo neque in ſacris licet cum eo communicare. Quoniam non eadem eſt rerum ſacrarum à Deo inſtitutarum & imperatarum ratio, quæ eſt priuatarum. Id quia ſupra copioſè declaraui, hoc iam loco, quia hanc rem toties inculcas, & huc me inuitum retrahis, teſtimonium illius viri adducam, cuius authoritas omni exceptione maior apud te in hac præſertim cauſa debet eſſe. Verba eius hæc ſunt.

Quod autem vetat Paulus cum ijs cibum ſumere qui vitæ ſunt diſſolutae, id ad priuatam conſuetudinem pertinet: non ad publicam communionem. At, dicet aliquis, ſi homini Chriſtiano non licet cum ſcelerato verſari corporei victus percipiendi cauſa, multò minus panem Domini cum illo ſumere licebit. Reſpõdeo in libertate noſtra & facultate poſitum eſſe, an familiariter verſemur cum ſceleratis. Quo fit, vt vnicuique ſit ab eo abſtinendum. At non eſt ita in arbitrio noſtro poſitum, an Coenam recipiamus necne. Itaq; diuerſa eſt ratio. Hæc ille, & quidem rectè ſcribit. Etenim ſacris literis conſentanea ſunt. Sanè Apoſtolus, 2. Theſ. 3. monet, vt tales inſtar fratrum admoneamus. Ergo non vult nos ipſis aliquid eorum negare, quæ ad ſalutem pertinent. Coeterum Sacramenta adminicula eſſe pietatis & ſalutis noſtræ, nullus, vt ego quidem puto, negat. Proinde non ſunt hæc neganda petentibus, quomodo priuatum conuictum negare poſſumus? Quid multis. Prædicta omnia à tua ratiocinatione ſic differunt, vt eam putidam efficiant. Sed videamus nunc quomodo noſtra refellas, poſtquam vidimus quam ſtrenuè tua defendas.

Apoſtoli præceptum de fugienda priuata familiaritate nõ oportet ſic accipi, vt cum præcepto exemploq; Chriſti

pugnet.

pugnet. At ſupra oſtendi, Deum non abigere peccatores à Sacramentis, ſed ad ea potius colligere, vt ad pœnitentiam magis magiſq; inuitentur, & facilius iterum erigantur. In hunc enim finem tot ceremoniæ, ac tot Sacramenta inſtituta fuerunt, vt ad veræ pietatis & ſanctitatis amorem ac ſtudium homines facilius aſueſcerent, teſtibus Moſe Deuter. 14. & ſummo quodam excommunicationis patrono. Ad hęc tu ſic. Concedimus propoſitionem: Aſſumptionem diſtinguimus. Nam vocabantur ad ſacrificia peccatores, ſed qui reſipiſcentiam publicè per ſacrificia teſtarentur. Si pręterea nihil requiras, conſentimus inter nos. Nam & nos de illis ſolis diſputamus, qui peccatum ſuum agnoſcunt, & meliora promittunt. Hoc oppugnamus (imò iam expugnauimus) quòd dicitis, Deum ordinauiſſe Presbyteros, qui huius rei ſint cognitores & Iudices. Dicimus nos, Deum hoc non magis in nouo fœdere præcepiſſe, quam in veteri præceperit, vt vel Sacerdotes vel alij oblationem pro peccato adferentes examinarent, num verè eos poeniteret, an potius ſimularent poenitentiam. Vt hic Sacerdotes oblationem recipiebant, neminemque repellebant, pro peccato ſuo oblationem Deo offerre volentem: ſic neque apud nos dicimus Presbyteros eſſe eligendos, qui iſta exigant. Vides, opinor, quam ſis vbique miſer & infoelix diſputator.

Argumentum aliud fuit tale. Si Apoſtolus per fugam priuati conuictus intellexiſſet Sacramentorum negationē, pugnauiſſet ipſemet ſecum. Etenim paulò poſt licentius viuentibus non interdicit, nec interdicere iubet Sacramentorum vſu: ſed iudicium Dei proponit. Imò verò ſceleratos, inquis, iubet à Maſſa expurgari: & cum reiectis vetat cibum ſumi. Nec tollere è medio aliud ſignificat. Inſani enim eſſet vetare cibum capere cum mortuis. Quorſum iſta dicis? Apoſtolum, dixi ego, poſt hunc locum, in quo priuatorum commercia præcepit fugere, ſceleratis non negare coenam: ac proinde plurimum intereſſe inter negationem priuatæ ſodalitatis ac Cœnæ Domini. Si non poſſit

prius

prius eſſe abſq; poſteriore, ſequitur Apoſtolum ſibi aduerſari, qui, quod Cap. 5. aliquibus negauit, deinde Cap. 11. liberè concedit. Tu dicis eum iubere maſſam expurgari à fermento, id quod verum eſt. Falſum autem eſt, quod Corinthijs imperarit illos, quibuſcum cibum capere ibi vetat, eodem modo expurgare, quo alterum illum iuſſerat tolli. Quippe alterum volebat interficere, hos non voluit interfici. Ideo cum his cibum vetat ſumere, non cum illo: cum non ſit ſani hominis vetare cibum capere cum mortuis, vt rectè dicis. Sed neq; hoc ſani eſt hominis, affirmare Paulum eandem poenam intelligere per verba; Tollite malum è medio veſtri, &, cum talibus ne cibum quidem capite. Sed & illud ſanè dictum non eſt, Apoſtolum illos quibuſcum vetat cibum capere è medio tolli iuſsiſſe.

Poſthæc alia quædam adfers, quæ prȩterire non debeo. Primum affirmas, longè plus eſſe interdictionem Sacramentorum, quàm priuatæ conſuetudinis prohibitionem: quód vt rectè dictum probo. At cui minus, inquis, denegatur, qua ratione nobis perſuaſeris, quod maius eſt, concedi? Facilè perſuadebo intelligentibus omnibus, in propoſito noſtro. Propoſitio hæc, cui negatur paruum, negatur etiam maius, vera eſſe poteſt in donis, non autem in poenis: item in rebus eiuſdem generis, non autem diuerſis: Item in rebus liberis, non autem in illis, quarum vna à Deo præcepta eſt, altera mandata non eſt. Hic nullum ex his habet locum. Ad poenas quod attinet manifeſtum eſt, quod dico. Etenim cui negatur ciuitas, id eſt, qui iubetur exulare, ei non negatur mox etiam vita. Qui punitur pecunia, non etiam mulctatur morte. Paulus imperat bonis, vt malorum ſocietatem deuitent: at non præcipit, vt, quæ Deus omnibus dedit, ipſi aliquibus negent. In ſumma cui negatur decem aureorum impunitas, ei non negatur centum aureorum impunitas, id eſt, qui decem aureis mulctatur, non etiam mulctatur centum. Quod ad res attinet diuerſi generis par ratio eſt. Non enim negatur vita, cui negatur vſus ciuitatis. Non negat medicus vinum,

quibus

quibus negat aquam. Non negat Pater filio veſtem, cui negat interdum rem viliorem. Hic res diuerſiſſimæ ſunt, politicæ ac priuatæ: poſtea ſacræ & publicæ. Denique imperatum eſt Eccleſię membris, vt mortem Domini celebrent Cœnæ eius ſumptione, at impoſitum nulli eſt, vt cum hoc vel illo cibum capiat. Itaque fugere conſuetudinem cum aliquo edendi poſſumus ſine tranſgreſſione mandati Diuini, at abſtinere à Cœna Dominica ſine præuaricatione legis non poſſumus.

Quo pacto igitur ex negatione illarum inferatur negatio harum? Vides iterum ad quam pauca reſpicias, cum tua effundis?

Ex particula, μηδὲ, putas te aliquid inueniſſe. At falleris hic quoque, vt aliàs ſemper. Apoſtolus hic inquit: Præcepi vobis antea in Epiſtola, & nunc quoque præcipio μὴ συναναμίγνυσθαι, non miſceri cum malis, imò ne cibum quidem vos capere cum talibus conuenit. Vetat ergo duo: primum vt non habeant arctam cum talibus conſuetudinē: deinde vt ne quidem edant cum eis. Hæc tibi vt ſeruiant viderint, quicunq; vtriuſq; ſcripta legent.

Non loquitur, inquis, generaliter de malorum conſuetudine, vt alibi. Nam excepit illos, qui ſunt foris. Concedo hoc totum. Item ſimul eodemque contextu meminit congregatorum in nomine Domini. Hoc verò manifeſtè falſum eſt, niſi congregationem hanc aliter exponas. Congregatorum cum abſentis ſui ſpiritu meminit in cauſa eius, quem tradere Satanæ decreuerat. Poſt de alia re, quanquam affine, loquitur. Scripſi inquit, vobis in Epiſtola, ne commiſceremini &c. Ergo de re loqui hic incipit, de qua prius cum ipſis egerat, quamquam non ſatis perceperant. Videntur enim ſuper hac re, vt ſuper alijs etiam pluries interrogaſſe ac petiuiſſe declarationem Apoſtoli. At de tradendo illo Satanae, cum eo non egerant, vt ex textu ibidem apparet. De longè alio igitur negotio agit. Quo explicato,

redit

redit ad priorem cauſam, ſceleſtum tolli iubemus. Hoc igitur dicit, iuſſi vos conſuetudinem prauorum fratrum fugere, non Gentilium, quorum mores iudicabit Dominus: vos autem iudicare vitam ac mores eorum decet, qui fratres nominantur, vt malos lucrifaciatis. Quod de diſcrimine verborum σημαίνω & σημειοῦμαι adfers, ne dignum quidem eſt reſponſione. Accipe vt vis, non mutabis tamen ſenſum Pauli.

Vt probarem aliud fuiſſe apud Iudæos à priuato conuictu abſtinere, quam à Sacramentis prohibere, exemplum Publicanorum adduxi, quibuſcum Phariſæi (vt de aliis hic nihil dicam) cibum minimè capiebant, & nihilominus tamen eos ad Templum ſacroſque ritus admittebant. Ad hęc reſpondes his verbis. De Publicanis, quibuſcum Phariſæi cibum quidem non caperent, conuiuia tamen ſacra haberent, alibi diximus. Quid alibi, quęſo te, dixiſti? Neutrum negare potes. Nam & conuictum eorum ſic vitarunt, vt Chriſtum etiam hoc nomine accuſarint. Quod ad Templum & Sacrificia admiſerint, ex tota hiſtoria ſacra conſtat, maximè ex Cap. 18. Lucæ & hiſtoria Matthæi. Cum igitur hoc fuerit diſcrimen apud Iudęos, quomodo ſine ſcriptura tàm confidenter audes affirmare, à priuata ſodalitate arcere, idem eſſe cum eo, quod eſt à Sacramentis remouere?

Attuli ad idem confirmandum hoc argumentum. Si idem vtroque ſignificaretur, & idem vtriuſque eſſet finis, ſequeretur, vt contrariorum quoque ſimilis idemq; poſſet finis eſſe. Iam negatę priuatæ familiaritatis finis eſt, teſte Paulo, vt is, cuius ſocietatem conuictumq; fugimus, pudefiat. Idem finis etiam eſt negatæ Cœnæ, vt vos dicitis. Ergo poſtulat res, vt, ſicut conuictus priuatus contrarium poteſt facere, nempe vitia alere ac fouere, tum in eo, cui cohabitamus, tum in nobis cohabitantibus, ita etiam Cœnæ Domini frequens vſus vitia poſſit alere. At hoc eſt impium vel cogitare. Quocirca non poſſunt pro eodem ſumi iſta duo: cum non poſſit eſſe affirmationis finis vnus, ſicut po-

teſt

teſt negationis finis eſſe vnus, ſi vobis credamus. Ad hæc multa pro more tuo infœliciter profers. Cum fine interdictę priuatę conſuetudinis, inquis, non debuiſti finem inſtitutioni, ſed interdictionis Coenę comparare.

Quo in loco, oro te, ſic comparaui, vt tu ſcribis? An non contuli negationem cum negatione, & affirmationem cum affirmatione? Et quid hæc verba mea, quę tumet-ipſe in tuo ſcripto citaſti, ſignificant aliud? Priuatus conuictus, inquam, alit vicia: negatio pudefacit. An etiam, ſicut Coenę Domini negationem pudefacere dicitis, eiuſdem vſum vitia alere dicetis? Vides quam fraternè agas plerunque? Multa deinde garris ſine fructu de collatione horum. Non enim potes negare, quicquid tandem proferas, quin perperam mea ſis interpretatus. Addidi hoc etiam, quod tu neglexiſti, Apoſtolum non prohibere malis conſuetudinem bonorum, ſed bonos monere, vt malos fugiant, vt per eum modum pudefacti ſe-ipſos agnoſcant. At cum Sacramentis interdicitis alicui, non imperatis alijs, vt cum malo non participent Sacramenta, ſed diſſoluto præcipitis, ne ad ea veniat. Vtrum cohęreant an non cohęreant mortis Domini celebratio, & huius prohibitio, iudicent ex vtrorumque ſcriptis omnes homines.

Videor tibi in eo quoq; peccauiſſe, quod ſcripſi, impiè prohiberi, qui cupiunt cum alijs mortem Domini in publica iſta actione concelebrare. Dura eſt, inquis, hæc ſententia ita vniuerſaliter enunciata. Quid ſi enim quiſpiam, quid cupiat, non ſatis intelligat? Quid ſi ſimulatè ipſum agere iuſta ſit ſuſpicio, vel etiam liqueat? Quid ſi etiam totius Eccleſię interſit differri ipſius deſiderium? Hęc tua ſunt. Prima cauſa ad rem non facit, cum de rectè inſtitutis ego me ſemper diſputare proteſtatus fuerim. Secunda in cerebro tuo nata eſt. Ego namq; cogor publicè profitenti dolere ſe propter peccata ſua, & conſtitutum habere apud ſe deinceps ſanctius viuere, fidem habere eum ſic ſentire tunc, vt dicit. Si non permaneat in propoſito bono, meminiſſe debeo, me quoq; non ſemper manere. Ipſum cupere, argu-

mentũm eſt alicuius pietatis: quæ non opprimi, ſed accendi potius excitarique debet. Pendet hæc opinio tua ex opinione & iudicio hominum. Taceo iam, quod Deus non praecepit vel Presbyteris vel alijs tale examen. Tertia eſt plus quàm futilis. Quomodo enim intereſt Eccleſiæ, vt differam hoc facere cum cęteris, quod me iuſsit Deus facere? Miſer es, quocunq; te vertas, diſputator. Nunquam tam probè intellexi, quod veriſsimè dixiſse Ariſtotelem nunc experior, de defendentibus Theſim: πάντα γὰρ, inquit, ὑπομένουσι τὸ συμβαῖνον, ὡς ἀληθεῖς ἔχοντες ἀρχάς.

Cap. IX.

Refutatio argumentorum aliorum quorundam pro Excommunicatione.

ADfers poſthæc argumenta quædam alia pro excõmunicatione, quæ nihilò ſunt prædictis firmiora. Quę breuiter etiam expendemus, vt intelligas te tui vbiq; manere ſimilẽ. Apoſtolus, inquis, ſcribit, ſi quis nõ diligit Dominum Ieſũ Chriſtũ, ſit Anathema Maranatha. Ergo vult Presbyteros quoſdã ſedere & iudicare, quinam verè ſint pœnitentes, & qui ſimulent reſipiſcentiam: vt ſcilicet illos ad Cœnam admittant, hos arceant. Si hoc eſt excommunicare, mille locis fundata eſt excommunicatio veſtra. Diligere Chriſtum eſt ſeruare mandata Chriſti, Ioh. 13. & 15. Quiſquis ergo dicet: Qui non ſeruant mandata Chriſti ſunt exſecrabiles Deo, is excommunicabit hoc modo. Sic excommunicauit Moſes, quoties maledictos eſſe dixit domi, foris, in campo, & vbicunq; ſunt, quicunq; non ſeruant totam Legem. Præclarè tibi conuenit hac in parte cum quodam alio, qui generalis excommunicationis formulam nobis à Moſe Deuter. 27. propoſitam affirmauit. At non de hac excõmunicatione loquimur: ſed de ea, quam erga lapſos Presbyteri quidam in conſeſſu ſuo per ſuffragia lata ſẽtentia exercent.

ercent. Hanc tibi noris probandam, quod videlicet à Paulo ſit imperata. Apoſtolus valdè iniquè accuſabatur à Pſeudoapoſtolis, qui eũ omninò cõtemptibilem reddere ſatagebãt. Dicit ergo, Qui non diligit &c. ac ſi diceret: Deus ſit iudex vtri diligamus Chriſtum, illumq; perdat, qui eum non verè diligit. Hic genuinus eſt huius loci ſenſus.

Tantundẽ valet, quod ex Epiſtola ad Galat. adfers: Si quis vobis euangelizauerit preter id quod accepiſtis, Anathema ſit. Ergo excõmunicandi ſunt pertinaces ſanæ doctrinæ turbatores. Hęc non pugnant cum noſtris: qui nõ loquimur de hæreticis falſamq; doctrinam plantantibus. Idem ad locum ex 2. Epiſt. Iohannis reſponſum volo. Interim ne hos quidẽ probat hic locus ita excommunicãdos eſſe, vt hic de iſta re diſputamus. Eadem eſt ratio alterius loci ex 5. Cap. eiuſdẽ Epiſt. Vtinã excindãtur, qui nos conturbant: Loquitur enim de falſis Doctoribus. Itẽ, non dicit, congregate Presbyteros, & eijcite tales extra cœtum veſtrum, ſiue tradite eos Satanę: ſed optat eos à Deo excindi. Sed audiamus Theologicam illam tuam reſponſionem, quam ei das, qui ex te quęrat, cur non ipſe exciderit eos. Sic enim reſpondes.

Quamuis Apoſtolus pro ſuo iure fortaſſis id facere potuerit, nunquã tamen id authoritatis ſibi vendicauit: vt qui Corinthios nominatim velit congregari, quorũ etiã ſuffragijs, non autẽ ſuo ipſius arbitratu, miſer ille Satanę tradatur. Primũ dubitare videris, vtrũ Apoſtolꝰ pro ſuo iure id facere potuerit, cum ais id eũ fortaſſis facere potuiſſe. Deinde non reſpondes ad obiectionẽ. Quærit enim idem ille, cur non eodẽ modo hos exciderit, quomodo Corinthium Satanę tradere voluit, alios autem tradidit? Falſũ quoq; eſt, Apoſtolũ hanc authoritatẽ alijs cõmunicaſſe, & non priuatam ſibi ſeruaſſe. Omnes eius Epiſtolæ, omniaq; ſcripta ipſius te cõfutant: dũ vbiq; eam poteſtatẽ ſibi à Deo traditã indicat, vt in ſuperioribus, clarè oſtendimus. Falſum & illud eſt, eũ voluiſſe ſuffragijs Corinthiorum miſerum illum tradi Satanę. Dicit enim, ego decreui. Ego, inquit, abſens corpore tanquam præſens, ἤδη κέκρικα, iã concluſi, cõſtitui, decreui, hunc tradere Satanę.

Ergo

mentum eſt alicuius pietatis: quæ non opprimi, ſed accendi potius excitarique debet. Pendet hæc opinio tua ex opinione & iudicio hominum. Taceo iam, quod Deus non praecepit vel Presbyteris vel alijs tale examen. Tertia eſt plus quàm futilis. Quomodo enim intersit Eccleſiæ, vt differam hoc facere cum cęteris, quod me iuſsit Deus facere? Miſer es, quocunq; te vertas, diſputator. Nunquam tam probè intellexi, quod veriſsimè dixiſse Ariſtotelem nunc experior, de defendentibus Theſim: πάντα γὰρ, inquit, ὑπομένουσι τὸ συμβαῖνον, ὡς ἀληθεῖς ἔχοντες ἀρχάς.

Cap. IX.

Refutatio argumentorum aliorum quorundam pro Excommunicatione.

ADfers poſthæc argumenta quædam alia pro excõmunicatione, quæ nihilò ſunt prædictis firmiora. Quę breuiter etiam expendemus, vt intelligas te tui vbiq; manere ſimilẽ. Apoſtolus, inquis, ſcribit, ſi quis nõ diligit Dominum Ieſũ Chriſtũ, ſit Anathema Maranatha. Ergo vult Presbyteros quoſdã ſedere & iudicare, quinam verè ſint pœnitentes, & qui ſimulent reſipiſcentiam: vt ſcilicet illos ad Cœnam admittant, hos arceant. Si hoc eſt excommunicare, mille locis fundata eſt excommunicatio veſtra. Diligere Chriſtum eſt ſeruare mandata Chriſti, Ioh. 13. & 15. Quiſquis ergo dicet: Qui non ſeruant mandata Chriſti ſunt exſecrabiles Deo, is excommunicabit hoc modo. Sic excommunicauit Moſes, quoties maledictos eſſe dixit domi, foris, in campo, & vbicunq; ſunt, quicunq; non ſeruant totam Legem. Præclarè tibi conuenit hac in parte cum quodam alio, qui generalis excommunicationis formulam nobis à Moſe Deuter. 27. propoſitam affirmauit. At non de hac excõmunicatione loquimur: ſed de ea, quam erga lapſos Presbyteri quidam in conſeſſu ſuo per ſuffragia lata ſententia ex-

ercent. Hanc tibi noris probandam, quod videlicet à Paulo ſit imperata. Apoſtolus valdè iniquè accuſabatur à Pſeudoapoſtolis, qui eũ omninò cõtemptibilem reddere ſatagebãt. Dicit ergo, Qui non diligit &c. ac ſi diceret: Deus ſit iudex vtri diligamus Chriſtum, illumq; perdat, qui eum non verè diligit. Hic genuinus eſt huius loci ſenſus.

Tantundẽ valet, quod ex Epiſtola ad Galat. adfers: Si quis vobis euangelizauerit preter id quod accepiſtis, Anathema ſit. Ergo excõmunicandi ſunt pertinaces ſanæ doctrinæ turbatores. Hęc non pugnant cum noſtris: qui nõ loquimur de hæreticis falſamq; doctrinam plantantibus. Idem ad locum ex 2. Epiſt. Iohannis reſponſum volo. Interim ne hos quidẽ probat hic locus ita excommunicãdos eſſe, vt hic de iſta re diſputamus. Eadem eſt ratio alterius loci ex 5. Cap. eiuſdẽ Epiſt. Vtinã excindãtur, qui nos conturbant. Loquitur enim de falſis Doctoribus. Itẽ, non dicit, congregate Presbyteros, & eijcite tales extra cœtum veſtrum, ſiue tradite eos Satanę: ſed optat eos à Deo excindi. Sed audiamus Theologicam illam tuam reſponſionem, quam ei das, qui ex te quęrat, cur non ipſe exciderit eos. Sic enim reſpondes.

Quamuis Apoſtolus pro ſuo iure fortaſſis id facere potuerit, nunquã tamen id authoritatis ſibi vendicauit: vt qui Corinthios nominatim velit congregari, quorũ etiã ſuffragijs, non autẽ ſuo ipſius arbitratu, miſer ille Satanę tradatur. Primũ dubitare videris, vtrũ Apoſtol⁹ pro ſuo iure id facere potuerit, cum ais id eũ fortaſſis facere potuiſſe. Deinde non reſpondes ad obiectionẽ. Quærit enim idem ille, cur non eodẽ modo hos exciderit, quomodo Corinthium Satanę tradere voluit, alios autem tradidit? Falſũ quoq; eſt, Apoſtolũ hanc authoritatẽ alijs cõmunicaſſe, & non priuatam ſibi ſeruaſſe. Omnes eius Epiſtolæ, omniaq; ſcripta ipſius te cõfutant: dũ vbiq; eam poteſtatẽ ſibi à Deo traditã indicat, vt in ſuperioribus, clarè oſtendimus. Falſum & illud eſt, cũ voluiſſe ſuffragijs Corinthiorum miſerum illum tradi Satanę. Dicit enim, ego decreui. Ego, inquit, abſens corpore tanquam præſens, ἤδη κέκρικα, iã concluſi, cõſtitui, decreui, hunc tradere Satanę.

Ergo

Ergo non expectabat ſuffragia Corinthiorum. Quid ergo voluit? Voluit congregata Eccleſia tota, (non tantùm Presbyteris quibuſdam) & ipſius Spiritu cum virtute Chriſti ſibi conceſſa hunc Satanæ dedere: vt metum & terrorem incuteret omnibus, ac poenas ſceleris commiſſi ille lueret. Cur ergo non idem Galatis iuſſit? Reſpondeo quia Deo non eſt viſum. Apoſtoli enim non potuerunt vti & quoties vellent edere miracula: nec potuerunt quoſuis omni loco & tempore vel affligere vel occidere: ſed quando Deo viſum fuit vtile, neceſſarium & ſalutare.

Ergo non reſpondes ad obiectionem meam de Galatis. Quippe eadem eſt quæſtio, quod ad noſtrum attinet propoſitum, ſiue quæratur cur eos non exciderit, ſiue cur non à Sacramentis arceri iuſſerit. Quinimò tantò magis hæc vrget, quàm illa quæſtio, quod facultatem affligendi Deus ſolis Apoſtolis, & quibus præterea alijs voluit paucis, conceſsit, hanc autem rem tu contendis ab Apoſtolo omnibus Eccleſijs fuiſſe imperatam. Qua igitur ratione, quod in omnibus Eccleſijs ſemper & vbiq; voluit obſeruari, ipſe neque hic, neq; alibi fecit, alioſue facere iuſsit? Hic certè Pſeudoapoſtolos optat à Deo excindi, ipſe excommunicari non iubet.

Iubet Apoſtolus Rom. 16. vt declinemus ſeu vitemus diſſenſiones & ſcandala ſuſcitantes contra doctrinam veram: ex quo tu excommunicationem cupis concludere: ſed fruſtra laboras. Dictum enim hoc eſt ad omnes & ſingulos: (quemadmodum illud etiam, quod ex Iohanne ſequitur) non ad quoſdam Presbyteros. Cauere etiam nobis omninò debemus omnes & ſinguli à falſis Doctoribus. At vix hoc fieri poſſe arbitraris, ſi non præcepta talia omnia ad veſtram excommunicandi facultatem referantur. Rationem adfers duplicem. Vna eſt, quod non ſit cuiuſuis animaduertere hæreſes. Altera, quod priuato cuiuſq; arbitrio hunc vel illum defugiendum relinquere, nihil aliud ſit, quam ſchiſmatibus & offendiculis ianuam aperire. Reſpondeo nullo propterea opꝰ eſſe Presbyterio tali, quale vos fingitis, ſed bo-

nis &

nis & diligentibus Miniſtris: qui & auditores ſuos rectè ac diligenter inſtituant, & à quibus cauendum ſit prudenter doceant. Quod offendiculis hoc modo ianuam aperiri putas, tuum eſt ſomnium cui nos credere non conuenit: dum aliter Deo viſum fuiſſe cernimus.

Iohannes in ſecunda epiſtola ſua non iubet Presbyteros quoſdam in hunc finem ordinatos, licentius viuentes à Sacramentis arcere: ſed iubet omnibus & ſingulis Chriſtianis, vt Chriſti doctrinam non adferentem, ſed huius loco falſam & hæreticam ſpargere volentem, hoſpicio non recipiant. Hoc contra nos non facit: qui idē ſemper faciendum omnibus veræ pietatis amatoribus iudicauimus.

Iudas quoque in ſua Epiſtola, nil aliud vult, quàm vt operam demus, quo omnes ſaluos faciamus, quomodo ſcilicet vnumquemque poſſumus. Itaque alios monet clementia & humanitate, alios ſeueritate acrique obiurgatione ſeruandos: ſic videlicet, vt carnalia eorum facta dictaque odio habeamus: de Sacramentis eorumque interdictione, aut Presbyterorum veſtrorum poteſtate & pœnis, ne ſomniauit quidem aliquid Iudas, cum epiſtolam illam ſcriberet.

Ex omnibus iſtis luce meridiana clarius eſt, veſtram Excommunicationem neque exemplo niti, neque verbo aliquo firmari in ſacris literis inuento: ſed merum & purum eſſe hominum figmentum. De Excommunicatione loquor, vt de principio monui, non Diuina, ſed humana: quam videlicet quidam ad hoc delecti Presbyteri exercent erga lapſos, at peccatum & naturae ſuae corruptionem agnoſcentes, confitentes, deplorantes: quantumuis ſœpè relabantur. Sunt enim tales, non intemperantes, ſed incontinentes, vt loquuntur Philoſophi: nec deſtituuntur omni ſenſu pietatis, tametſi crebrò ab affectibus ſuis victi ſuccumbant cupiditatibus carnis. Verum de hac re aliàs ſœpè monui: nunc iam ſupereſt conſiderandum, quibus Presbyterium tuum defendas rationibus & ſcripturis.

Libri tertij finis.

Liber quartus incipit.

CAP. I.

De Presbyterio.

QVod ſupra feci in principio huius de Excommunicatione decertationis nunc quoque faciendum mihi duco: vt quale Preſbyterium oppugnem rectè intelligatur. Non nego Presbyterium tale, quale apud Iudæos tempore Chriſti fuit Hieroſolymis: quod frequenter πρεσβυτέριον Euangeliſtae, & συνέδριον, & nonnunquàm γερουσίαν & συναγωγὴν vocare ſolent. Hoc ſupra indiſſolubilibus rationibus legitimum fuiſſe Magiſtratum Iudæorum, & ius gladij poſſediſſe, oſtendi: ac deinceps etiam, opportunitate data, iterum oſtendam. Non nego etiam Presbyterium, quale in 1. ad Corinth. 6. deſcribitur, vbi Eccleſia Magiſtratu pio deſtituitur. Non nego Presbyterium, (Si quis ita velit appellare,) doctorum ſcilicet hominum Collegium, qui in literis ſacris exercitati ſint, & de cauſis Religionis interrogati reſpondere poſſint: De quali Presbyterio videtur Ambroſius loqui, cum in vetuſta Eccleſia Seniores fuiſſe dicit, ſine quorum conſilio nihil fieret. Hoc ſolum nego & oppugno Presbyterium, nempe Conſeſſum & Senatum quorundam ex Eccleſiae corpore collectum, qui Senatus in hunc finem conſtitutus ſit, vt Excommunicationis, de qua huc vſque diſputauimus, negocium tractet ſeu gubernet: ac ſententiam ferat, an, qui ſe poenitere dicunt, ex animo loquantur: & vtrum à Sacramentis arcendi, vel non arcendi videantur. Dicam planius: oppugno tantum Iudicium de moribus, quod hodie Eccleſiaſticum nominant, diſtinctum à Iudicio politici Magiſtratus. Nempe duas iuriſdictiones ſiue duo diſcriminata de moribus Iudicia publica & externa nego in vna Repub. eſſe oportere,

cui

cui pius Magiſtratus à Deo praepoſitus eſt. Iam ergo quid contra nos adferas videamus.

CAP. II.

Defenſio argumentorum contra Preſbyterium Excommunicatorum.

PRo argumento noſtro primo adfers hoc, quod nos ad probandum protulimus, Apoſtolum nullos Excommunicauiſſe, nec alijs tale quid imperaſſe. Si voluiſſet Apoſtolus aliquos per Seniores Excommunicari, proculdubio ordinauiſſet tales apud Corinthios, vbi minora correxit. At nihil tale praecipit: ſed hoc mandat, vt vnuſquiſque ſeipſum probet, non autem vt alij alios examinent. Noluit ergo quenquam per veſtrum illud Presbyterium Excommunicari. Ad haec tu ſic reſpondes: Corinthi talem aliquem coetum inſtitutum fuiſse ambigi non poteſt. Inquit enim Apoſtolus, Congregatis vobis in nomine Domini. Et quod conuenire illiuſmodi debeant ad dijudicanda talia ex his verbis patet, (quibus eoſdem illos compellat, quos iuſſerat vetus fermentum expurgare.) Nonne de iis, qui intus ſunt, vos iudicatis? Porrò ſui-ipſius explorationem nihil obſtare Presbyterij examini & inquiſitioni, ſic colligimus. Fuerunt harum cauſarum Iudices conſtituti, vt ex Apoſtolo colligimus: Ergo inquiſitores: niſi forte velis abſque cauſae cognitione iudicauiſſe.

Reſpondes audacter, Paulum Corinthi inſtituiſse illos veſtros Seniores. Ergo ante hoc tempus inſtituerat. Hoc autem quis non videt falſum eſſe? Quippe accuſauiſſet ſolos Presbyteros, non totam Eccleſiam. Sed nullo verbo Seniores reprehendit, quaſi officium non fecerint, negligentesue inſpectatores fuerint. Non accuſat etiam, quod ad Sacramenta inceſtuoſum admiſerint. Nulla Seniorum illorum, nulla Excommunicationis, nulla

Sacramentorum interdictionis, nulla praecedentis Iudicij, nulla electionis officijque Presbyterorum, nulla vllius rei fit mentio huc ſpectantis: ſed totam Eccleſiam obiurgat, quod non luxerit, vt è medio ille tolleretur. Rogo te, an non ad Seniores veſtros pertinere dicitis, vt rixas, ſimultates, controuerſias ac lites inter fratres natas amicè & piè dirimant & componant? At tales in Eccleſia Corinth. aliquos ordinatos fuiſſe negat Apoſtolus. Ex quo certè conſequitur, nullos fuiſſe Presbyteros à Paulo inſtitutos ante ſcriptam hanc epiſtolam. Liberè incunctanterque dico, mihi videri deſipere omnes, quicunque hoc in loco talem conſeſſum inſtitutum contendere auſint. Etenim toti Eccleſiae ex æquo mandat, quicquid hic mandat: Seniores ne nominat quidem. Diſcedis etiam à Praeceptoris tui placitis, qui palam ſcribit, quod & verum eſt, Paulum hunc non à delecto numero, ſed à toto coetu voluiſſe Excommunicari, vt vos loqui ſoletis. Adde quod non iubet eos conſultare & per ſuffragia ſententias ferre, vtrum ille tradendus videretur Satanae, an non videretur. Tertiò non iubet eos tradere alium quempiam Satanae: ſed ſibi eam poteſtatem reſeruat. Quartò non iubet ipſos nefarium illum tradere Satanae: ſed iubet vt ſuam ſententiam in congregatione Eccleſiae promulgent.

Si vnquam probabilem rationem adduxeris, qua oſtendas verba haec, Ego decreui hunc hominem vobis & ſpiritu meo cum virtute Chriſti congregatis Satanae tradere, idem ſignificare, quod haec aut ſimilia denotant: Eligite ex veſtro coetu Presbyteros, qui ſint morum Cenſores: & quos indignos putabunt Sacramentorum participatione, ab eiſdem arceant: Si, inquam, probabis illa idem notare, quod haec nobis indicant, paratus ſum quiduis pati. Ergo cum neque antea inſtituerit Presbyterium veſtrum neque nunc tale quid praeceperit, neque poſtea doceri poſſit inſtituiſſe, qui non te pudet affirmare, eum in his verbis aliquid huiuſmodi praecepiſse? At de ijſdem dicit, ais, Nonne de ijs, qui

intus

intus ſunt, iudicatis? Concedo de eiſdem loqui, cum de tota loquatur Eccleſia: ſed nego eum de tali iudicio loqui. Iuſſerat Apoſtolus facinoroſos vitare: quod cum ipſi de Ethnicis etiam intellexiſſent, ſine quorum commercio viuere tunc non poterant, reſpondet eis Apoſtolus, ſe non intelligere Ethnicos, ſed nominatos fratres. Addit illos habituros Iudicem Deum: ipſos autem ſuos fratres iudicare debere digni ſint an indigni, quibuſcum ipſi familiariter viuerent. Summa eſt, loquitur de omnibus & ſingulis Eccleſiae membris, non de Presbyteris: & de iudicio quo ſinguli ſingulorum vitam iudicant, non de publico aliquo iudicio Presbyterij.

Concedo adultum, ſi baptizandus eſſet, examinandum prius fuiſſe, an doctrinam intelligeret, eidemque ex animo aſſentiret. Concedo etiam nunc vtile eſſe dum infantes adhuc baptizamur, vt adoleſcẽtia non prius admittatur ad coenam, quàm cognitum ſit myſteria haec ab ipſis rectè percipi. At nego vel propter hoc vel propter illud Deum iuſſiſſe Presbyterium veſtrum inſtituere. Quod cum ipſe videaris affirmare, dum non in omnes dicis inquirere oportere Presbyterium, ſed in eos duntaxat, qui vt rei delati ſunt flagicioſę vitae, pluribus docere iam non volo. Hoc te probare decebat, Deum alicubi pręcepiſſe, ne qui ex ijs, qui flagicium admiſerunt, ad perceptionem Sacramentorum admittantur, priuſquam à certis Presbyteris ad hanc rem delectis idonei iudicati ſunt. Dum hoc non probabis, cauſam tuam infelicisſimè ages. Nam Paulus ad Theſſal. ſeparate vos ab hominibus inordinatè viuentibus, eoſque non obiurgate, vt hoſtes, ſed admonete, vt fratres.

Argumentum ſecundum facis ex ijs, quae de Iſraëliticae politiæ ſtatu dixi: quod argumentum non debilitabit ſolum Presbyterium veſtrum, ſicut antecedens, verumetiam prorſus euertet. Eſt autem tale. Rempublicam inſtituere in hoc mundo æque prudenter nullus poteſt, atque Deus ſuo populo inſtituit: quod & per ſe notum eſt, & à Deo ipſo affirmatum Deuter. 4. Quocirca optimè ſapientiſſiméque con-

ſtituta eſt ea Reſpub. quaecunque ad Regulam Diuinae proximè acceſſerit, quantum cuiuſque circumſtantiæ patiuntur. At in Repub. Iudaeorum duae diſcriminatae iuriſdictiones, ſiue duo diſtincta iudicia de moribus publica nunquam fuerunt: ſed vni Magiſtratui politico totum hoc tributum eſt. Ergo ne nunc quidem neceſſarium eſt, vt in Repub. Chriſtiana ſeparatae ſint iuriſdictiones ſiue ſeparata iudicia publica de morib', eo videlicet mòdo, quo vel Pontifex primum, vel deinde etiam vos Eccleſiaſtica iudicia morum à politicis diſtinguitis. Tu verò quid ad hæc? Nugas pro more tuo promis.

Dicis Moſen, Ioſuam, Dauidem, Salomonem, alios nihil eorum egiſſe, quae ad Aharonem ſpectabant. Proinde diſtincta fuiſſe munera Sacerdotum à Regia & ciuili poteſtate. Ego dixi, antequam Deus ſibi elegiſſet Aharonem & filios eius in Sacerdotes, non fuiſſe ſic diſtincta haec munera, quin in eundem vtrumque caderet. Certè Moſes, vt caeteros mittam, Aharonis munera obijt Leuit. 8. At poſt hoc tempus non licuit vlli amplius; Propterea meritò caſtigati ſunt Saul & Vzias. Sed quorſum haec? Ego de Iudicijs publicis in quibus aliquis accuſatur & damnatur ſceleris, & pro delicti grauitate punitur, quaero: quod ipſe quoque diſſimulare non es auſus. Ergo quid hic dicas notemus.

Moſes, inquis, Soceri ſui conſilio ſeorſum iudicia ciuilia conſtituit, Exod. 18. alibi autem, quae propria iudicia Sacerdotum erant, deſcribit. Duplicem hunc ordinem Iehoſaphat etiam obſeruauit, oppidatim Iudices politicos ſeorſum conſtituens: Hieroſolymis verò ex Leuitis, Sacerdotibus, & capitibus patrum aliquos collocauit ad iudicium & cauſam Domini. Hoc dicimus illud eſſe Synedrion Eccleſiaſticum ab alijs ciuilibus diſtinctum: ad cuius exemplar Apoſtoli poſtea Collegium inſtituerunt. Haec tu.

Principio locum à te peto, in quo Moſes peculiare Sacerdotum iudicium de moribus & ſceleribus iudicandis & puniendis conſtituerit. Scio multis in locis Aharoni praeſcribi

ſcribi quid facere ipſum alioſque Sacerdotes & Leuitas Dominus voluerit: At mandatam ei diſtinctam iuriſdictionem, id eſt, poteſtatem fuiſſe datam puniendi improbos per Iudicium ſiue Synedrium Eccleſiaſticum, nullus in ſempiternum nedum Beza demonſtrabit. Quàm frigidum eſt, quod Ioſaphat hoc diſcrimen ponere dicis? Primum dicitur in textu. 2. paralip. 19. pium hunc Regem in omnibus oppidis munitis conſtituiſſe Iudices, eoſq; admonuiſſe officij ſui: vt ſe Domino indicare meminiſſent. Deinde ſcribitur idem quoque Hieroſolymis feciſſe. Tertiò ex quibus conſtituerit illos Iudices exponitur, nempè ex Leuitis, Sacerdotibus & familiarum Principibus. Quartò additur, ad quam rem delecti conſtitutique ſint, videlicet ad Iudicium Domini & ad cauſam. Addit mox, eos iudicare & cognoſcere debere praeterea OMNEM cauſam, quae venerit ad eos de fratribus ſuis, qui habitant in vrbibus Regni Ioſaphat, inter ſanguinem & ſanguinem, inter Legem & Praeceptum, ſtatuta & iudicia &c. Tandem concludens ait: ſummus Sacerdos Amazias omnibus cauſis Domini: Zebadias autem Dux Iudae cunctis negocijs Regiis praeſidebunt.

Quis non videat hoc in loco Synedrium Hieroſolymitanum eſse Magiſtratum Politicum? Etenim Senatus, in quo cauſae omnes, capitales & ciuiles deciduntur, quique punire iubet plagis, mulcta, ſeruitute, gladio, igne &c. Politicus eſt. Nam ſi vera vos hucuſque ſcripſiſtis & dixiſtis, (quod etiam poſt verſus non ita multos in hoc ſcripto repetis) nec debet nec poteſt Synedrium veſtrum inter ſanguinem & ſanguinem, inter Legem & Praeceptum, inter Statuta & Iudicia iudicare: id eſt, non poteſt, vt hic Senatus facere iubetur, de quali bet cauſa cognoſcere. Qui caput. 17. Deuter. cum hoc loco conferet, de partenulla dubitabit.

Duo tamen monere minus exercitatos in ſacris literis volo. Primum eſt, cauſam Domini hoc in loco, & vbicunq; de iudiciis ſermo habetur, non religioſam duntaxat ſignificare,

verumetiam alias in iudicio propoſitas, praeſertim vero viduarum & pupillorum, adeóque oppreſſorum cauſas, quorum ſe Deus paſſim promittit vindicem fore: de qua re paulò poſt copioſius agemus. Alterum eſt, Leuitas & Sacerdotes non minus fuiſſe lectos in conſortium Iudicum, quàm alios quoslibet: quod cum tu quoque rectè ſcripſeris in opere quodam tuo, non habeo neceſſe pluribus probare. Nota ſunt, quae de vrbibus refugij, in quibus ſoli Leuitae Magiſtratum gerebant, biblia tradunt. Opus erat hominibus in Lege Dei exercitatis, vt ſecundum praeſcriptum Dei rectè iudicaretur: quomodo hodiè Sapientes Magiſtratus Iuriſconſultos Iudiciis ſuis praeficiunt. Verum hoc intereſt inter noſtros & Iudæorum Iureperitos: quod noſtri ſuas Leges ſeorſum deſcriptas habent à ſacris literis: Iudaei autem omnes ſuas Leges, ad cultum Dei, ad ceremonias, ad politiam, ad Iudicia ſpectantes, omnes, inquam, in iiſdem libris interſertas habebant. Quamobrem neceſse erat Sacerdotes, quibus munus docendi impoſitum praecipuè fuerat, prae caeteris ſtatuta & iudicia Dei nouiſse. Deinde Leuitas, quibus peculiariter commiſſa erat cura Templi, quique Sacerdotibus adeſse alias cogebantur. Ex his ferè Praefecti creabantur Regionum, vt ex 1. Paral. 26. cap. clarè perſpicimus. Hanc ob rem Sacerdotes & Leuitae cum aliis familiarum Principibus legebantur.

Conſtat ergo, ſanctum hunc Regem non inſtituiſse hoc in loco Presbyterium ſeu iudicium Eccleſiaſticum, ſed Synedrium ordinauiſse ſummum illud, ad quod ex tota Iudaea omnes cauſae deferebantur, quae in priuatis oppidorum Iudiciis explicari nequiuerant: quemadmodum Deus praeceperat Deuter. 17. Si quid latuerit te in Iudicio, inquit Moſes, inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter plagam & plagam, in rixarum rebus intra portas tuas, tunc ſurges & aſcendes ad locum, quem elegerit Deus tuus: & venies ad Sacerdotes, Leuitas, & Iudicem, qui tunc erit. Haec

iiſdem

iiſdem propemodum verbis repetiuit Scriptor lib. Paralip. in hiſtoria præſente. Dicit enim primò Regem conſtituiſſe Iudices ex Sacerdotibus, Leuitis, & Principibus familiarum: ad quos Moſes iubet aſcendere. Dicit eoſdem debere OMNES cauſas, quæ ex omnibus vrbibus ad ipſos deferantur, cognoſcere & iudicare. Exponit mox quas cauſas intelligat, dicens, inter ſanguinem & ſanguinem, inter Legem & Præceptum, ſtatuta & Iudicia. Hæc Moſes ita expreſſit: inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, plagam & plagam, &c. Quæ cum ita ſint clara, aperta, certa, vt negari à nullo poſſint, miror equidem quî tu auſus fueris ad tuum Presbyterium detorquere.

Quod deinceps multis verbis exponis, Magiſtratum curam habere ἀρχιτεκτονικὴν, ac operam dare debere, vt officium ſuum ſinguli faciant, Miniſteriumque ritè ex verbo Dei conſtituatur & defendatur, rectè quidem à te dicitur: at cauſam tuam non reddit meliorem. Oportet enim te oſtendere, Presbyterij veſtri iuriſdictionem partem eſſe Miniſterij. Quod niſi probaueritis, fruſtra litigabitis. Sed velim ex te audire, quomodo Magiſtratus futurus ſit ἀρχιτεκτονικὸς ſimul & ſubiectus imperio Presbyterorum? Etenim poteſtati ἀρχιτεκτονικῇ ſubiectæ ſunt cæteræ facultates, quibus ipſa imperat. Veſtri autem Presbyteri Magiſtratum ſuum in ordinem redigunt, & parêre nolentem iudicio publico condemnant, pœnaq; afficiunt. Architectonicus ergo erit, ſicut fuit ſub Pontificibus Romanis: hoc eſt, miniſter veſter & exſecutor.

Quod addis, non licere Magiſtratui, re ita poſtulante, docere & Sacramenta adminiſtrare (ſi modo per negotia poſſit vtrique muneri ſufficere) id verum non eſt. Nuſquam enim Deus vetuit. In veteri Teſtamento ſi licuit vni vtrunque munus adminiſtrare, cur non & nunc liceat? Nota eſt hiſtoria Heli & Samuelis. Non moror, quod mox dicis, Moſen ſuū Tribunal ab Aaronico diſtinxiſſe: (Aaroni nullam iuriſdictionē nullūmue Tribunal concedit ſcriptura ſeorſum) cum nuſquam prohibuerit Sacerdotibus in Tribunali politico

ſedere

ſedere ſiue Magiſtratum gerere. Imò in Samuele probauit, cum dicat Deus, non Samuelem, ſed ſe contemptum, quando pro eo & filijs eius Regem ſibi conſtitui petiuerunt 1. Sam. 8. Poſt reditum ex captiuitate voluit Deus Sacerdotes etiam iudicare populum, vt in 44. cap. Ezech. legimus. At verò cum Magiſtratus noſtri hodie præſtare per ſe ipſos vtrumq; non poſſint, debent per alios Miniſterium curare.

Sed nec illud verum eſt, quod hoc loco præterea dicis, cuius ſit docere & Sacramenta diſpenſare, eius quoque neceſſariò eſſe de doctrinæ & Sacramentorum contemptoribus ex verbo Dei cognoſcere & dijudicare: hoc, inquam, falſiſſimum eſt, ſi eouſq; extendas hanc dijudicationem, vt poteſtatem comprehendere putes puniendi vel à Sacramentis abigendi participare cupientes. Hoc eſt, quod toties petimus vt probetis: vos autem præter fas & æquum tanquam probatum ſubinde vobis ſumitis. Adde, quod argumentum tuum, ſi tam eſſet verum, quam eſt falſum, hoc ſolum probaret, ſolos Miniſtros verbi poteſtatem hanc obtinere. Vbi igitur Presbyterium veſtrum manebit? Vultis enim alios quoque vnà cum Miniſtris in hoc Collegio Iudices eſſe: quomodo præter Sacerdotes à Ioſaphat concedis familiarum Principes allectos cum Leuitis. Puto equidem te, cum iſta ſcriberes, parum fuiſſe memorem eorũ, quæ in præfatione in nouum Teſtamentũ ad principes Galliæ ſcripſiſti. Quomodo cũ iſta tum illa cõſonare oſtendes? Quę ad verba ligandi & ſoluendi attinent, ſuprà fuſè & ſolidè ſunt explanata. Nunc tuæ rationes expendendæ veniunt.

CAP. III.

Confutatio argumentorum, quibus Presbyterium ſuum quidam aſſeri putant.

MOſes, inquis, tam manifeſtè duplicem illam adminiſtrationem diſcernit, vt penè incredibile ſit quenquam, qui hoc non videat, inueniri poſſe, Deinde hoc probaturus adducis teſtimonium

ex

ex cap. 10. Leuit. vbi ſcriptum eſt, Aaronem cum ſuis filijs debere diſcernere inter ſanctum & profanum, inter mundū & immundum: & præterea docere Iſraelitas præcepta mandataque Dei. Quænam hæc eſt, obſecro te, conſecutio: Deus iuſſit Sacerdotes docere populum diſtinguere munda ab immundis, atque inſuper docere legem Dei: Ergo iuſsit conſtitui Collegium Senatorum, qui diſtinctam exerceant iuriſdictionem de moribus à poteſtate politici Magiſtratus? Argumentum tale eſt, quale prius illud fuit. Deus iuſsit verbi ſui Miniſtros populum docere & Sacramenta diſpenſare: Ergo iuſsit Presbyterium eligi, quod corruptis præditos moribus à Sacramentis per ſolenne iudicium abſterreat: nec ante ad eadem rurſum admittat, quam dignos & idoneos cenſuerit. Cum iubet eos diſcernere inter mundum & immundum, hoc iubet, vt populum doceant ex lege, quæ ſint munda & immunda: quæ ſacra ſint & quæ profana: non inſtituit Iudicium publicum ſiue Senatum aliquem Presbyterorum, qui iudicia de moribus publicè exerceat. Verum eſſe, quod dico, manifeſtiſsimis verbis probat Ezech. cap. 44. vbi officium & munus Sacerdotum ex Moſe repetit.

Plurimum equidem miratus ſum, cum te apud Moſen teſtimonia ſeu inſtitutionē veſtri Presbyterij quęrere vidi. Nā tui fermè omnes Synedriū de quo Chriſt⁹ locutus ſit, poſt captiuitatē Babylonicā incepiſſe demū aiunt: alij tunc natū aſſerunt, cum Iudæis à Romanis erept⁹ fuit gladius. Quod.n. gladium ante habuerit, nunquā illis in mentē venit negare. Penes Dauidem, Salomonē & antea apud Moſen & Ioſuam non dubitant affirmare omnē poteſtatē coercendorū vitiorū fuiſſe. Probant ſententiā ſuā Auguſtini teſtimonio in 39. quęſt. ſuper Deut. affirmantis hoc agere nunc in Eccleſia excōmunicationē, quod tūc agebat interfectio. Simile quippiā in lib. de fide & operib. cap. 2. affirmat. Hinc alij pręceptū peculiare in veteri Teſtamento de Excōm. nullum exſtare concedūt: ſed hoc in illo de prauis interficiendis cōtineri affirmāt. Tu ergo, vt video longè oculatior fuiſti hiſce omnib⁹.

Valde

Valde ſunt multa, quæ hic reprehendi poſſent. Primo quidem præter vnum te nullus (puto) eſt, qui ſcribat Moſen Leuit. 10. & Deuter. 17. de eiſdem perſonis & eiſdem rebus eodémque officio locutum fuiſſe. Etenim in priore loco de ſolis Sacerdotibus loquitur: & quod eorum officium ſit, qui Sacerdotio funguntur, declarat. In poſteriore loco de Iudicibus loquitur: & quod horum munus ſit expònit. Tu autem affirmas Moſen hoc loco longius progredi, & Sacerdotum iuriſdictionem, de qua Leuit. 10. egerit, pluribus exponere. Atque omnia πνευματικὰ eſſe dicis: cum ſola haec ad Eccleſiaſticum Synedrium pertinuiſſe contendas. Quæ quam ſint falſa, nullus eruditus non videt.

Secundo dicis, mentionem fieri Deuter. 17. ſanguinis, cauſæ, plagarum, rixarum, &c. non quod de facto, ſed quod de iure controuerſo ex tabulis ſacris reſponderit Synedrium: Iudicem verò, id eſt, ſupremum gubernatorem cum ſuo Synedrio (Huius enim Synedrii facis diuerſum à Synedrio Sacerdotum) de facto ſic iudicaſſe, quomodo de iure ab illo fuerit reſponſum. Ego contra dico, ſiue de facto ſiue de iure reſponderit, ſententias Capitales dixiſſe, & de controuerſijs omnibus ſic pronunciaſſe, vt à ſententia appellare nulli licuerit. Vos autem negatis in Conciliabulo veſtro lites eiuſcemodi decidendas eſſe: cum ſint merè ac purè politicæ, ſicut hodie politica diſtinguitis ab Eccleſiaſticis.

Tertiò dicis, ab Eccleſiaſtico hoc Synedrio licuiſſe ad iudicis Synedrium prouocare: quod non minus falſum eſſe textus docet. Etenim Moſes apertè ait, interficiendum eſſe illum, qui vel Sacerdotis ſententiæ vel Iudicis aſſentire nolet. Non ergo liberum facit ab illo ad hunc prouocare.

Quartò cùm dicis, Sacerdotem primo de iure reſpondiſſe, Iudicem poſtea pronunciaſſe, vt à neutro appellare liceret, prioribus contradicis: & Iudicem Synedrij illius carnificem ac miniſtrum facis: quod ferè ſolum aliqui expetere videntur. Quid enim aliud eſt, cum quæritur, vtrum

hic homo pœnam mortis meruerit an non meruerit, ſi quis meruiſſe reſpondeat, quàm capitis damnare? An hoc politicum non eſt, quia gladium nullus Iudicum ſua manu ſtringit? At ſententia ſua ſtringere alios iubet. Quod ſi politicum hoc non eſt, nulla nunc in Imperio politica iudicia habemus, exceptis admodum paucis.

Quintò, falſum eſt duo Synedria diſtincta vel à Moſe 17. Deuter. vel à Ioſaphato 2. Paralipom. 19. deſcribi: quod etſi ex textu patêre cuiuis poteſt, non grauabor tamen declarare. Primum igitur hoc, vt confeſſum pono, (Tu enim dicis idem) ſanctum hunc Regem nihil inſtituiſſe huc pertinens, niſi quod Deus per Moſen inſtitui imperauit. Conſtituit ergo Iudices in omnium vrbium portis, ſicuti Moſes Deuter. 16. præcepit. Hoc facto, conſtituit etiam ſummum illud Synedrium, ad quod prouocare iniuriam ſibi fieri exiſtimantibus fas erat: cuiuſque ſententiam Iudices alij in cauſis obſcuris ſciſcitari cogebantur, vt ex 17. cap. Deuter. liquet. Ergo ſiue hoc Iudicium concedatur eodem modo ius dixiſſe Hieroſolymitanis, quomodo per oppida alia Iudices inhabitatoribus eorum ius dixerunt, ſiue de appellationum cauſis duntaxat cognouiſſe, ſiue vtrunque exercuiſſe (Quod Græca verſio, & Ioſeph. lib. 9. Antiquit. cap. 1. ipſa denique res teſtificantur) noſtrâ nihil hic refert. Quoniam nihilominus manet Senatus verè politicus. Etenim quæcunque in ſingulis oppidis natæ fuiſſent lites, rixæ, & controuerſiæ, ſi ab eius loci Magiſtratu non potuiſſent explicari, Hieroſolymitano Synedrio decidendæ proponebantur. Poſteriores Iudæi ad ſummum hunc Senatum relatum ſcribunt, de Rege creando, de bello inferendo, de Pontifice inaugurando, de Reipub. vectigalibus ordinandis, de Templi ſumptibus decernendis, de rebus Tribuū iudicandis, de cenſura Pſeudoprophetarum, Magorū, &c. Quomodo igitur nō fuit politicū iudicium, in quo cauſæ omnes, ſiue ad cultum Dei & ceremonias, ſiue ad politiā & res ciuiles, ſiue ad ſanguinem & capitales pœnas attinerent,

nerent, explicabantur, & quid faciendum foret decernebatur & edicebatur? Equidem quod de capitalibus etiam differentijs & cauſis ſententiam ferre debuerit, vel ex eo ſolo perſpiciatur, quod cum de condemnandis Idololatris à Iudicibus locutus fuiſſet Moſes, ſtatim addit. *Si quid te latuerit. &c.*

Secundum, quod velut confeſſum omnibus pono, illud eſt, Moſen nulla alia publica Iudicia conſtituiſſe de moribus, quam quorum facit mentionem Exod. 18. Numeri 11. Deuter. 1. & 16. & 17. Cæterum conſtat omnibus, (nec tu negas, vt arbitror) Iudices illos, de quibus Exod. 18. Deuter. 1. & 16. ſcriptum eſt, verè & merè politicos fuiſſe. Si ergo Eccleſiaſticum aliquod iudicium publicum de vitiorum ſiue ſcelerum coercitione inſtituit, neceſſarium eſt, vt vel in cap. 11. Num. vel in 17. cap. Deuter. inſtituiſſe putetur. At in vtroque loco politica inſtituit Iudicia. Proinde Eccleſiaſticum nullum inſtituit, quod πνευματικῶς, vt tu loqueris, de vitijs iudicaret: ac ſolennibus pœnis, depulſione ſcilicet à Sacramentis, eadem coerceret. Equidem ſeptuaginta illi viri, qui 11. Num. electi fuerunt, quoſque ſpiritu Moſis & Prophetię Deus impertiuit, attributi ſunt Moſi, vt ſocij eſſent laborum eius: & in Repub. adminiſtranda ſiue populo regendo Moſen, non Aaronem, adiuuarent. Conqueſtus enim fuerat Moſes, quod ſolus gubernationi non ſufficeret. Ideo dicit Deus, ſe eoſdem illos ſpiritu Moſis donauiſſe, vt ſuſtinerent vnà cum ipſo onus rectionis: nec Moſes deinceps ſolus cogeretur pondus illud portare. Hęc ita ſunt expreſsis verbis in textu poſita, vt de ijs ambigere nullus omninò homo ſanus poſſit. Sed nec de eo dubitari poteſt, an Moſis gubernatio politica fuerit. Quocirca non poteſt ex hoc loco aſſeri ſacrum illud veſtrum Presbyterium.

Iam quod nec in 17. Deuteron. tale Presbyterium ordinarit Moſes, ex ſupra dictis conſtare omnibus hominibus poterit. Etenim Iudicium, ad quod velut ad ſupremum conſeſſum ab inferioribus & politicis iudicijs fit appella-

pellatio, non poteſt non eſſe politicum. Item, Iudicium quod ſententiam fert de capite & ſanguine, quodque lites & rixas quaſlibet per ſententiam ſupremam, à qua nulli appellare liceat, decidit, politicum eſt iudicium. Item, Iudicium in quo ſedet princeps Reipublicæ, ac ſuo nomine cum cæteris Iudicibus dicit ſententiam, de capite, de fortunis, de ſeruitute, de mulcta, de plagis, denique de ante dictis omnibus, politicum eſt iudicium. Quid multa dicam? Impoſſibile eſt, vt negetur hoc Iudicium, quod 17. Deuter. inſtitutum ponitur, politicum fuiſſe. Puto ex ſeptuaginta illis, quos 11. Num. Deus iuſſit eligi, conſtitiſſe ſupremum hoc Synedrium, quod vnà cum Principe ſic ferret imperij onus & labores, vt hi cum Moſe ferre iuſſi ſunt. Confirmat ſuſpicionem meam, quod & 18. Exodi, & 1. Deuter. Moſes manifeſtè ſibi reſeruauit cauſarum difficiliorum & obſcurarum dijudicationem: quas poſt electionem ſeptuaginta horum virorum, quos Deus eiſdem donis eodemq; ſpiritu, prout ei viſum fuit, ornauerat, vnà cum ipſis explanauit. Hi poſtea Principibus ac Regibus aſſediſſe videntur, vt cauſas graues ex verbo Dei exponerent.

Sed hoc vt-vt habeat, illud iam conſtat, Ioſaphatum non inſtituiſſe Hieroſolymis duo diſtincta de moribus iudicia, videlicet Eccleſiaſticum & politicum: ſed vnicum ordinauiſſe ex præcepto Dei ac Moſis 17. Deuter. Synedrium: quod de cauſis omnibus ſiue ad Religionem cultumque Dei ſpectarent, ſiue ad politicam vitam pertinerent, ſententiam ferret, à qua nulli appellare fas eſſet. Cumque dicit toti Synedrio: Admonebitiſque eos, & non delinquent contra Dominum, nec veniet ira ſuper vos & fratres veſtros: hoc intelligit, ſcilicet ipſos debere de iure dubitantes admonere quid ſit æquum, iuſtum & legi Dei conſentaneum, vel iniquum, iniuſtum & cum lege Diuina pugnans. Sic enim inquit, vitabitis iram Dei, dum rectè eos docebitis iudicare, ne ſontes dimittant & innocentes puniant: quæ res iram Dei prouocat.

Sed excipis, Moſes dicit iuxta Legem, quam docuerint te, &

& iuxta iudicium, quod dixerint tibi. Item, Ioſaphat, ait, Summum Sacerdotem in cauſis omnibus Domini, Zebadiam autem in negocijs Regijs Principes fuiſſe. Ergo diſtincta fuerunt Synedria. Tantundem hæc probant, ac ſuperiora omnia. Quo pacto probabis, non fuiſſe totius Synedrij, quod ab vtroq; (Moſe ſcilicet ac Ioſaphato) coniunctim deſcribitur? Videlicet legem docere, hoc eſt, docere, quid iuxta præfinitionem legis rectum & iuſtum ſit, vel iniuſtum: quid mandatum aut prohibitum: quid faciendum omittendúmue eſſet. Moſes certè non tribuit hoc ſeparatim quibuſdam, ſicut nec Ioſaphat, ſed coniunctim toti Iudicio: tametſi Sacerdotes non inficior peritiores fuiſſe, ac rectius ſœpè iudicare potuiſſe. Etenim iudicando etiam docere legis ſententiam iuſſit Moſes, ſicut ipſe ſeipſum feciſſe ſcribit. Exod. 18. his verbis: Iudico inter virum & ſocium ſuum, notaque facio ſtatuta Dei & Legis eius.

Qua etiam ratione oſtendes non fuiſſe totius Synedrij ſimul & indiuulſè ſententias ferre? Moſes dicit, indicabunt tibi ſententiam: facies quod indicauerint: obſeruabis quæ docuerint: iuxta legem quam docuerint: & iuxta ſententiam, quam tulerint: non diſcedes ab eo quod pronunciauerint. Omnia, inquam, coniunctim ponit: nunquam diuidit. Quod autem dicitur, ſi quis contumaciter recuſet obedire ſummo Sacerdoti aut iudici, propter diuerſa tempora dictum fuit. Quippe Principes ſiue Iudices non ſemper fuerunt ijdem: ſed ſœpè ſoli Sacerdotes gubernarunt. Qua eadem ratione quoque non dicit, aſcende Hieroſolymam, ſed in vrbem, quam ſibi Deus elegerit. Quippe non in vna ſemper vrbe arca fuit ante captam Hieroſolymã. Eodẽ modo loquitur Deut. 19. cum de teſte falſo loquitur. Et ſtabunt, inquit, coram Iehouah, id eſt, coràm Sacerdotibus & Iudicibus, qui tempore illo futuri ſunt. Quis hic arbitretur diſtincta iudicia proponi, & non potius vnicum? Sed huic aliquando Sacerdos, vt Heli & Samuel, abſque Iudice: aliquando cum Iudicibus præſedit. Sic cum ſummus Sacerdos dicitur in negotijs Dei præeſſe, Zebadius autem

in

in rebus Regijs, non facit diſtincta Synedria, ſed vtrumq; eidem Synedrio præfuturum dicit: ita tamen, vt aliter Dei cauſas, aliter Regis negotia præcipuè curet.

Quicquid verò per negotia Domini, ac Regis intelligendum contendatur, ſemper hoc permanet firmum, Iudicia non fuiſſe à Ioſaphato duo diſtincta inſtituta, ſed vnicum: cui iuſſit pręeſſe ſimul Sacerdotem & Zebadian. Etenim ad lectos Iudices ſimul omnes dicit Rex: Super vos erit ſummus Sacerdos in omni cauſa Domini, & Zebadias, in omni negotio Regio. Non hic diſtinguit, vt dicat vni parti ipſorum præficiendum Sacerdotem, parti alteri Zebadiam: ſed omnibus vtrumque. Vnde Ioſephus, qui harum rerum minimè fuit ignarus, cum & Sacerdos, & Legum atque cõſuetudinum Iudaïcarum (vt ipſe de ſeipſo teſtatur in fine librorum de antiquitate) ſcientiſſimus fuerit, in lib. Antiquit. 9. Cap. I. eos nominat ἑταίρους, cum ſic ſcribit. ἄρχοντες δ' αὐτῶν ἀποδείκνυσιν Ἀμασίαν τὸν ἱερέα, καὶ Ζαβαδίαν ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἑταίρους. Sanè ἑταίρους eos non vocaſſet, ſi diuerſis Senatibus ſeorſum præpoſitos fuiſſe ſingulos putaſſet. Intelligitur idem ex eo quoque quod dicit, & praefecti coràm vobis erunt Leuitæ. Certè Miniſtros facit Leuitas vtriuſque ex æquo. Pari igitur poteſtate præſidebant in eodem iudicio: licet alteri cauſæ Dei, alteri negotia Regia diligentius commendata fuiſſent. Quanquam non peccet fortè, qui Senatores hos per officia diſtributos dicat, vt alij magis hæc, alij illa negotia tractarint. Sed communi tamen nomine omnes ſuum officium adminiſtrauiſſe, ac politici Magiſtratus partes fuiſſe, certiſſimũ eſt.

Porrò fuiſſe Leuitas veluti Miniſtros Magiſtratus tum ex Cap. 26. lib. I. Paralip. tum ex Ioſephi hiſtoria, tum etiam ex 5. Cap. Act. perſpici poteſt. Lucas in Actis vocat horũ principem, quem etiam Synedrio & cõſilijs interfuiſſe colligimus, στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ. Conſtat autẽ ex Moſe & hiſtoria Regum Leuitis curam ſiue cuſtodiam Templi demandatam fuiſſe. Quæ idcirco dico, vt, quantum erres, intelligatur, cum hic ſentire videris, Leuitas per ſingula oppida collocatos

fuiſſe praeter alios Iudices, vt ibi etiam peculiare Iudicium Eccleſiaſticum exercerent. At huius rei Scriptura ne vnica quidem ſyllaba commeminit, ſed tantum Iudices cauſarum omnium per oppida ordinatos dicit: vt per Moſen Deus præceperat. Nec ſacrorum iudicum mentionem facit, nec quas cauſas tractare debuiſſent vel hic vel alibi exponit: ſed, vt ante dixi, Leuitas tam dicit eſſe coràm Zebadia, quàm coràm Sacerdote.

Verum-enimuero quid verbis opus eſt amplius? Rex Ioſaphatus hac in re à ſcripto Dei ac Moſis diſcedere nec potuit, nec debuit, nec voluit. Quare cum declaratum ſit, duas diſtinctas iſtas iuriſdictiones à Deo nõ eſſe mandatas:& à Moſe nullo in loco inſtitutas, per ſe patet, Ioſaphatum tale nihil cogitaſſe. Ideo non anxiè hic nobis quęrendum videtur, quid per negotia Domini & Regis ſit intelligendum. Per negotia Dei idem hoc intellexit, quod ſupra dixit, Non homini iudicabitis, ſed Iehouæ, qui erit vobiſcũ in iudicio. Non diſſentiunt ab his, quæ Rabini annotarunt, qui iudiciũ cauſarum capitalium aſſerunt vocatum fuiſſe iudicium animarum. Scriptura omnia iudicia frequentiſſime vocat Iudicia Dei. In 1. Cap. Deut. de politicis Iudicibus hæc legimus. Non timebitis vobis à quoquã: quia Iudicium Dei eſt. Sic Exod. 18. Moſes ſocero interroganti cur totos dies ibi ſederet, reſpondet. Quia venit ad me populus ad quærendum Deum, hoc eſt, ad quærendum Iudicium. Hac de cauſa toties vocantur Iudices in Scriptura Dij, vt ex Cap. 22. Exod. & Pſal. 82. liquet. Significat ergo hic cauſa Dei, cauſam quamlibet in Lege Dei expreſſam, & Iudicibus ad dijudicandum propoſitam. Regis autem negotium eas notat cauſas, quę ad Regem propriè pertinebant.

Quæ quales eſſent, paulò ſupra ex Rabinis diximus. Si per illas libet res ad cultum Dei ſpectantes, per hæc res ciuiles accipere; non pugnabo. Etenim Sacerdotem imprimis decebat operam dare, ne in fide & ceremonijs, error admitteretur. Pertinebat hoc ad Regẽ non minus (vt ex 17. Deut. vnuſquiſq; videre poteſt) ſed peculiariter tamẽ Sacer-

dotí

doti hoc mãdatur:quem veriſimile eſt Regibus omni tempore diligẽtiorem fuiſſe in lectione ac meditatione Legis. Vt hic non excluditur Zebadias,ita non remouetur à negotijs Regijs Amaſias: ſed commune fuit vtrobiq; munus. Si magis placet per cauſas Dei accipere cauſas appellationum: per Regis negotia iudicia alia, ne hic quidem tecum litigabo. Rectè hic præficitur Sacerdos, cum in Lege ſit exercitatus magis, & cauſæ tales obſcuræ ſunt ac difficiles iudicatu. Si Sacerdotem in Dei nomine, Zebadiam autem Regis præſediſſe affirmetur,non refragabor: etſi prius dictas expoſitiones(maximè verò primam) veriores putem. Ad huius loci intellectionem conferet plurimum inſpectio 26. Cap. lib.1.Paralip. vbi ſcribitur Hasbias cum fratribus Regioni vltra Iordanum verſus occidentem præfuiſſe in omni opere Domini & Miniſterio Regis. Item Iediam conſtituit Dauid pręfectum Rubenitis,Gaditis,& dimidię Tribui Manaſsis in omni re Dei & Regis. Eadem propè verba ſũt, quæ poſtea repetuntur in hiſtoria Ioſaphati: & tribuitur manifeſtè vtraq; poteſtas eiſdem: non mandatur diuerſis. Quare hic etiam vni Iudicio imperatur vtrumq;, licet alteri hæc, alteri illa magis negotia commendentur. Conducet fortaſſe nonnihil & loci alterius illius ex 19. Deuter. conſideratio: Et ſtabunt duo illi, quibus lis eſt, coràm Iehoua, id eſt, coràm Sacerdotibus & Iudicibus, qui erunt tempore illo. Nũc tempus eſt, vt videamus quomodo probes Iudaicum Synedrium ciuilem iuriſdictionem non habuiſſe.

CAP. IIII.

Vtrum Synedrium politicus fuerit Magiſtratus.

CVm Sacerdos, inquis, Ieremiam Prophetã reum ageret blaſphemiæ, nõ ſedit inter Iudices Sacerdos, Iere. 26: ſed egit accuſatorẽ apud Regios Magiſtratus. Ergo Synedrium tempore Chriſti caruit coercitione ciuili. Non animaduertis quàm lubrica ſint,

quæcunq; ex theca tua promis? Concedo tibi Synedrium tuum caruiſſe iuriſdictione ciuili: quoniam eſt figmentum, & in populo Iudaico nunquam fuit, niſi fortè aliquis ſomniauerit tale quidpiam. Sed ad tua propius. An fuiſſet æquum, vt Sacerdos ſimul accuſator eſſet ac Iudex? An non in quolibet Iudicio accuſatores, etiamſi aliàs ex numero ſint Iudicum, è Conſeſſu aliorum exire coguntur dū ſuam agunt cauſam? Inepta ergo eſt tua iſthæc argumentatio. His adde illud etiam, quod Ieremiæ tempore regnabat Hieroſolymis Rex, penes quem, vt in Monarchia fieri ſolet, omnis poteſtas erat: Chriſti tempore regebantur ea ſpecie Reipub. quam Ariſtocratiā Græcè Ioſephus nominat. Quid quæſo, poteſt te in diſputando infœlicius eſſe?

Quæris etiam, vnde Caiaphæ & eius Collegarum poteſtas in Chriſtum fuerit? Hoc à me ſupra fuſè & firmiter eſt declaratum: in præſentia breuiter reſpondebo à Deō primum fuiſſe. Deinde à Perſarum Regibus, atq; alijs illis, qui Iudęam ſibi ſubiecerant. Demum etiam à Romanis permittentibus. Quod Deus poſt reditum ex captiuitate non voluerit Rempub. per Regem aut monarcham gubernari, declarat Ezechiel. Cap. 44. de Sacerdotibus loquens: Et in controuerſia ipſi ſtabunt ad iudicandum: iuxta iudicia mea iudicabunt eam. De Perſarum Regibus ac Romanis declarant Eſdras, Nehemias, ac Ioſephus. Sed quid diſputo tecum? Tu ipſe ſcribis vos non negare, quin habuerint præhenſionem & cohercitionem in illis, quae ad ipſorum ritus ſpectabant. An tibi praehenſio & coercitio pars nulla videntur ciuilis iuriſdictionis? Sed, inquis, nōn licuit hoc ipſis ex verbo Dei: ſed fuerunt reliquię confuſionis, quæ ſub Macchabæis coepit. Hoc vnde probabis? Sanè Chriſtum & Apoſtolos nihil tale reperies in Sacerdotibus reprehendiſſe. Quinetiam ex verbo Dei contrarium probaui: quod non minus clarè ex hiſtoria Ioſephi cernitur. Quid dicam amplius? Nihil habes, quo te ſuſtentes.

Quàm infœliciter Synedrium per id tēporis, quo Chriſtus

docuit,

docuit, ciuilem iuriſdictionem habuiſſe neges, vidimus: nunc quomodo rationes noſtras refellas, quibus iudicia capitalia penes illud fuiſſe demonſtrauimus, inſpiciendum. Romani, inquis, nulli Regioni in Prouinciam redactę gladij poteſtatem permiſerunt. Ego hoc dico ipſa falſitate falſius eſſe, ſi de illis rebus intelligi etiam velis, quæ ad Religionem ſeu αὐτονομίαν, patrioſuè ritus ſpectabant. Et vt nunc de alijs nihil dicam, de Iudæa ſic probaui, vt mirer an aliquis ſanæ mentis porrò ſit negaturus poſt auditas noſtras probationes. Cur ergo Chriſtum, inquis, ab ipſis pręhenſum, vinctum, blaſphemiæ accuſatum, damnatum, non occiderunt, niſi quia ius gladij non habuerunt? Reſpondeo tibi, multas cauſas concurrere, & ſibi inuicem ſuccedere. Prima eſt, quod ſic Deo viſum fuerat, vt Gentilibus traderetur. Matth. 20. Propior eſt, quod propter feſti propinquitatem non poterant occidere: nec tamen viuere eum diutius volebant. Ob eandem hanc cauſam non introierunt in Prætorium, Iohan. 18. Huc accedit, quod intelligebant ſe hoc pacto facilius iram populi euitaturos. Ideo ſcribit Lucas, eos quæſiuiſſe, hoc eſt, captaſſe occaſionem occidendi. Et Iudam ait quæſiuiſſe rationem, qua ſine turba eum traderet, Luc. 22. Sic enim ratiocinabantur. Si nos eum occidemus iuxta legem blaſphemi Leuit. 24. lapidibus à populo erit obruendus: in quo concurſu populus facilè mouebit turbas. Si Romanus Præſes fecerit, nullus ſe opponere audebit. His adde, ſi lubet, quod eum cupiebant crucifigi (Sic enim mori eum oportebat) quod clamoribus ſuis apud Pilatum abundè probant: Lex autem blaſphemum lapidibus necare iubebat. Poſtrema eſt, quod apud Pilatum eum accuſarunt pręcipuè, quod populum aduerſus Caeſarem concitaret, quod tributum dare prohiberet, ſeque Regem faceret. Quæ cum falſa compeiiſſet Pilatus, & damnare ob id nollet, veriti ne eum abſolueret, addunt blaſphemum eſſe, & ſecundum eam legem ei moriendum eſſe. Cum ne ſic quidem proficerent, ſed multò magis nutare Pilatum cernerent,

 hoc

hoc obijciunt, eum Cæſaris amicum non fore, ſi eum, qui contra Cæſarem ſe Regem faceret, impunitum dimitteret. Quare cum propter hanc cauſam, propter quam præcipuè accuſarant, ipſi punire neminem poſsint, rectè dicunt, ſibi nullum occidere licere. Propter blaſphemiam occidere potuiſſent, ideoque Pilato dicunt Legem ſe habere, ſecundum quam moriendum ei eſſet. Cum à Pilato, qui ob eam cauſam damnare eum nollet, iuberentur ſecundum eam legem necare, propter dictas cauſas noluerunt. Etenim Prophetias impleri oportuit, ipſis etiam neſcientibus? Habes cauſas, vt hic nec Chryſoſtomi nec Auguſtini defenſionem fruſtra ſuſcipiam.

Ad id, quod dixi, Pilatum permittere, vt ſecundum legem ſuam ipſimet eum condemnarent, ideóque fateri Pilatum, ipſis licuiſſe patriarum legum tranſgreſſores capite plectere: Reſpondes, negando Pilatum illis capitale iudicium conceſſiſſe. Ratio tua eſt, quod Iudæi cupidè arrepturi fuiſſent hanc occaſionem, cum nihil magis exoptaſſent. Item per ſarcaſmum dixiſſe Pilatum, tollite eum vos & crucifigite eum. Haec eſt egregia tua ad argumentum noſtrum reſponſio. Nego tibi Pilatum non conceſſiſſe ipſis capitale Iudicium, quod ex permiſſu Caeſaris habebant, cum dixit, Accipite eum vos, & ſecundum Legem veſtram iudicate eum. Item cum dixit: Tollite eum vos, & crucifigite eum. Non fuit ſarcaſmus hac in parte: ſed quum capitale crimen in eo non inueniret, atque ideo ſecundum Leges Romanorum interficere non poſſet, iuſſit vt ſecundum ſuas Leges ipſi eum occiderent.

At, inquis, cupidiſſimè hanc occaſionem arripuiſſent. Imò verò habebant iam poteſtatem: ſed quoniam Deus volebat Chriſtum à Gentibus necari, factum quoque eſt, vt non antè caperetur, quàm inſtaret iam, imò incepiſſet paraſceuë Paſchatis. Hanc ipſemet Chriſtus cauſam eſſe dixit, Matth. 26. quod eum in Templo docentem non coeperint. Praeterea iniecerat Deus ipſis

metum.

metum populi. Matth. 26. Mar. 14. quae res fecerunt, vt cum viuum ferre amplius non poſſent mortemque differri longius nollent, à Pilato contenderint, vt eum de cruce ſuſpenſum necaret. Certè ſi debuiſſet à populo lapidibus obrui, vt Stephano poſtea accidit, blaſphemique occidi ſolebant, vix abſque tumultu futurum praeuidebant.

Stephano exemplum produxi, vt in cauſis ad Religionem attinentibus capitalia iudicia penes Synedrium fuiſſe monſtrarem. Hunc etenim captum & coràm iudicio accuſatum (ſed falsò) libera reſponſione eius exaſperati extra vrbem lapidari iuſſerunt. Et, quod Lex iubet, teſtes primos lapides in damnatum iacere, factum hoc fuiſſe ex eo dixi apparere, quod ſcribitur, teſtes depoſuiſſe veſtes ſuas ad pedes Sauli Actor. 7. & 22. Ex his concluſi Stephanum non ſic per tumultum occiſum, quomodo qui à vulgo interficitur, quod interficiendi ius non habet. Per tumultum complura hic ſunt facta, & quidem iniuſtè, fateor: attamen hiſtoria docet, eos habuiſſe poteſtatem præhendendi, iudicandi, condemnandi, & demum occidendi. At, inquis, cum nondum peroraſset, ac priuſquam eum condemnaſsent ex vrbe eiectum lapidarunt. Concedo de condemnatione nos nihil legere: at ſecundum ſuam opinionem manifeſtum erat ipſius crimen, ſcilicet blaſphemiæ, cum ſe diceret, Ieſum videre à Dextris Dei. Quod de eiectione dicis, indignum eſt reſponſione. Quis enim non videat falſum eſse hanc propoſitionem: Quicunque iuſsu & permiſsu Iudicum eijcitur ex loco aliquo & exciditur, is per tumultum occiditur ab ijs, qui ius interficiendi nullum habent? Cum apertè falſa hæc ſit enunciatio generalis, quomodo tu ſubiectione ſingularis concludere te credis?

Conaris & illud eludere, quod de Apoſtolo Paulo legimus, eum accepta poteſtate à Principibus Sacerdotum ad Synagogas, viros & fœminas in carcerem conieciſse, atque ſuo etiam ſuffragio occidiſse, Actor. 26. Quem

locum miraris à me non prolatum. At non mirareris, ſi Theſes correctas vidiſſes: & cogitaſſes me non ſperauiſſe Theologos inuentum iri adeo audaces, qui negare eiuſmodi vellent. Si potuerunt dare facultatem Apoſtolo pios etiam alibi viuentes, (vt Damaſci) comprehendēdi, in carcerem conijciendi, Hieroſolymam pertrahendi, ſuffragioque ſuo interficiendi, certè habuerunt ipſi quoq; eandem. Sanè Apoſtolus ingenuè coràm Prǣſidibus Romanorum fatetur ſe iſta feciſſe, ac poteſtatem faciendi à Sacerdotibus & Senioribus accepiſſe, Actor. 22. & 26. nec reprehenſos vel Pontifices vel Paulum hanc ob rem legimus, quaſi aliquid contra Romanorum voluntatem ac iuſſa egerint. Puto te Cap. 5. Act. non ſatis attentè legiſſe, cum iſta reprehenderes. Etenim ſolum nobis ſufficere poſſet. Capiunt ibi Apoſtolos palàm, & quidem per publicos Miniſtros, per Templi στρατηγὸν & ſuos ὑπηρέτας: collocant in cuſtodia publica: conuocant totum Cōcilium: iubent dicere ſententias: deliberant de interficiendis, καὶ ἐβουλεύοντο ἀνελεῖν αὐτούς: & à Gamaliele aliter perſuaſi, cædi eos imperant. Quid quæſo amplius petis? Si non habuiſſent poteſtatē tollendi, Gamaliel dicturus certè videtur fuiſſe, non debere eos hoc facere, ne irritarent Romanos. At neq; alij neq; ipſe tale aliquid dixiſſe legitur: tantum cauere monet, ne tādem θεομάχοι reperiantur. Quæ cum nobis omnia ſacræ literæ præſcribant, quomodo nō te pudet negare, capitalia iudicia penes Synedrium illum fuiſſe? Sed age videamus quid reſpondeas.

Coercitionem modicā & præhenſionem, inquis, cauſa religionis habuiſſe non negamus. Sed hæc licentia orta eſt ex cōfuſione vtriuſq; iuriſdictionis: quas Chriſtus poſtea ſeparauit. Si verum eſt, quod dicis, peſſimè contendunt alij tui ſocij in praeſente cauſa, non poſſe vllum excommunicari à Miniſtris & adiunctis ipſorum, niſi accedat conſenſus Magiſtratus. Hi ergo coniungunt iterum, quæ Chriſtus te iudice ſeparauit. At multò te hic ſentiunt rectius. Vbi, rogo te, diſtinxit externam gubernationem in Eccleſiaſticam & ciuilem, eo modo ſcilicet quo vos

diſtin-

diſtinguitis? Aut quo in loco tribuit presbyterio ius publica de moribus iudicia habendi à Sacramentis arcendi? ac magiſtratus, quibus parere debebant, ſibi ſubijciendi? Excipies fortaſsè, te id ſupra probauiſſe, cum cap. 18. Matth. tractares. At verò ſic probaſti, vt me atque omnes intelligentes adeoque temetipſum neceſſe ſit tui miſereri. Ego autem veris & indiſsolubilibus argumentis & teſtimonijs tum ſacrae tum prophanae hiſtoriae demonſtraui, Synedrium Iudaicum ius & poteſtatem habuiſſe de capite iudicandi, adeoque verum fuiſſe magiſtratum: idque ex voluntate atque ordinatione Diuina. Legito Ezech. Eſdram, Nehemiam, Ioſephum, ſi adhuc dubitas. Vides ergo Paulum, cum ſe ſuffragium atque ſententiam de morte & capite Chriſtianorum à ſe captorum dixiſſe profitetur, non hoc ſolum voluiſſe dicere, ſe aſsenſum fuiſſe, ſed hoc quod verba ipſa verè ſonant. Fruſtra igitur producis ex hiſtoria, quae Iudaei, vel tunc vel aliquot poſt ſeculis per impotentiam egerunt.

Verum ſi poterat, inquis, à Synedrio damnari capitis, quid erat neceſse concipi votum de eo interficiendo in via? Reſpondeo ob id factum, quod in ſua poteſtate eum non amplius haberent. Votum ergo illud conceperunt mali nebulones, vt gratificarentur Senioribus illis, quos videbant vnicè cupere Pauli mortem. Sciebant ijdem Romanos non temerè occiſuros quenquam propter religionis cauſas, ſi in ſua poteſtate haberent. Lyſias quoque non de Religione quaerit, ſed num Aegyptius ille ſit, interrogat, qui ſeditionem excitaret. Deinde cum propter excitatam inter Iudæos diſsenſionem periclitari eum videret ne diſcerperetur, rapi iuſsit è medio illorum. Quod cum vidiſsent Iudaei, facilè intellexerunt, non ſibi datum iri poteſtatem eum occidendi, praeſertim cum ad ſui defenſionem abſque vinculis productum conſpicati fuiſſent. Et cum Paulus ait. 23. Actorum, Tu ſedes iudicans me ſecundum Legem, an non agnoſcit eum Iudicem? Et paulò poſt, cum diceret: Neſciebam quod eſset Pontifex, ſcriptum eſt enim, Principi populi tui non maledices, an non pro Principe agnouit Pontificem? Cur ergo accuſant coram

Felice

Felice, & non potius ſibi dedi poſtulant? Cauſa ex hiſtoria nota eſt, & ex epiſtola Lyſiæ: quia nolebat occidi hominem Romanum, in quo crimen mortis aut etiam carceris nullum reperiebatur. Paulus quoque negabat ſe contra legem aliquid feciſse: & rem ita habere probabat, Act. 24. & 25. Miror ergo cur putidas haſce interrogatiunculas nobis obijcias. Ego ex te hîc multò iuſtius quaero, cur non verba Tertulli oratoris cap. 24. notaueris? aut ſi notauiſti, cur diſsimulaueris. Hunc Paulum, inquit, à nobis comprehenſum voluimus ſecundum legem noſtram condemnare: niſi Lyſias ſuperueniſset, magnaque vi eum è manibus noſtris eripuiſſet. Audis hic conquerentes, quod Lyſias per vim, nullo iure, ipſis eum eripuerit? ac proinde in cauſa fuerit, quò minus eum potuerint ſecundum legem ſuam condemnare? Patet ex his & petiuiſse Iudæos eum ſibi dedi, quod etiam à Feſto petiuiſse videntur: at non erat in more Romanorum poſitum, vt Romanum hominem, quem in ſua tenerēt poteſtate, facilè alijs traderent.

Quod de Feſto obijcis interrogante num Hieroſolymis vellet apud ſe iudicari, miror quomodo obiicias, cum apertè in textu dicatur, Feſtum voluiſſe hac in re Iudaeis gratificari. Ergo falsò dixit, apud me, cum Iudaeis vellet concedere: quod & Paulus intellexit, cum ſic reſpondit. Sto ad Caeſaris tribunal, vbi me oportet iudicari: Iudaeos iniuria nulla affeci. Quod ſi non hoc cogitaſſe Feſtum contendas, id ſaltem meminerat Apoſtolus, in quanto periculo fuiſset antea Hieroſolymis. Sed interpretare hæc vt libet, ſemper hoc conſtabit nihilominus, eos poteſtatem habuiſſe de capite iudicandi in cauſa religionis ac rituum ſuorum. Probaui hæc omnia fuſius in ſuperioribus: quæ hic repetere non eſt opus.

Quæ de Gallione Præfecto Corinthiorum, & de Epheſiis hic commemoras, ad rem praeſentem nec tibi vſui eſſe poſsunt nec mihi. At illud, cuius cauſa ego protuli, pulcherrimè declarant: nempe non potuiſſe Synedrium Iudaicum in cauſis iniuriarum, & ad religionem non ſpectantibus parere nolentes cogere: quod idem tu ſupra de Corinthiis

rinthiis quoque rectè affirmabas. Ergo permittit Chriſtus iniuria affecto, ſi quidem iniurioſus nolit deſinere iniurius eſſe, poſtquam ab Eccleſia admonitus fuit, ſic cum aduerſario agere, atque ſi cum Ethnico vel cum Publicano lis ei eſſet: qui coràm alio magiſtrátu conueniri tunc non poterant, quam Romano. Sic dum malè conſutæ laceræque veſtis tuae partem vnam infeliciter ſarcire ſtudes, aliam imprudenter laceras.

Synedrium Eccleſiaſticum apud Iudaeos nullum fuiſſe, ſic, puto, declarauimus, vt omnes homines intelligentes infelices tuos conatus miſeraturi ſint. Argumentum vnicum ex Ioſaphati hiſtoria perperam expoſita protuliſti; quod falſiſsimum eſſe oſtendi: ſimulque mea contra veſtrum Presbyterium firmiſsima permanere demonſtraui. Iam ergo quomodo probes Iudaico Synedrio ſucceſſiſſe Presbyterium noui Teſtamenti videamus. Quanquam ridiculum eſt velle videre, an hoc illi ſuccedere debuerit, cum indiſsolubiliter monſtratum ſit, illud nunquam fuiſſe vel à Deo inſtitutum, vel à Iudæis vſurpatum: attamen ne querare nos aliquid omiſiſſe, agè hæc etiam percurramus.

CAP. V.

Confutatio argumentorum pro Presbyterio, ex nouo Teſtamento conquiſitorum.

PRimo loco ſic ratiocinaris. Neceſsaria fuit initio naſcentis Eccleſiæ cognitio de doctrina, de offendiculis: In ſumma opus fuit, vt aliqui Iudices conuenirẽt ad eligendos miniſtros, ad conſtituenda Diaconorum & viduarum Collegia. Ergo Presbyterium excommunicantium ſucceſsit Synedrio Iudaeorum. Reſpondeo cognitionem fuiſse neceſsariam: ſed tuum modum fuiſse neceſsariũ, nego. Etenim ſcriptura nõ neglexiſset nobis eum exponere, ſi neceſſarius fuiſset. Quę nobis tradidit, eum ego ſolum neceſsariũ eſse iudico. Docuit ea nos quid, quomodo, per quos, agendum ſit cum falſis Doctoribus & impu-

impuræ vitæ hominibus: at non docuit veſtrum Presbyterium inſtituere, multò minus docuit peccatores poenitentes tantiſper à Sacramentis arcere, dum veſtris Presbyteris digni cenſeantur. Et quo pacto ſequitur, oportet aliquos eſſe Iudices in Eccleſia, qui de his rebus cognoſcant, miniſtros eligant, Diaconorum & Viduarũ Collegia curent: Ergo presbyterium excõmunicantium ſucceſsit in locum Synedrij Iudaici? Hoc perinde eſt, ac ſi quis concludat, hoc eſſe animal, & proinde canem eſſe: cum poſsit equus eſse aut auis, aut aliud quodpiam. Legimus Apoſtolos dediſse miniſtros Eccleſijs: & eoſdem non totis Eccleſijs: ſed earum miniſtris præcipiſse, vt eis proſpicerent cap. 1. ad Titum: at non legimus excommunicantium Presbyterorum Collegium hoc facere debuiſse.

Quid poſt tempora Apoſtolorum ſit factum, non valdè laboro in huius litis explicatione: quam ſolis ſcripturæ teſtimonijs dirimi oportet. Hoc interim ex te velim audire, vbi gentium hoc tuum presbyterium fuerit? Equidem in Orientis Eccleſijs non fuiſse, clariſsimè docet hiſtoria Eccleſiaſtica: quæ hanc poteſtatem non tribuit presbyterorum aut aliorum conſeſsui, ſed Epiſcopis. His enim ſolis dictum fuiſse putarunt Veteres, quicquid ligaueritis &c. Et ſanè 18. Matth. (de altero loco nemo ambigit) tametſi Eccleſiæ mentio facta fuiſset, non ad hanc, ſed ad Apoſtolos verba hæc locutus eſt Chriſtus. Si conſiderare voles quæ hiſtoriae de presbytero poenitentiario vocato tradunt, omninò tibi diſplicebis. Si quod tale vnquam in Eccleſijs exſtitit Presbyterium, in ſola Africa fuit: in aliarum orbis regionum nulla. Quare nec veteris Eccleſiae exemplis te defendere poteris: de quibus tamen parum ſoliciti nunc ſumus. Hoc enim ſolum quærimus, quod ſcriptura iubeat. Ad miniſtrorum electionem quod attinet, etiam tunc, cum excommunicatores in Eccleſia eſsent, non ab his, ſed ab Eccleſia poſt Epiſcopos electos fuiſse eos nouimus.

CAP. VI.

De Presbyterorum electione, ex quibus iudicium conſtare debeat, & quando inſtitutum fuerit.

QVanquam verò de nominibus nõ valdè ſum anxius, cum de re conſtet, tamen obſeruandum eſt, magnum eſſe diſcrimen inter iudices, qui, an aliquis ad miniſterium ſit aptus, & quomodo pauperibus atque Viduis ſit ſubueniendum, iudicant: & illos Cenſores, qui in conſeſſu publico cum authoritate & coactione ſententias dicunt de repellendis vel admittendis ad Sacramenta: quique verè pœnitentes à ſimulatoribus dignoſcere poſse putantur. Ergo nullo in loco dixi, Eccleſiam ſceleratos debere interficere, cum magiſtratu caret. Hoc autem dixi, licere Eccleſiæ comprecari Deum, vt qui enorme aliquod ſcelus perpetrauit, puniatur, quomodo ipſi videatur. An non ſemper in publicis precibus hoc ſolet Eccleſia facere, ſcilicet orare Deum, vt hoſtes Euangelij vel conuertat, vel perdat? Cur non idem contra immaniter facinoroſos facere poſsit? Certè Apoſtolus Corinthios non reprehendit, quod non interfecerint inceſtuoſum; ſed quod non rogarint Deum, vt eum è medio ſui tolleret. De cæteris, quæ hîc præterea ſcribis, ſoepè iam eſt dictum.

Secundo loco probare conaris, Presbyteros excommunicatores à Paulo non fuiſse tunc inſtitutos, cum in 1. Cor. 6. aliquos litibus περὶ βιωτικῶν præfecit: quod libenter tibi concedo: quia verum eſt, & à me firmius probatum, quàm hoc in loco tu probes.

Tertiò, ne Diaconos quidem ad hoc eligi affirmas, vt veſtri Presbyterij munus gerant: quod & ego ſentio ac dico.

Quartò contendis non ſolis miniſtris hanc demandatam eſſe prouinciam, tametſi ad hos præcipuè ſpectet veram doctrinam tueri, offendiculis priuatis & publicis mederi, arguere, monere, increpare, adeoque ligare & ſoluere. Concedo hæc

quoque omnia, niſi quod nec ſolis miniſtris nec vnà cum alijs data eſt authoritas excommunicandi. Quomodo ſoluant ac ligent miniſtri & alij, ſupra expoſui. Quinam igitur iudicio ſuo ſunt miniſtris adiungendi? Paſtores, inquis, ſeu Prophetæ, & peculiariter nominati Doctores. Sed quomodo hoc probas? Reſpondes, te ſequentibus argumentis probaturum: quæ priuſquam conſideremus, argumentum quoddam meum me defendere oportet: quod hoc loco tu pro tua conſuetudine immeritò equidem ſugillas. Eſt autem tale.

In nouo Teſtamento, quoties nomen Presbyteri pro munere ſeu officio ſacro, non pro ætate, ponitur, nuſquam poſitum inuenimus pro alijs, quàm pro miniſtrantibus verbo. Ergo falſum eſt, Apoſtolos præter verbi miniſtros alios quoſdam Presbyteros eligi mandaſſe, quorum aliud eſſet munus. Excipio interim hîc, vt aliàs ſemper, Arbitros litium apud Corinthios ordinatos: ſi quis fortaſsè velit hos Presbyteros nominare. Hoc argumentum tu ſic refelli putauiſti. Non magis efficax, inquis, eſt hoc argumentum, quàm ſi pariter concludas, nullos fuiſſe alios Presbyteros, quàm Apoſtolos, quoniam & iſti interdum Presbyteri dicuntur. Mirificus es diſputator. Non ſic argumentatus ſum: miniſtri aliquando vocantur presbyteri. Ergo præter miniſtros nulli alij ſunt presbyteri. Sed ad tua. Negare non potes, quin presbyteri vocentur in ſcriptura alij quidam præter Apoſtolos: & nihilominus affirmare audes, ſimile tuum eſſe argumentum meo. Ego ſic dico: vbicunque presbyteri ſit mentio, ſemper ſignificat eum, qui verbum tractat. Ergo præter hos nullus reperitur presbyter in nouo Teſtamento. Si tuum vis ſimile eſſe, ſic erit formandum. Vbicunque nomen presbyteri ponitur in nouo Teſtamento, ſemper ſignificat Apoſtolum. Ergo præter Apoſtolos nulli nominantur presbyteri in nouo foedere. An non vides Antecedens tuum manifeſtè falſum: meum autem perſpicuè verum eſſe? Apage cum iſtis refutationibus. Si voles, quod poſt Apoſtolorum tempora Eccleſiae fecerint, obſeruare, intelliges nunquam Veteres

nomen

nomen presbyteri aliter vſurpaſse. Quippe hiſtoria Eccleſiaſtica presbyteros præter miniſtros verbi nullos nouit. Sed nec Africani Iudices, de quibus loquuntur, presbyteros vocarunt: niſi re vera tales, hoc eſt, verbi miniſtri ſimul eſſent. Figmentum igitur hoc veſtrum vobis relinquimus.

Primum argumentum tuum hoc eſt. Ad Synedrium Iudaeorum legebantur praeter Leuitas & Sacerdotes aliarum Tribuum praecipuae authoritatis viri. Ergo praeter miniſtros continet presbyterium Prophetas & Doctores. Mirandum eſt, ſi non aduertiſti, quàm hic ſis miſer. Primum enim negaſti ſupra ad Prophetas teſtamenti veteris pertinuiſse hanc poteſtatem, ſed fuiſse eam Sacerdotum duntaxat ex inſtitutione Moſis. Proinde locum te monſtrare conuenit, qui Prophetis noui foederis tribuat hanc facultatem, quam prioribus Deus negauerat. Deinde nullos hodie habemus Prophetas, præter ſcripturarum interpretes, id eſt, publicos Miniſtros & doctores. Tertio ſi adiungendi ſunt Miniſtris Doctores, ne ſolis illis vrbibus inſtitui poterit presbyterium veſtrum, in quibus ſcholæ publicæ ſunt. Nam alibi vix reperies Doctores ſeu docentes Theologiam publicè præter miniſtros. Quid igitur vrbibus atque regionibus alijs fiet? Quarto pugnant hæc expreſsè cum eo, quod ſupra dixiſti, ſcilicet de cōtemptoribus verbi Dei & Sacramentorum cognoſcere, ad illos neceſsariò pertinere, quorum ſit Sacramenta & verbum diſpenſare. Nam Doctores non adminiſtrant Sacramenta, quicunque non ſunt etiam miniſtri. Quinto non ſatis conueniunt cum ijs quae ad Galliæ principes in quadam præfatione ſcribis, vbi Magiſtratus quoque participes facis huius dignitatis. Sexto, aduerſatur his tuis verbis, quae in Epiſtolis tuis poſt hoc ſcriptum exaratis leguntur. Presbyterium partim ex paſtoribus partim ex Presbyteris propriè ſic appellatis, quos Paulus gubernationes vocat, compoſitum eſt. Septimo non habemus etiam paſtores alios quàm miniſtros & Magiſtratus.

Iam

Iam ad argumentum tuum venio. Nec antecedens, nec conſequens, nec conſecutio vera eſt. Etenim apud Iudaeos Synedrium ſacrum tale nullum fuiſſe demonſtrauimus, quale nobis Presbyterium vos fingitis. Deinde quomodo tibi conſtas? Supra volebas Synedrium hoc Iudæorum à Moſe inſtitutum & mandatum fuiſſe Leuit. 10. vbi Aharoni & filijs eius mandat, vt populum doceant legem intelligere, & munda ab immundis diſcernere: quae verba ſoli Aharoni & filijs ac ſucceſſoribus eius dixit: nec in ſe continent praeceptum de erigendo Iudicio publico de moribus. Hîc autem vis etiam Leuitas, & praeter hos Principes aliarum Tribuum ſeu familiarum coniungi: quod etiam ſupra in hiſtoria Ioſaphati ſimili errore dixiſti. Conſequens falſum cenſebunt omnes homines, niſi teſtimonium ex ſacris literis producas. Conſequentiam etiam pueri intelligent falſam eſse.

Alterum eſt tale. Si non ex toto corpore aliqui delecti ſedeant, vix illis conueniet nomen vniuerſale Eccleſiæ. Ergo Prophetas & Doctores ibi ſedere cum miniſtris oportet. Vt antecedens verum ſit, quis vel conſecutionem tibi largiatur, vel conſequens admittat. Falſum eſt conſequens: nec ex Antecedente vllo pacto ſequitur. Puto oblitum te eſse, quod ſupra dixiſti, Eccleſiae nomen in Chriſti verbis ſignificare Synedrium, non turbam totam. Quid ergo vetat, quo minus aliquot miniſtri ſufficiant, cum apud veteres ſoli Epiſcopi repreſentarint hac in parte Eccleſiam?

Tertium, hoc velut fræno cohercetur Paſtorum & populi poteſtas. Ergo Deus iuſsit Prophetas & Doctores cum miniſtris diſtinctam iuriſdictionem ab ea, quæ magiſtratui debetur, de vicijs cohercendis exercere. Puto nunc tandem omnes riſuros, cum ego ſummè cogor miſerari vicem fortunamque tuam. Non vides falſa eſse vniuerſa? Alij contendunt hanc poteſtatem Eccleſiae ſeu populi eſse: tu hac ipſa populi poteſtatem quaſi fraeno vis coherceri.

Quartum & quintum tale eſt. Apoſtolus in Epiſt. ad Romanos

manos, & in 1. ad Corinth. 12. meminit τῶν προϊσταμένων καὶ τῶν κυβερνήσεων manifeſtè à cæteris donis diſtinguens. Ergo ad Miniſtros allegi oportet ad Presbyterium excõmunicantium Prophetas & Doctores. Reſponſio eadẽ eſt, quæ ſupra. Nam conſecutio impoſſibilis eſt probatu. Quoniam vt in præſentia cætera ſileam, quibus teſtimonijs probabis, Paulũ per gubernationes intellexiſſe tale Presbyteriũ, de quali vos loquimini? Potius cœlum terra erit, quam iſtud ex ſacris literis tu ſis demonſtraturus. Valde namq; multa ſunt genera Gubernatorum. (Miror cur non etiam τὰς δυνάμεις adduxeris. Etenim nulla maior eſt δύναμις ſub cœlo facultate Excõmunicandi: quæ omnes poteſtates orbis Chriſtiani terruit) Sed nec verius eſt conſequens. Qui namque probabis Prophetas & Doctores ſignificatos fuiſſe per προϊσταμένους & κυβερνήτας? Imò verò quomodo te ipſũ à contradictione vindicabis? Supra dixiſti prouinciam hanc à Deo per Moſen ſolis Sacerdotibus impoſitam fuiſſe: quando Leuit. 10. eos iuſsit munda ab immundis diſtinguere, ac populum legem voluntatemq; Dei docere. Poſtmodum etiam Leuitas & Patriarchas addidiſti veteribus. In nouo fœdere negas ſolis Miniſtris conceſſum eſſe ius hoc Presbyterij ſeu excõmunicandi: ſed cooptandos eſſe præterea Prophetas & Doctores. Deinde his etiã adiungis τοὺς κυβερνήτας apud Paulum & τοὺς προϊσταμένους, velut alios à Miniſtris, Prophetis, Paſtoribus, & Doctorib⁹. Quod ſi Prophetæ & Doctores docent, non fuerunt addendi velut diuerſi à Miniſtris & docentibus: niſi fortè ob hanc cauſam diſtinguas, quod non adminiſtrant Sacramẽta. At hoc quomodo verum defendes, τοὺς προϊσταμένους alios eſſe à Miniſtris? An non Apoſtolus Miniſtros vocat προεστῶτας in 1. ad Tim. 5. & 1. ad Theſſ. 5. cap. Poſtremò an in Presbyterio Allobrogico ſoli Prophetæ & Doctores cum Miniſtris ſedeant, (Audio non ita eſſe) affirmare non poſſum: alibi non obſeruari certo ſcio. Fideli opus eſt memoria falſa defendentibus. Nam vt vera vbique conſonant, ſic falſa paſsim diſcordant.

Vltimum argumentũ (niſi deinceps alia inueniam: quæ non ſint in margine annotata) hoc eſt. Paulus in 1. ad Tim. 5.

ſcribit, Presbyteros, qui bene præſunt, duplici honore dignos eſſe, maximè verò τοὺς κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Ergo ad Presbyterium noſtrum iuſſit Deus cum Miniſtris allegi Prophetas & Doctores. Hæc enim tua fuit Propoſitio, cuius nobis probationem pollicebare. Proinde optima fide tua argumenta recitaui: quod ideo moneo, ne quis, cum parū venuſta & appoſita videbit, arbitretur me non rectè repetiuiſſe. Antequam reſpondeam ad argumentum, illud obiter tantum monebo, te ſupra dixiſſe, προεστῶτας inter eos non poſſe numerari, qui docent: hic autem Paulus ex tua ſententia ipſos numerat non tantum inter eos, qui diligenter docent, ſed & inter eos, qui pulchrè & benè præſunt ſiue gubernant. Nam in doctrina & verbo ſedulò laborantes, dicit, benè preeſſe. Iam ad rem.

Hoc argumentum in Theſibus refutaui, dicens, κοπιᾶν conſignificare diligentiam & laborem adeoque defatigationem: vnde Græci κόπον appellant affectum quem Latini laſsitudinem nominant. Hinc Chryſoſtomus non κοπιῶντας vocat delicatos aut remiſſos, qui contra gelu & ſpinas iugum non ſuſtinent. Ad id tu reſpondes: non negare te emphaſin hic eſſe in verbo κοπιᾶν minimè negligendam: at ſi mea expoſitio valeat, fruſtra addita hæc eſſe, ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Abſurdam enim hanc eſſe orationem. Omnibus verbum Dei docentibus benè cupio, præſertim verò diligenter verbum Dei docentibus. Loquendum ſic eſſe potius: omnibus verbum Dei docentibus benè cupio, ijs præſertim qui diligenter docent. Primò quidem non propoſui ego exemplum orationis tale, quale tuum eſt. Hæc namque mea ſunt. Paſtoribus omnibus benè volo, ijs præſertim, qui ſumma fide, induſtria, labore, oues ſuæ fidei creditas paſcunt. Omnes ſtudioſos amo, præſertim verò dies & noctes ſtudijs ſuis inuigilantes. Non prorſus eadem verba ſunt, Paſtor, & paſcere: item ſtudioſus, & ſtudere. Itaque non eſt talis verborum ταυτολογία qualem tu proponis. Sic Apoſtolus diuerſa ponit, καλῶς προεστῶτας, & κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Vides iam, non meam expoſitionem, ſed tuam accuſationem,

vanam & inanem eſſe?

Quod ſi etiam quis hoc modo loquitur: omnibus qui verbum Dei rectè ſincereque docent, bene cupio, ijs præſertim, qui id magna ſedulitate docent; an abſurdè locutus videbitur? Non puto. Sic enim loqui ſolemus omnes aliquando. Hoc tantum diſcrimen eſt, quod vocibus, verbum Dei, non repetuntur, ſed pro ijs ponitur pronomen, Id. Quia rectè docere omnes Miniſtri poſſunt, & inter hos nihilominus alij alijs in munere ſuo diligentiores eſſe poſſunt, ideo dicit Apoſtolus omnes tales duplici honorario dignos eſſe: illos præſertim, qui in ſuo officio docendi, & exhortandi ſint magis ſeduli, imò ad defatigationem uſque laborent. Docui pluribus ex ſcriptura locis, non poſſe nec debere aliter locum hunc exponi: præcipuè verò id probat clarè is, qui in 1. ad Theſſ. 5. habetur. Rogamus autem vos fratres εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ, &c. Qui non videt hunc locum exponere illum, ſiue vnum eſſe alterius interpretem, is plusquàm cæcus eſt.

Quem habes (quæſo te) tuæ expoſitionis authorem apud Veteres? Nullum. Quoniam duplex hoc Presbyterorum genus ignorarunt; ſed ingenuè confitentur omnes Presbyteros eſſe Sacerdotes. Legito Athanaſium, Chryſoſtomum, Theophylactum, Oecumenium, Ambroſium. Etſi enim hic Seniorum facit mentionem, attamen & de longè alijs intellexit, & Paulum de ijs hic loqui non dicit. Ipſe namque in lib. de dignitate Sacerdotali aſſerit omnes Presbyteros eſſe Sacerdotes. An non ſatis indicat Apoſtolus, ſe de eiuſdem ordinis hominibus loqui, dum idem & æquale omnibus præmiũ tribuit? Ineptit qui putat ipſum voluiſſe eodem præmio honorari Veſtros Presbyteros, quo Miniſtros iudicauit dignos. Quis ſo verò quiſquam hodie idem vtriſque ſtipendium decernat. Denique ipſum quoque teſtimonium de boue triturante, quod alibi quoq; Miniſtris verbi accommodat, non nihil ſententiã declarat. Taceo iam, quod pleriqúe omnes recentiores, veſtris exceptis, duplicẽ hunc Presbyterorũ ordinem reijciunt: quod nuper admodũ

Wirtenbergenſes Theologi contra Ieſuitas præclarè teſtati ſunt. Sic vides tertium cauſæ veſtræ fundamentum te prorſus perdidiſſe,ac proinde ſpe omni excidiſſe.

Sex argumenta tua,quibus probare volebas,ad Presbyterium veſtrũ præter verbi Miniſtros allegendos eſſe Prophetas & Doctores peculiariter vocatos,in fumum abierunt,& nuſquam comparent amplius, à veritatis lumine diſſipata. Quare de alijs tibi cogitandum noris.

Ab his tuis argumentis tranſis ad reprehenſionem eius, quod dixi, nõ debere duos Magiſtratus ſeu duas iuriſdictiones in vna Repub. poni, quæ coactionem ambæ habeant: Eſſe enim Excommunicationem velut exilium quoddam. Cum ergo primũ hic quæris, an biceps fuerit populus Iſraeliticus præcipuè ſub Rege Ioſaphato, cùm vnus Regis, alter Dei negotijs diſtinctè præeſſent: reſpondeo tibi non fuiſſe bicipitem. Addo etiam diſtincta de moribus Iudicia neque aliàs neque tunc in illo populo fuiſſe: vt ſatis ſupra declaraui. At iudicia, inquis, de mundis & immundis oſtendimus apud Synedrium fuiſſe. Quo loco oſtendiſti? Leuit. 10. Ezech. 44. demonſtratur Sacerdotibus hoc iudicium eſſe commiſſum: At Iudicium de moribus cum eorundem coercitione Sacerdotibus permiſſum eſſe in æternum non docebis. Dico ſic, vt haberent Iudicium hoc diſtinctum à politico iudicio. Nam Sacerdotes etiam fuiſſe Iudices & Præfectos, muneraque obiuiſſe Politica omnia, & per ſe ſolos, & cum alijs, & ſub Regibus, ſic eſt notum, & à nobis ita demonſtratum, vt qui deinceps negare audeat, meritò iudicetur ſimulare, vt leniſſimè dicam.

Adfers etiam exemplũ Vzziæ Regis ſuffire volentis, & Sacerdotis prohibentis. Verũ quorſum hæc Deus apertè vetuerat omnib⁹ preterquã Aaronitis ſacrificare & ſuffire aliaq; talia agere: cauſam expoſui iam ante. Iuſſit etiã Deus Sacerdotibus, vt legem alios docerent, & quid quiſq; facere deberet, indicarent omnib⁹. Rectè ergo dixit Azarias: Non eſt tuum ſuffire Iehouæ: Sed Sacerdotum filiorum Aaronis, &c.

Oſtende tu nobis eodem modo à Deo inſtitutum veſtrum Presbyterium, vt ordinatum legimus Aaronis Sacerdotiū: Deinde commonſtra ſic eſſe ei imperatum diſtinctum iudiciū à Iudicio Magiſtratus de moribus coercendis inſtituere, vt nos munus ſuffiendi imperatum oſtendere poſſumus. Horum ſi nihil potes, quid nobis iſta obijcis?

Dauidem, dixi ego, nec per Prophetam Nathan, nec per Sacerdotes, aut alium quemlibet iuſſit Deus excommunicari. Reſpondes, Prophetam non habuiſſe ius hoc. Rectè: ſed nec ius habuit puniendi: tamen denunciauit ei ſententiam Domini: denunciaturus etiam excommunicationem erat, ſi iuſſus fuiſſet. Quod ſi aliud non eſt, quam promulgatio Excommunicationis in cœlo factæ, qui magis conueniebat alijs, quam Prophetis? Certè Prophetæ ſœpius talia denunciarunt iudicia, quam vlli alij. Nugaris igitur. Iccirco rectius alij reſpondent, ideo non Excommunicari debuiſſe, quia reſipuerit. At de Manaſſe alijſque talibus quid dicent? Item quomodo excuſabitis Prophetas, quod nullo in loco Sacerdotes hoc nomine accuſarunt, quod videlicet promiſcuè omnes ad Sacrificia admiſerint, nullum repulerint, aut repelli iuſſerint mundum iuxta Legem?

Ex Pſalm. 51. ais, liquet manifeſtè, eum à Sacrificijs abſtinuiſſe, vt immundis præſcriptum erat vſquedum expiaretur. Hoc quia ſupra, vt apertè falſum neglexi, confutandum hic erit, cum ſit à te, vt verum, repetitum. Quis tibi dixit, Dauidem toto illo tempore, quo in adulterio vixit, (quod ex hiſtoria colligimus propè annum durauiſſe) nunquam in Tabernaculum fuiſſe ingreſſum? nunquam ſacrificaſſe, aliaque Sacramenta celebrauiſſe? An interea negocia nulla expedijt? An in menſa cum ſuis non edit? An pro Tribunali ius nulli dixit? An denique tum non regnauit, ſed velut immundus ſolus ſedit? Si affirmabis abſque ſcripturis, vt te facere oportet, nemo tibi credet: præſertim cum ex ſcriptura coniecturæ diuerſum indicantes deſumi poſsint. Si factum fuiſſe occultum contendas, rurſus abſque ſcriptura loquêris: quæ indicia & argumenta nobis

præbet diuerſum affirmandi. Nam quod 2. Samuel. 12. dicitur: Tu feciſti clàm, ego coràm toto faciam Iſraele, de eo dicitur, quod Abſalon palàm fecit, 2. Samuelis. 16. (vbi palàm cum concubinis patris ſui rem habuit) ac non ſtuduit celare, vt Dauid. Hic enim tegere ſuum factum reuocatione mariti Vriæ voluit.

An non poſt denunciationem Prophetæ ſcribitur ægrotauiſſe puerum, Dauidemq; ſtatim à morte eius, ingreſſum fuiſſe Templum vt oraret? Certè qui in Templum oratum ingredi poterat, idem etiam ſacrificatum introire poterat. His iam illud adde, quod non dicit Dauid in Pſal. 51. ſe non audere ſacrificare: ſed dicit, Libera me Domine de ſanguinibus, vt lingua mea prædicet laudes tuas. Quoniam ſi ſacrificijs delectaueris, dediſſem vtiq; : ſed magis corde pœnitente oblectaris. Manifeſtè oſtendit licuiſſe ſibi Sacrificium offerre Domino, ſéque facere paratum fuiſſe, niſi ſciuiſſet Deum magis delectari corde contrito, quam holocauſtis. Confutat ergo Dauid, non probat, tuam opinionem. Poſtea orat, vt Hieroſolymæ muri perficiantur, (Qui tum nondum perfecti fuerunt, neque ſuos hoſtes tum integrè deuicerat, vt Vriæ hiſtoria declarat.) quo poſſint omnes tutò cultum à Moſe inſtitutum ſolenniter celebrare. Mirificum diſputatorem eſſe oportet, qui ſeriò ſe putet ex his conficere poſſe, Dauidem inſtar immundorum ſecundum Legem à Templo & ceremonijs abſtinuiſſe. Probaui etiam ſupra, improbos non prohibitione Templi, ſed pœnis alijs coercitos fuiſſe: Hi enim non polluebant Templum & res alias, ſicut immundi Legis. Quę pręterea hic allinis, ad rem nihil faciunt, aut falſa ſunt.

CAP. VII.

Vtrum penès Presbyterium fuerit poteſtas Excommunicandi.

TV probaturus Presbyterium illud tuum poteſtatem habere excommunicandi, ad argumenta quędam mea prius reſpondes: deinde ad rem accedis. Quãquam non erat neceſſe, vt ad hęc refellenda deſcenderẽ, cum oſtende-

oſtenderim planiſſimè, hoc Presbyterium à Deo nunquã inſtitutum eſſe, ac proinde poteſtatem hanc accipere non potuiſſe, attamen vt facilius tuam infelicitatem in defendendo falſo dogmate perdiſcas, agè hunc quoq; laborẽ deuoremus. Argumentũ meũ hoc fuit. Apoſtolus Paulus cum de caſtigationib' loquitur, vt traditione Satanę, & ſimilib', ſibi eam ſoli tribuit: alijs nullis cõmendat: Ideo paſsim, ſcribit ſe duriter delinquentes tractaturũ: in virga & authoritate venturũ: cum poteſtate à Deo ſibi tradita acturũ: cum luctu rediturũ: ſe ait tradidiſſe Satanę: ſe decreuiſſe Corinthiũ tradere: ſibi iubet non obedientes indicari, non alijs vllis: verbo nullo in omnibus ſuis Epiſtolis huiuſmodi caſtigationes alijs mandat. Ad hæc tu vide ne pro more tuo reſpondeas.

Nos verò quęrimus, inquis, an nõ mortuis Apoſtolis illa poteſtas ſeu virga fuerit æquè neceſſaria? Deinde ad quos fuerit tranſlata? Tu videris quid ſis ex hiſtoria reſponſurus. Ideo autem non meminit Collegij huius, quoniam illi ipſi præcipuè minatur, vt quod non fungeretur officio ſuo. Reſpondeo, nobis multa videri neceſſaria, quæ Deo talia non ſunt viſa. Etenim ſi hęc potentia viſa ei fuiſset neceſſaria, Eccleſiæ tradidiſſet. At traditam nullo in loco legimus. Potuit interim Deus extra ordinem poteſtatem dare Apoſtolis improbos puniendi, ſicut aliorum miraculorum virtutem dedit, quib', quatenus, quando, vbi, quomodo, voluit. Initio data eſt Apoſtolis, vt doctrina, quæ videbatur noua, confirmaretur. Deus nouit melius nobis, quid vtile ſit ac neceſſarium. Ergo reſpondeo tibi apertè, poteſtatem tradendi Satanę, quę Paulo fuit data, neceſsariam ſic non fuiſſe Eccleſiæ, vt eſset ordinaria poteſtas. Nam ſi talis exſtitiſſet, commendata alicubi Eccleſię fuiſset. Etenim neceſſariorum nihil omiſit ſcriptura. Et cauſa cur non meminerit Collegij Presbyterorum hęc eſt, quod tale nec inſtituerat nec inſtituere cogitabat: id quod ex pręcedentibus ſatis patet. Supra ex hoc loco volebas nos colligere Presbyterij veſtri inſtitutionem, hic non meminiſſe eius Apoſtolum rectè aſſeris: quæ quomodo ſis conciliaturus, vi-

deris ipſe. Quam belle in huius loci expoſitione vobis conſtetis, alibi obiter indicaui:quemadmodum de hiſtoria quoque multa iam ante diximus: quam ſi tuæ opinioni patrocinari oſtenderis, virum te eſſe dicemus.

Cum ergo quæris, cur etiam cæteros iubeat in nomine Domini congregari? Reſpondeo, Apoſtolum hæc verba, in nomine Domini non referre ad congregationem, ſed dicere: Ego decreui patratorem huius ſceleris in nomine Domini tradere Satanæ collectis vobis & ſpiritu meo, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quod ſi deinde etiam potuiſſent Corinthij & ſpiritus Pauli eodẽ modo affecti cum virtute Chriſti colligi, potuiſſent plures alios ita tradere, quomodo hunc tradituri fuerant, ſi non ignouiſſet ei Apoſtolus. Cæterũ non ſic habuerunt Pauli ſpiritum ſecũ poſtea: quod quidem conſtare nobis poſsit ex ſacris literis. Quoniã nullo in loco eos ſic iuſsit colligi: nec ſpiritus ſui hoc modo affecti præſentiam promiſit. Ideo autem voluit eos eſſe præſentes, vt abſterrerentur cæteri à ſceleribus, quod in facto Petri aduerſus Ananiam, & Pauli contra Magum vſuuenit. Metuebat enim ne hoc ſcelus impunitum manens inſtar fermenti cæteros contaminaret. Quocirca non iuſsit Presbyteros ſolos, ſed totam Eccleſiã colligi cum ſuo ſpiritu. Quam longiſsimè differunt hæ duæ orationes: Decreui vobis & meo ſpiritu cum virtute Chriſti collectis hunc in nomine Domini Satanæ tradere: & ſtatui hunc hominem veſtro conſenſu & ſuffragio Satanæ tradere. Multò longius recedit hæc à veritate: Volo vos Satanæ vel hunc vel alios tradere.

Cur ergo illos obiurgat, quod non pridẽ feciſſent? Reſpondeo, non obiurgat, quod nõ tradiderint Satanæ hoc modo, quo ipſe tradere in animo habebat: ſed quod non comprecati Deum fuiſſent, vt enorme hoc ſcelus puniret. Si hoc feciſſent, ſiue Deus exaudiſſet eos, ſiue non exaudiſſet, fuiſſent ipſi ſuo munere perfuncti. Saltem conſtitiſſet omnibus, ſibi turpe ſcelus illud ex animo diſplicuiſſe.

Cur ergo de flagicioſis à cõuictu priuato arcendis agens, & quidem occulta Dei iudicia à manifeſtis diſtinguens,

diſertè

diſertè ſcriberet, An non de ijs, qui intus ſunt iudicatis? Cur eos iubet vitari? Cur σημειοῦσθαι praeciperet? Haec tua ſunt. Neſcio quae nobis occulta Dei iudicia hic narres. Apoſtolus loquitur de apertis iudicijs membrorum Eccleſiae. Nec aliud dicit, quàm ſi dixiſſet hoc vel ſimili modo: Cum vos dixi fugere debere Scortatores, Adulteros &c. intelligo eos, qui inter vos ſunt, & fratres nominantur. Horum debetis vitam & mores obſeruare, & quos impuros eſſe cognouiſtis vitare, ne vos quoque inficiamini: ipſi autem pudefiant & in viam redeant. Hoc eſt iudicium de quo ibi loquitur Apoſtolus: nempe fuga priuatae ſodalitatis teſtificari, illum talem nomine ſuo indignè viuere. Sic iudicare ſuos iubet, non exteros, cum ſuo iudicio hic nihil profeciſſent, ſed deriſi magis fuiſſent. Iubet autem per Epiſtolam indicari tales (Quanquam apertè falſum eſt, σημειοῦσθαι διὰ ἐπιστολῆς non etiam ſignificare hoc, nempè per epiſtolam indicare, tamen permitto tibi, vt quod velis, ſignificare arbitreris. Eſto enim, ſignificet ſemper cum infamia indicare, aut atro colore notare: Quid tuae ex hoc opinioni accedit, vel noſtrae ſententiae decedit?) vt eos obiurget atque caſtiget prout Deum velle cognorit. Et quia indicare per Epiſtolam iubet, manifeſtè patet, non conceſſiſſe ipſum Eccleſiae poteſtatem eo modo aliquos caſtigandi.

Poſthaec concludis rem perinde ac ſi pręclarè tuam cauſam egiſſes. At non vendes poſthaec vel nobis, vel alijs, fumos tuos. Didicimus per Dei gratiam non pendêre ab hominibus, ſed verbum Dei conſulere. Presbyterium veſtrum oſtendi ſcripturis ſacris ignotum eſſe, ac fuiſſe ſemper. Dicis quidem tu, Presbyteros fuiſse, qui auguſtiorem functionem in Eccleſia haberent, & Eccleſiaſticis iudiciis cum Miniſtris praeſiderent: at nos probationis exſpectatione ſeu deſiderio ſines, vt video, contabeſcere ac mori. Iniuriam facis Apoſtolo maximam, cum eum Excommunicatores veſtros, quos ignorauit, ſcribis alicubi Presbyteros appellauiſse. Non neſcio, Apoſtolum Presbyterij mentionem facere in 1. ad Timoth. 4. cap. at veſtrum Preſ-

byterium

byterium eum intellexiſſe, ne tu quidem, puto, dixeris: qui affirmare quiduis ſoles, vt Dominatum illum tuearis.

Libri quarti finis.

Liber quintus incipit.

CAP. I.

De vſu Excommunicationis.

NVllum poſſe ex ſacris literis vſum in Eccleſia oſtendi eius rei, quae falſò Eccleſiae obtruditur, vt praeceptum Diuinum, cum à Deo imperata nunquam fuerit, omnes, credo, ſani intelligunt. Facilè ego dixero, quantum mali pepererit. Vniuerſam Religionẽ ferè ſola, aut certè praecipuè foediſſimè conſpurcauit, & tantum non euertit. Quot hominum millia æternùm perdiderit, nouit Dominus: ex hiſtoria conſtare poſſe arbitror, in Imperio Germanico propter Excommunicationem ſupra quinquies centena hominum millia diuerſis temporibus trucidata fuiſſe. Ingenue profiteor, me perſuaſum eſſe, ſi quidem exſtet hodie Deus ille fortitudinum Danielis, aliud eſſe non poſſe, quàm Excommunicationem. Haec enim verè fortis Deus fuit, qui omnes Reges & Principes, omne robur, omnes conſcientias, ipſam etiam ſacroſanctam ſcripturam Pont. Romani pedibus ſubiecit. At nos, inquies, aliter inſtituimus: Pontificum factum non probamus. Audio quidem hoc dici: ſed contrarium video & experior. Permulta alia in Pontificibus rectè reprehendimus: at eadem deinde fecimus ac facimus: poſtquam nobis paulum confirmati videmur. Nolo exempla diſſipatarum Eccleſiarum, iniquorum iudiciorum, & aliarum confuſionum atque malorum, quæ ætate noſtra ex hac vel ſola vel praecipuè orta ſunt, commemorare: quia ſunt odioſa. Hoc autem dicam, non debere nos, vt prçceptum Diuinum, Eccle-

Eccleſijs obtrudere,quod Deus non praecepit.

Quod dicis eam conſeruare Eccleſias, & ſanare hominum conſcientiàs, falſum eſſe liquet ex dictis. Si per hanc voluiſſet Deus Eccleſias conſeruari, non omiſiſſet eius fundationem. Niſi fortè Deus hoc non vidit vtile fore ſuæ Eccleſiæ: quod Excõmunicatores iſti tam ſalutare eſſe experti ſunt.Si quid perdidit Ecleſias, Excommunicatio perdidit. Sanandæ ſunt hominum conſcientiæ vulneratæ,non Excõmunicatione, quae meros parit Hypocritas (animalia Deo inuiſa ſupra omnia:) ſed illis remedijs, quae ſapientiſſimus Deus noſter nobis praeſcripſit.Iactas tu in præfatione & aliàs etiam experientiam huius rei, fortè quia ſoli Allobroges ſapiunt. Vidi ego permultos Viperas manibus ſine incommodo,ſed cum lucro tractantes.At non ideo non erant illae venenatae,quia earum virus induſtria ſua iſti cauebant.Non vitupero, vt Magiſtratus in quouis loco eligat viros aliquot prudentes & pios, atque his etiam adiungat Miniſtros verbi æquiores & prudentiores, qui in vitam moreſque hominum inquirant loco Magiſtratus, licenter viuentes ad ſe vocẽt, pro delicti ratione increpent & obiurgẽt, adeoq; cũ res poſtulare videbitur,ad Magiſtratũ factum deferãt. Nõ hoc improbo,ſi fiat,ſed ſumme laudo.Et prodeſt ex Senatu ordini huic aliquos intereſſe, vt fideliter narrare omnia poſſint, cum opus eſt.Hoc primum accuſo,quod Eccleſia ſibi ſumit ius & poteſtatem eligendi.Deinde quod nõ Magiſtratus nomine, ſed contra aut præter eius voluntatẽ atq; mandatũ tales eliguntur.Tertio,quod ipſum quoque Magiſtratum ſibi ſubijciunt. Imprimis verò impium eſſe dico,dixi,& dicã tãtiſper, dum rectius ex verbo Dei edoctus fuero,quod Preſbyteriũ hoc (ſi ſic libet nominare) ſibi arrogat ius homines Sacramentis ritè cupientes vti ab eis arcendi, & ea facere prohibendi,quae Deus facere iuſſit.

Falſũ & illud eſt,ne quid dicã grauius, non ſufficere Magiſtratus gladium cohercendis malis.Qui Pſa.101.legit,atq; hiſtorias ſanctorũ Regũ, qui populũ ſibi ſubiectũ Deo ſeruire coegerũt,& abominationes omnes ſuſtulerunt,adeoq; Deum

Deum non quaerentes interfecerunt, attentè conſiderauit, vt iam Moſen taceam, parum piè haec à te affirmari cogitabit. Sed rari ſunt tales Magiſtratus. Nouit haec omnia Dominus antequam nos moneamus. Noſtrum eſt ab eo precibus noſtris flagitare tales: non autem aliam formam fingere, cuius deinde ipſum authorem & fabricatorem faciamus. Sed Pontifex quoque ſedebat, inquis, de ijs ipſis πνευματικῶς iudicans, quae πολιτικῶς fuerant dijudicata. Si de moribus eum iudicauiſse aſseris ſeorſum à Iudicibus politicis, quomodo ſcilicet veſtrũ Presbyterium nunc ſedet in ſuo conciliabulo iudicans, falſũ fuit, eſt, erit, quod dicis. Probatione opus nulla eſt. Inſpiciat vnuſquiſque locos, quos pro te citas, ex 4. & 5. & 6. Leuit. & infinitum diſcrimen eſse perſpiciet. Sanè videtur ideo Deus leges de puniendis delinquentibus non tradidiſse ſeorſum, vt nunc apud nos fit, ne nobis imaginaremur diſtinctas iuriſdictiones externas. Sed de his ſupra egimus. Hortaris tu Principes vt inſtituant: at boni & pij Miniſtri omnes, vt ab ea ſibi caueant, monebunt cunctos Magiſtratus Chriſtianos.

Quam ſit praepoſterum ſubditos habere & exercere iuriſdictionem externam, in qua publicè per ſententias in cõſeſsu damnent ſuos Magiſtratus inflicta poena, nullus eſt intelligens, qui non videat. In ſacris literis nullum exemplum reperitur. Quocirca ſummè miror ego, quod Dauidis exemplum adducere te non pudet, cum à Propheta iuſsu Dei ſolus à ſolo obiurgatus fuerit. Vbi Presbyterij ſententiis damnatus, aut damnari iuſsus eſt? Aut quis vnquam dubitauit, an Miniſtris liceat improbè agentes Magiſtratus, ex verbo Dei obiurgare, arguere, reprehendere, increpare, adeoque ſoluere & ligare? Dico autem ex verbo Dei, ne de veſtris ligaturis me loqui opineris. Expreſſius exemplum in Vzzia Rege & Azaria Sacerdote cum nos habere dicis, pro tuo more loqueris. Sacerdos hunc obiurgauit rectè ex verbo Dei, cum contra manifeſtum eius mandatum in ſacrario ſuffire vellet. Iuſſit eum ex loco exire, in quo Sacerdotibus ſolis licebat Sacrificare & ſuffire.

Deinde

Deinde cum lepra in fronte apparuiſset, coactus eſt iuxta Legem vitare Templum. At vbi ſcriptum eſt hunc ſententiis Presbyterij damnatum? Nulla vel Iudicis vel Iudicum hic mentio: ſed tantum ſcribitur octoginta robuſtis Sacerdotibus ſtipatum Azariam Sacerdotem.

Et qui tandem magis rectiuſque cum Apoſtolo Iudicentur τὴν κυριότητα ἀθετεῖν, καὶ τὰς δόξας βλασφημεῖν, quàm Excommunicatores? Certè nulli ſuos Magiſtratus deſpiciunt, maioreque contumelia afficiunt. Sed non Excommunicatur Magiſtratus, reſpondent ad hoc argumentum aliqui, quatenus magiſtratus eſt, ſed ſcelera ſolum ipſius reprehenduntur: ac debent alioqui omnes etiam Excommunicato Magiſtratui obedientiam. Haec illi. Ego vero Magiſtratui ſubditos ne maledicere quidem aſſero debere Leuit. 22. multò minus poenis afficere. Neque interim hoc ſentio, non eſſe eos ex verbo Dei increpandos, monendos, docendos & vrgendos: ſed non eſſe eos poteſtati & iuriſdictioni ſubditorum viſibili ſubijciendos. Et putida eſt reſponſio, non Excommunicari Magiſtratum, quoad Magiſtratus eſt. Nam qui hoc ſibi licere exiſtimat, Catabaptiſta eſt. Quod ſi reſponſio valet, poterit vnuſquiſque ſuam nequitiam excuſare ac dicere, ſe non Magiſtratum, quia talis eſt, vlciſci, ſed iniurioſum vel Tyrannum perſequi. Si excipias, Scripturam hoc vetare: illud non minus prohibere reſpondebo: id quod me abundè demonſtrauiſſe puto. Dicitis quidem Magiſtratui excluſo nihilominus obedientiam deberi. Sed quis credat me illi parêre velle, cui ego vitae totius modum cum poteſtate & coactione praeſcribere me poſſe arbitror? Facilè eſt obedientiam praeſtare ei, qui contra voluntatem tuam facere nihil auſit. Sanè Magiſtratus, quem ſibi ſubiecit Presbyterium, nihil aliud eſt, quàm ſeruus Presbyterij: dum pro eius arbitratu cogitur in quoſlibet molliter, duriter, cruciatu corporis, exilio, vinculis, morte &c. animaduertere.

Tacebo nunc, quòd alij Excommunicationis Patroni rectius contendunt, nullum omninò Excommunicandum abſ-

que conſenſu Magiſtratus. Satis porrò conſtat, nullum conſenſurum in ſui Excommunicationem. Nec Theodoſius nec alius vllus volens Excommunicatus fuit, teſte hiſtoria. At boni, excipiat aliquis, volent. Ego autem ne dicentibus quidem credam, ſi quidem Excommunicationem putent eſſe poenam talem, qualem vos eam eſſe dicitis: vel ſaltem tale exiſtiment eſſe teſtimonium. Aliud eſt dicere, cum es extra periculum, & aliud, cum vides periculum praeſens. At cupiunt reſipiſcere. Si ita eſt, poſſunt non Excommunicati reſipiſcere. Non puto vos ſatisfactiones veterum reducere velle. Ergo ne hic quidem veritati conſentanea, aut aliorum opinioni conſentientia dicis. Nec plus veritatis aut iudicij in eo eſt, quod dicis, Magiſtratum non ſanare conſcientias dum punit. Etenim pius Magiſtratus puniendo non minus ſanat, imò multò magis, quam vos Excõmunicando. Quippe Deus multos ad ſe per tribulationes & afflictiones vocauit, qui ſecundis rebus omnia neglexerunt. Vt-vt hoc habeat, Deo non debemus videri velle ſapientiores. Nouit ipſe qua ratione ac via vnumquẽlibet ad ſe pertrahere debeat.

Si Azariae exemplum ſecutus fuiſſet Ambroſius, rectè feciſſet. Fecit enim ille, quod Deus facere in Lege ſua iuſſerat: hic autem fecit, quod Deus vetuit facere. Etenim arcuit eum à Templo, à Sacramẽtis, à verbi auditione. Quo, quæſo te, iure aut cuius mandato auſus eſt hoc tentare? Ipſe tu non ſemel affirmas, non debere quenquam excludi à verbi prædicatione, ſi præſertim audire cupiat. Qua ratione ergo factum illud defendis? Factum hoc ipſius vt tyrannicũ meritò exaggerandum, damnandum, & exſecrandum cenſeo. Quoniam tu met inficiari, vt maximè velis, non poſſis, cum contra Dei præceptum Imperatorem pœnitentem, culpam deprecantem, verbum Dei audire cupientem prohibuiſſe à templi aditu, precibus & verbi auditione tot menſium ſpacio. An ſic velles tecum agere Deum? Quid multis eſt opus? Hoc facto ſuo, quod vt iuſtũ defendi à nemine veritatis ſtudioſo poterit, non tantum initium fecit Tyrannidi Romanæ, verumetiam fundamentum poſuit. Imitatus præclarè

fuit

fuit ille; qui etiam collum pedibus calcare proſtrati Imperatoris eſt auſus.

Cur non ex epiſtolis eius potius, inquis, hauſiſti hiſtoriã, quàm ex impuris lacunis? Cur me vis ex ipſo Ambroſio hiſtoriam recitare, quam is nunquam, quod ſcimus, integram ſcripſit? Certè non reperies apud eum cauſã iræ Theodoſij expreſſã: & rectè quidẽ omittunt in ſua cauſa Rhetores, quæ nocere ipſis poſſunt. Didicerat in præfectura Mediolanenſi imperare: nec dum dedidicerat factus Epiſcopus. Non enim ſubitò mutantur mores, cum radices egerunt in nobis. Ego Ambroſium credo non negaturum, ſi viueret, cauſam irae habuiſse Theodoſium, quam referunt Nicephorus alijque hiſtorici ab odio Ambroſij & cauſa eius alieniſſimi.

Habes ad ſcriptum tuum plenam & ſolidam reſponſionem, qua Theſium mearum veritas ita declaratur & defenditur, vt meritò ſperem, imò perſuaſiſſimum habeam, nullum ex omnibus pijs, ſi modò, quæ contra diſputaui, rectè intellexerit, eam poſthac ſententiam de illa veſtra Excommunicatione probaturum. Quod vt facere vnuſquiſque rectius pariter ac tutius poſſit, illa quoq; argumenta, quæ ab alijs obiecta partim legi in ſcriptis eorum de hac controuerſia, partim aliàs cognoui, examinare breuiter conſtitui. Sic enim apparebit, nihil Dominatus huius deſẽſoribus præſidij opiſq; relictum eſse.

CAP. II.

Confutatio aliorum quorundam argumentorum, quae pro Excommunicatione ab a'ijs excogitata ſunt.

ADferunt iſti pro Excommunicatione ex veteri teſtamento locos complures, ex cap. Eſaiæ 1. 52. 66. Ierem. 6. & 7. Ezech. 23. 33. Pſal. 50. & ſimiles alios. Sed facilis eſt reſponſio. Quod ad rẽ ipſam attinet, nõ damnat Deus Sacrificia, ſed abuſum. Putabant. n. Iudæi, ſe præclarè ſatiſfeciſse Dei volũtati, ſi externa ſacrificia obtuliſsent, quomodocunq; animis affecti eſsent: cum

cum longè aliud Deus ab ipſis poſtularet. Itaque non abſolutè reiicit Deus cultum impiorum à ſe inſtitutum, ſed hactenus ſolum, quatenus eo non ſic vtebantur, vt ipſe iuſſerat. Vt enim qui indecorè edenti modeſtiam commendat, comeſtionem turpem vituperat, non ſimpliciter abſtinentiam à cibo imperat: ita Deus quoque non omninò ritus à ſe ordinatos aſpernatur, ſed abuſum eorum damnat. Sic etiam Chriſtus Matth. *6.* non voluit Ieiunia, orationes & pecuniae ſeu opum iuſtam collectionem prohibere, ſed abuſum voluit tollere. Nam vt caetera mittam, quis neget licere nobis opes liberis noſtris honeſtè citraque proximi detrimentum colligere, vt ex 2. Cor. 12. cap. liquet? Addam, quod à viro excellenter pio & docto, linguaeque Hebraicae non imperito didici, morem eſſe Hebraeorum, vt, quum duo proponunt recta & iuſta, quorum alterum probent, alterum negent, comparatio ſolum inter ea facta intelligatur. Sic cum Oſeæ. *6.* dicitur, Miſericordiam volo, non Sacrificium, ſenſus eſt, magis miſericordia delector. Ita Prouerb. 8. dicitur: Accipite caſtigationem meam, non argentum. Eodem modo Chriſtus prohibet colligere theſauros, & ſollicitum eſſe pro victu: non quia omnem de his rebus nos velit curam abiicere, ſed quoniam vult nos maiore ſtudio coeleſtia conſectari.

Iam ad argumentum venio, quod tale fuerit. Deus exſecratur Sacrificia impiorum. Ergo eligendi Presbyteri, qui malis prohibeant ſacrificare. Si bona eſt conſecutio probabo ex eiſdem locis, non licere alicui malo praeſtare eleemoſynam: quieſcere die Sabbathi: inuocare Deum: agere ei gratias: & quae huiuſcemodi ſunt alia. Conſtat enim Deum in eiſdem locis oſtendere omnia haec ſibi diſplicere in impiis. Quocirca ſi non valet, Deus auerſatur impiorum orationes: Ergo Presbyteri ſunt eligendi, qui nullum ſinant inuocare Deum, gratias ei agere, Sabbatho quieſcere, eleemoſynam praeſtare, niſi quos dignos eſſe iudicauerint: Si non valet, inquam, proximè dicta ratioci-

ratiocinatio, ne illa quidem valere poterit. Etenim eodem modo omnia hæc in eiſdem locis prohibentur mala. At ſi quis tunc, cum prophetae talia concionarentur, in die Sabbathi auſus fuiſset opus facere, certè ipſorum etiam Prophetarum ſuffragio necatus fuiſset. Quare longè aliter hæc intellexerunt, quàm Aduerſarij mei intelligere ſe ſimulent.

Vrgent nihilominus locum Ezech. 23. cap. in quo Deus queritur, tàm fuiſſe eos impudentes, vt, quo die filios ſuos Idolis mactauiſsent (horrendum dictu) auderent etiam in templum ingredi, quaſi re benè geſta, cum Moſes 31. Num. in caſtra ante ſeptimam diem nollet intromittere, qui hoſtes ſuos occidiſsent, idque iuſsu Domini. Fruſtra verò vrgent, propterea quod hanc rem ſupra fusè expoſuimus. Etenim ſi profanatio fuit legalis ſiue ceremonialis, ad nos non pertinet. Si moralis, ſupra iam oſtenſum eſt, aliam huic poenam conſtitutam fuiſse. Adde, quod Propheta hic nullos accuſat presbyteros aut Seniores, quod tales non arcuerint, ſed cum probis omnibus ad eadem Sacramenta admiſerint. Si praeceptum huis rei aliquod habuiſsent, ſaltem veſtigium aliquod in reprehenſione Dei appareret. Locus in 33. cap. hoc tantum habet: Cum te iubeo, inquit Deus, impio dicere, eum moriturum, niſi emendet vitam, nec ei indicaueris, morietur ipſe quidem, at tu non impunè feres: Sin autem ei dixeris, nec ille tamen fiat melior, peribit ille quidem, verum tu extra culpam eris. Non loquitur hic Deus de excommunicatione, ſed de reprehenſione peccatorum, quae Miniſtris commendata éſt.

Argumentantur praeterea ex 23. cap. Deuter. Deus vetuit ſibi offerri mercedem meretricis & precium canis: multò minus voluit ad Sacrificia admitti meretricem. Reſpondeo, multis modis non valere argumentum. Primum non ſequitur conſequens ex antecedente. Non enim ſcortum poenitentiam prae ſe ferens Deus voluit arceri à Templo, quia pecuniam turpiter acquiſitam offerri ſibi

vetuit. Deinde voti nomine duntaxat offerri ſibi prohibet tale precium: quod alijs omnibus Sacrificijs aptari fortaſsè non poteſt. Nam Deus animal, cui vel deſit aliquid vel ſuperſit, offerri ſibi voti nomine prohibet: pro ſpontaneo ſacrificio tale offerri non prohibet Leuit. 22. Quod ſi non ſequitur, Deus non vult hoc voti nomine, ergo nullo alio modo vult ſibi offerri: quomodo ſequetur, ergo ipſum offerentem repudiat? Item Leuit. 2. in oblatione ignita prohibet mel offerri: at non in cunctis alijs oblationibus. Non potuit meretrix de ſuo patrimonio, aut honeſtè acquiſitis offerre? Certè nullibi ſcriptum hoc inuenimus. An ex ſe natum primogenitum Deo non potuit offerre ac circumcidere? An quia mutilum animal Deo offerre in plerıſque oblationibus non licebat, mutilum quoque hominem Deus abominabatur ſic, vt in Templum venire non poſset? Alia eſt hominum, & alia rerum Deo offerendarum ratio. Non probat Deus Zizaniam in tritico: attamen externos miniſtros ante meſſem non vult euellere.

An etiam illum, qui canis precium poſsidebat, excluſum dicent? Multa deteſtatur in nobis Deus, nec tamen nos mox abijcit, aut abijci ab alijs præcipit. Imperauit ſcorti mercedem caniſque præcium ſibi non offerri, vt turpe lucrum ſe deteſtari oſtenderet: ex quo non poterit concludi, Presbyteros quoſdam eligendos, qui ipſas etiam perſonas à rectè faciendo abſterreant. Phariſaei Iudae precium in ærarium ſacrum reponere noluerunt, ipſum è templo non eiecerunt: quod ſanè facturi fuerant, vt erant magni externarum ceremoniarum obſeruatores, ſi legibus imperatum ſciuiſsent.

Quidam praeterea ex 27. cap. Deuter. generalis excommunicationis formulam mutuatur hoc modo: Sicut in hoc loco iuſsit Deus Leuitas malè malis, & benè bonis precari cum aſsenſu populi: Sic & nos malos generatim excludimus, dicentes, excludimus adulteros, fures, idololatras. Primum nullius meminit Moſes vel hic, vel 11. Deuter. vbi eiuſdem rei fit mentio, excluſionis à Sacramentis &

Sacri-

Sacrificijs. Deinde ſacrificare & conuiuari prius omnes coram Domino oportuit: quod nō erat aliud quàm ſacramēto vti. Nec multò antè, quàm hoc feciſsēt, quod hîc iubet Moſes, circumciſi à Ioſua omnes fuerant, ac Paſcha ſimul omnes cōcelebrauerant. Tantum igitur abeſt, vt imprecatio illa fuerit excōmunicatio, vt manifeſtiſsimè contrarium ex hoc ipſo loco probetur. Poſtremò nō debuit hoc ſæpius fieri, ſed ſemel tantum, poſt ingreſsum in terrā promiſsam: quod Ioſuæ 8. peractum legimus: poſtea nunquam amplius. Non enim vbique erant montes Gerizim & Ebal. Semel igitur tantum generalis illa excommunicatio facienda fuerit. Quod ſi nunc quoque volunt Aduerſarij miniſtros hoc duntaxat modo excommunicare, vt malis iram & iudicium Dei, bonis eiuſdem clementiam declarent, quomodo hic factum fuit, nulla erit inter nos lis amplius.

Ethnici, dicunt praeterea, non admittebantur in Templum. At facinoroſus eſt Ethnicus. De his enim ſcribitur Ezech. 16. Patres veſtri ſunt Amorrhæi. Item, ſi tranſgreſsor fueris legis, circumciſio tua verſa eſt in præputium, Rom. 2. Item, infidele eſt deterior 1. Timoth. 5. Ergo arcebantur ſcelerati à Templo & Diuinis ritibus. Miror quod illud Phariſæorum tacuerunt, Samaritanus es. Si Dei iudicium ſpectabimus, non inficiabimur, quin impij fratres deteriore ſint loco & conditione infidelibus. At ſi externam Eccleſiæ faciem intuebimur, multa repetiemus in improbis, quæ non competunt Paganis & Turcis. Quod quia eſt notum, nolo in hoc hærere diutius: præſertim verò cum ſupra demonſtratum ſit circumciſis malis etiam licuiſſe in templum ingredi, cum Gentili non liceret, qualisqualis eſſet moribus. Falſiſsima igitur eſt argumenti Aſsumptio, cum de externa & viſibili Eccleſia loquimur. Nunquam enim circumciſus fuerit incircumciſus: nec baptizatus vnquam fuerit non baptizatus, (externè ſcilicet) is præſertim, de quo nobis ſermo eſt.

Proferunt hoc etiam: Deus iubet Sabbathū ſanctificare. Ergo vicioſi à ſacramētis arcebantur. Quot erit opus fulcris

X 2 &

& ſubſtructionibus, vt ſuper hoc fundamento turris illa Babel, Excommunicatio ſcilicet, firmetur? Sabbathum eſt ſanctificandum. Sabbathum eſt quoddam Sacramentum. Ergo Sacramenta (concludamus nunc, ſi libet vniuersè) ſunt ſanctificanda. At verò licenter viuentes contaminant, non ſanctificant. Tali aut neganda. Ergò diſſolutè viuentibus neganda ſunt Sacramenta. Non poſſunt autem improbi arceri, niſi à delectis ad eam rem presbyteris. Hi ſunt igitur eligendi, vt hoc munus gerant. Niſi modo aliquo tali forment argumenta, quomodo propoſitum concluſuri ſint, equidem non video. Errores ingentes nolo reprehendere, quoniam an ſic forment ignoro. Hoc ſolum reſpondebo: Si quid ex praecepto Decalogi confici poſſet, hoc efficeretur, turpiter viuentibus non eſſe concedendum, vt in Sabbatho quieſcant à laboribus, atque orationi, nominis Diuini inuocationi, verbi Dei auditioni, lectioni, meditationi vacent. Nam ſi ita inquinant Sacramenta, vt ad ea admitti nequeant, non poterant tales, ad iam dicta, quibus Sabbathum ſanctificabatur, admitti. Deus autem ob has ipſas cauſas iubet ſeruari ab omnibus bonis & malis, atque non ſeruantem mandat interfici, mandato hoc ſoepè repetito. Exemplum extat Num. 15. de eo, qui ligna collegerat. An poteſt aliquid talibus abſurdius cogitari argumentis? Poena capitis erat poſita non ſeruantibus Sabbathum: tantum abeſt, vt alicui interdiceret eius obſeruatio. Hæc ſunt, quæ ex veteri foedere probata adhuc cognoui pro excommunicatione ab aduerſarijs: quorum videlicet ſupra non ſit mentio facta. Nunc eadē breuitate percurremus, quæ ex nouo Teſtamento producunt. Ex cap. 5. Mat. ſic arguunt. Chriſtus iubet munus oblaturum priuſ recõciliari fratri, relicto ad altare munere. Ergo non vult nos vti Sacramentis priuſquã fratri ſumus reconciliati. Non puto accurata hic opus eſſe reſponſione. Quippe nec inuocare Deum, nec erratorũ veniã ab eo petere debemus, niſi prius remiſerimus omnibus, qui iniurij nobis fuerint, Marci. 11. Quis me ſic ferat

ratio-

ratiocinantem? Deo munus quod offers integrè non placet, ſi iniurius fratri fuiſti, nec eum placauiſti. Ergo vult eligi presbyteros, qui tibi oratione & inuocatione Dei interdicant. Etenim munera noſtra, quæ nunc ferè offerimus Deo ſacrificia ſunt laudis & gratiarum actionis. Si hæc abſurda eſt, inutilis & illa eſt. Nam non minus hoc, quàm illud, mandatum nobis eſt. In ſumma, vt, quæ agimus, Deo placeant, animum oportet ab omni praua cogitatione vacuum puriumque eſſe. Non diſſerit ibi Chriſtus de externa Eccleſiæ gubernatione, ſed de Chriſtiani hominis perfectione: vt cum ad hunc perfectionis gradum nos pertingere non poſse perſpeximus, de nobis deſperemus, & in vna Dei miſericordia propter meritum Chriſti acquieſcendum nobis intelligamus. Alioqui ſi nihil Deus probaret, quod ab hac perfectione receſsit, nihil omninò facere nobis liceret boni & recti: & eſſemus omnes excommunicandi. Ideo non dicit, ſi preſbyteri te iubebunt relinquere munus, relinquito: ſed ſi apud teipſum fueris recordatus. Non loquitur ergo de prohibitione, qua alij nobis vetant cultum à Deo inſtitutum, ſed de eo, quod noſter nobis animus dictat. Citius ex hoc loco Miſsam Pontificiam probaueris, quàm excommunicationem.

Qui rectè inter Eccleſiæ gubernationem internam & externam diſtinguit, facilè ſe ex pleriſque obiectionibus explicat. Internae ſolus Deus beneficentiſsimus præeſt: nec tantum ſapienter, iuſtè & benignè ad ſalutem ſuorum omnia adminiſtrat, ſed etiam cogitationes ſolus rectè citraque errorem iudicat. Ipſi lex poſita non eſt, ſed ſibimet ipſe lex eſt, vt qui errare neſcit. Longè aliter in externa rectione res habet, in qua falli infinitè omnes poſsumus. Quamobrem facere hic nihil debemus, quàm quod mandatum expreſſè nobis legimus. In hoc locum habet illud Chriſti, qui non eſt aduerſarius nobis, hic nobiſcum eſt Marci. 9. Et vt ſemel omnia dicam, in hac ita tenendum eſt, Quod Deus facere iuſsit, ab eo reuocari aut retrahi nullus ab hominibus debet: ſi modo externè ſic fiat, vt praecepit Deus. Nam

boni ſunt externi actus omnes, quoad nos, quicunque iuxta præfinitionem verbi diuini fiunt, licet Deo, qui agentis animum intuetur & iudicat, non ex omni parte probentur. Multi hodie, vt olim Phariſæi, & Pauli tempore alij, verbum Dei docent vel quaeſtus, vel ambitionis, vel contentionis cauſa: quos tamen, dum veritatem docent, tam nullus prohibere debet, quam non prohibuit Chriſtus Phariſaeis Matth. 23. vel æmulis ſuis Apoſt. Paulus. Philip. 1. Gaudebat Apoſtolus, quod Chriſtus annunciaretur, tametſi non ignoraret, parum ſincerè ab ipſis fieri, quod faciebant. Sic nullus vituperandus eſt, ſi in aduerſis opem Diuinam imploret; ſi Deo gracias agat: ſi nomen eius laudet ac praedicet; ſi Eleemoſynas praeſtet, egenoſque re, opera, conſilio ſubleuet; in concionibus frequens adſit; aliaque à Deo imperata faciat, quocunque animo talia faciat. Animum enim iudicabit Deus: nos externa hæc damnare non conuenit.

Homines illa ſolùm poſſunt rectè laudare & vituperare, quae diiudicare poſſunt. Idcirco cum actiones internas ſeu cogitationes intelligere, & ſine errore iudicare nulli poſſunt, nullæ his poenae à legibus conſtitutae ſunt. Solus Deus vt ſine errore eas iudicat, ita eaſdem quoque punit. Externorum porrò actuum alij ſunt boni, alij autem vicioſi. Illis laus & premium, hiſce vituperatio & poena debetur. Boni ſunt, quoſcunque Deus exerceri iuſsit: mali autem, quicunque cum lege praeceptoque Dei pugnant. Et horum alij ſunt leuiores, & ferè nominantur peccata: alij grauiores, & frequenter ſcelera vocantur. Vtroſque vult Deus à magiſtratu coherceri, imprimis autem ſcelera. Quanquam verò actus prohibiti ex conſenſu & diſſenſu voluntatis magis minúſue redduntur vicioſi, nunquam tamen fiunt laudabiles. Homicidium, exempli gratia, inuitum non eadem poena punitur quidem, qua voluntarium punitur, attamen non efficitur ob id laudabile & bonum. Par ratio eſt bonorum actuum. Etſi namque non eadem mereretur laudem, idemque praemium, qui vel inuitus vel inſcienter aliquid

boni egit, & qui idem hoc volens ac prudens fecit, nunquam tamen ille, ac ſi vicioſi aliquid patrauiſset, reprehendi poterit.

Ergo ſi non poſsunt mala, quæ praeter voluntatem euenerunt, commendari, nec bona, quae ab inuito maloque animo profecta ſunt, damnari, quomodo, quaeſo, licebit alicui vetare, quod eum Deus iuſsit facere, ac facere ipſe cupit? Aliter legimus ſanctos Reges atque alios magiſtratus egiſse. Coegerunt enim ſubditos, vt ritus à Deo inſtitutos, externè ſaltem, obſeruarent, aliterque facientes interemerunt. Nam vt alios locos nunc omittam, ſic ſcriptum inuenimus. 2. Paralip. 15. Et quiſquis non quæſierit Iehouam Deum Iſrahelis, interficiatur à paruo vſque ad magnum, & à viro vſque ad mulierem. Patet igitur quantum à ſcopo aberrent, qui peccata Sacramentorum interdictione volunt plectere. Nam præterquam quod rem à Deo omnibus praeceptam, &, quatenus ſub iudicium noſtrum cadit, id eſt, quatenus externa eſt, bonam prohibent, etiam falcem in alienam mittunt meſsem. Quoniam ſcelerum caſtigatio, quatenus externi actus ſunt vicioſi, ad magiſtratum pertinet: quoad autem à deprauata voluntate promanant, ſoli Deo ſubijciuntur rectè cognoſcenda & punienda. Peius adhuc faciunt, cum, quæ Deus facere iuſsit, prohibent, quia videlicet externa actio bona, quod ad nos attinet, latens videatur vicium habere coniunctum.

Obijciunt etiam ex Iohanne de Synagoga aliquid. Eccleſia & Synagoga, inquiunt, ſignificant idem. Ergo ab hac pelli, eſt ex illa eijci. Hoc autem eſt ab vſu rerum ſacrarum arceri. Reſpondeo, nomen Eccleſiæ ſiue cõgregationis interdum ſignificare totam concionem: aliquando particularem cõuentum. Nonnunquam ſenatum totius congregationis. Quod poſterioribus etiam locum ſeu ædificium denotet nullus neſcit. Eodẽ ferè modo nomẽ Synagogæ plura ſignificat. Quippe & pro tota cõgregatione populi ponitur apud ſeptuaginta Interpretes. Sumitur quoq; pro particulari

concione, vt Matth. 6. & alias ſoepius. Item pro Senatu, vt Deut. 35. Ioſuæ 20. pſal. 82. Sic Matth. 10. & Mar. 13. poſitum videtur. Idem enim in his locis videntur ſignificare duo hæc nomina συνέδριον & συναγωγή. Probatur idem ex eo, quod in Synagogis nocentes virgis aut plagis caedebantur. At in 25. Deuter. iubetur plagis dignus coram Iudice proſterni & caedi. Erant ergo ibi iudicia. Notandum in his locis obiter illud etiam fuerit, quod adduntur ἡγεμόνες & βασιλεῖς: quod Lucas quoque cap. 21. fecit, cum antea 12. cap. τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας pro eiſdem poſuiſſet. Nam conijcimus ex his, ſic intelligendum per συνέδριον & συναγωγὴν in his locis magiſtratum Iudaeorum, quomodo per τὰς ἀρχὰς, per τὰς ἐξουσίας, per τοὺς ἡγεμόνες καὶ βασιλεῖς intelligimus magiſtratus Gentilium. Hic enim vnus, vel vnius nomine plures ſedebant: ibi plures ſimul iudicabant. Frequenter notat ædificium: vt cum Ieſus in Synagogam ſcribitur ingreſſus, ibíque docuiſſe. Tales erant in ſingulis vrbibus Iudææ: & extra Iudæam vbicunque Iudæi multi habitarent. Fuerunt quoque in aliquibus vrbibus plures vna, vt ex ſacris libris colligimus.

Ergo cùm idem ſignificare dicuntur Eccleſia & Synagoga, videndum eſt, in quo ſignificato ſumatur vtrunque. Hoc enim non obſeruato, neceſſe eſt rem confundi & obſcurari: nec verum eſſe poterit, eandem vtriuſque rationem eſſe. Nam ſi Eccleſia ponatur pro concione vel ſocietate fidelium: Synagoga autem ſumatur vel pro ædificio, vel pro ſenatu, vel pro vtroque, non poterit eadem eſſe vtriuſque conditio. Planius intelligit hoc, quiſquis duo hæc apud ſe conſiderabit: nempe apud Iudæos potuiſſe aliquem ex particulari Synagoga eijci, ex vniuerſali ſeu ex toto populo non potuiſſe eijci. Non potuit enim ex inſtituto Dei per Moſen circũciſus, aut ex Gente Iudæa natus, eijci ad Gentiles, ſeu in exilium ex tota Iudæa exturbari. Interfici improbos iuſſit Deus: non iuſſit extrudi ex populo ſuo, aut cogere vt ſe dicerent non eſſe Iudæos. I-

mò

mò ſi qui Iudaiſmum ſiue coactè ſiue ſponte abnegaſſent, hos ipſos vbicunq; deprehēdere potuerunt, occiderunt. Sic enim in AEgypto feciſſe legimus in 3. lib. Macchabęorum. Ideo non arcebatur à Templo, qui ex Synagoga aliqua eiectus fuerat, vt mox apertius declarabo. Alterum quod conſiderandum diximus, hoc eſt, Magnum fuiſſe diſcrimen inter gubernationem externæ Eccleſiæ Iudæorum & noſtræ. Nam non eſt Eccleſia nunc vni loco alligata, vt tunc erat: ſed par eſt ratio & poteſtas ęqualis cuiuſq; particularis & totius Eccleſiæ. Secus habebat res in Eccleſia Iudaica: quæ ſic erat vni loco aſtricta, vt, quod alibi fieret, non rectè fieret, in rebus & ceremonijs plurimis.

Quis non incipiat videre nunc, aliud fuiſſe ἀποσυνάγωγον fieri apud Iudæos, quàm excommunicari apud noſtros? Etenim excommunicatus à particulari Eccleſia, putatur ex tota & Vniuerſali Eccleſia eiectus. Eadem enim eſt forma regendi, & ſimilis poteſtas totius & particularis Eccleſiæ. At hoc apud Iudęos non erat. Nam Sacrificia (& Sacramenta, excepta circumciſione, expiatione &c.) tantùm Hieroſolymis celebrari poterant: in particularibus Eccleſijs ſeu Synagogis celebrari non poterant. Quomodo igitur Sacramenta negauiſſent, quibus ipſimet carebant? Si negandi aliquid ius habebant, hoc negare poterant, quod in eorum poteſtate erat. In Synagogis legebatur ſingulis Sabbathis Moſes. Ab huius auditione prohiberi nullus poterat, qui audire cuperet. Nam fuiſſet hoc factum contra præceptum Moſis. Vnde etiam videntur Ethnicos admiſiſſe in Synagogas, vt ex 13. & 14. præterea ex 12. & 18. Cap. Actor. colligimus. At hiſce in Templum introire fas non erat. Ergo cum iuſſiſſet Moſes omnes mundos aſcendere Hieroſolymam ſacrificatûm, non potuit vlla Synagoga hoc vetare. Aliud ergo fuit ἀποσυναγώγους facere, quàm Templo, Ceremonijs & Sacrificijs à Deo præceptis alicui interdicere.

Qui exempla huius rei petit, Chriſtum & Apoſtolos ſibi proponat. Chriſtum Ioh. 8. Samaritanum vocant. Naza-

x 1 retani

retani non ſolum extra Synagogam & vrbem expulerunt, verumetiam de montis ſupercilio pręcipitare voluerunt. Et quis dubitat Chriſtum ἀποσυνάγωγον factum à Iudæis, qui decreuerant ἀποσυναγώγους facere confitentes Ieſum eſſe Chriſtum? An propterea ei vel Templo vel Ceremonijs interdixerunt? Si prętextu Legis hoc potuiſſent facere Phariſęi, cupidiſſimè occaſionem hanc tàm ſpecioſam arripuiſſent. At non reperimus in ſacris literis vllum verbum, ex quo nobis vel ſuſpicandi detur occaſio, tale quid eos cogitauiſſe: aut tale quid ei ab vllo homine obiectum exprobratumq; fuiſſe. Quis vnquam ei dixit, In Templum introire tibi non licet, cum ſis ἀποσυνάγωγος factus? Fruſtra excipis, arcano Dei conſilio ſeruatum, quoniam ſœpè legimus quid in animo habuerint facere Iudæi, etſi perficere non potuerint. Huius autem rei nullum omninò veſtigium exſtat. Proinde figmentum eſſe meritiſſimò dicimus, quod ſic obijcitur.

Ad Apoſtolos quod attinet, ex 4. & 5. Cap. Act. liquet, quod dicimus, Cum enim ex ſumma Synagoga, cæſi prius, exturbati fuiſſent, mox in Templo docuerunt, Sacramentiſq; pro more ſuo vſi ſunt, vt ex 21. Act. apparet: nec legimus eos hoc nomine ab vllo homine accuſatos aut repreheníos. Ex quot Synagogis eiectus fuit Paulus? Legat qui vult, Acta, & 2. ad Cor. Cap. 11. Quis huic cum Hieroſolymam redijſſet, inq; Templum ſacrificaturus pro ſe & pro alijs ingreſſus fuiſſet, idq; ſuadentibus Apoſtolis faceret, obiecit, quod non licuerit ei ritibus & ceremonis ſacris vti? Hoc accuſarunt, eum docere Legem non eſſe ſeruandam: item eum profanauiſſe Templum, non ingreſſu ſuo, ſed Gentilium introductione: quod mentitum erat. Paulus certè cum in Iudicio ſe excuſat, apertè dicit, ſe contra Legem nihil feciſſe. Proinde non faciebat contra Legem, qui ἀποσυνάγωγος factus in Tēplum introibat & Sacrificijs iuxta Moſis preſcripta vtebatur. Quomodo ergo non falſum eſt ἀποσυνάγωγον γίγνεσθαι idem fuiſſe, atque illud eſt, quod hodie vocant excommunicari?

Patet igitur facilius eſſe dicere, quid non fuerit ἀποσυνάγωγον fieri, quàm oſtendere quid fuerit. Quod non fuerit hoc, quod Aduerſatij dicunt, planiſſimè demonſtratum eſt. Quid fuerit, difficile hic dictu eſt, vt diuerſum non poſſit affirmari. Etſi verò nobis ſufficit indicaſſe, non id eſſe, quod noſtris hominibus eſt excommunicari, attamen non pigebit aliquid hac de re amplius proponere. Ergo videtur ignominia quædam fuiſſe, ac ſi quis hodie infamia aliqua notaretur. Ioh. 12. Videtur etiam particularis fuiſſe relegatio, vt ſi quis ex vrbe aliqua ſolummodo relegaretur: vt cum Luc. 4. relegatus eſt à Nazaretanis. Videtur quoque negatio fuiſſe iuris ciuitatis Iudaeorum: vt nimirum ἀποσυνάγωγος factus, non amplius haberetur pro vero Iudæo, ſed velut Proſelyta. Quippe hi non recenſebantur inter Iudæos, tametſi à Templo & ceremoniis propterea non arcerentur.

Equidem Proſelytas, qui inter Iudæos habitarunt, conſtat ſemper à veris Iudæis diſtinctos fuiſſe, tempore Moſis, Prophetarum, & ipſiuſmet Chriſti: tametſi eiſdem cum Iudæis vterentur Sacramentis, atque in idem ingrederentur Templum. Proinde fuit vel idem, vel ſimile quidpiam cum eo, quod apud Eſdram Cap. 10. legimus, ex ſocietate reducum ex captiuitate delere. Conſentit hoc cum eo, quod in 23. Deuter. legimus, de recipiendis in Eccleſiam, hoc eſt, in nomen, Gentem, & Genus Iudæorum. Valde namque abſurdum foret cogitare, Deum nolle compreſſum, exſectum, ſpurium, Ammonitam, Moabitam in regnum ſuum recipere: qui non eſt acceptor perſonarum, ſed omnes inuocantes ſe recipit. Non igitur noluit Deus hoſce circumcidi, & in Templum atque ad Sacramenta admitti: ſed noluit pro veris Iudaeis eos haberi. Aegyptios autem & Idumæos vult poſt tertiam generationem recipi: quod certè intelligendũ eſt de illis, qui patrem, auum, abauumq; habuerunt circumciſos.

Aliàs

Aliàs enim nec poſt milleſimam generationem recipiendus aliquis fuiſſet. Ergo qui tales erant, Inquilini, Peregrini, Proſelytæ, vocabantur, pro veris Iudęis non reputabantur, nec ad Synagogam propriè pertinebant, quantumuis interim Sacramentis communibus cum Iudæis vterentur.

Sed vt paulò ante dixi, quicquid tandem exiſtimetur fuiſſe ἀποσυνάγωγον fieri, conſtat ex prædictis omnibus, non idem fuiſſe cum eo, quod hodie vocant excommunicari. Nec videtur prorſus prætereundum eſſe, quod ſcriptura non vtitur alijs verbis, quàm ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, & ἀποσυνάγωγον γίγνεσθαι: quę ſanè verba mitius aliquid ſignificare videntur, quàm condemnare, eijcere, perdere, pro deplorato habere, excommunicare. Vltimò illud etiam addam, Phariſæos contra Moſis Deique pręcepta excluſiſſe à Sacramentis circumciſos, ſiquidem eo, quod ἀποσυναγώγους aliquos fecerunt, à Sacramentis excluſiſſe (quod falſum eſſe demonſtraui) pertinaciter affirmentur. Nobis autem non malorum exempla, ſed Dei mandata ſequenda ſunt. Expoſui hanc rem pluribus, quod mirificè quidam ſibi in hoc argumento placent: & quia à Beza non eſt tractatum, tametſi pem nobis eius rei feciſſet.

Libri quinti finis.

Liber

Liber Sextus incipit,

Cap. I.

Confutatio duorum Libellorum Latinorum pro Excommunicatione.

DVm ſuperiora ſcriberem, commodùm oblata mihi ſunt tria de excommunicatione ſcripta: duo Latina, & Germanicum vnum: quę illuſtriſſ. Principi aduerſus me à primarijs ſuis Theologis oblata fuerunt. Ad Latina non eſt neceſſe, vt aliquid præcipuè dicam. Alterum enim planè puerile eſt, & hoc præcipuè argumento nititur. In diuerſis ſocietatibus diuerſam oportet diſciplinam & diuerſas eſſe pœnas. Ergo in ſocietate Chriſtiana oportet eſſe interdictionem Sacramentorum & excommunicationem. Ratiocinatio eſt talis: Animal eſt, Ergo Gallus. Cur non vel Aſinus, vel Hircus, vel aliud quidpiam? Item, Chriſtus cum remittendi dedit poteſtatem, etiam ligandi dedit. Non inficiamur. Sed ita dicimus dediſſe verbo ligandi facultatem, quomodo dedit remittendi poteſtatem. Rurſus eſt argumentatio à Genere ad ſpeciem affirmando. Tale etiam eſt tertium, Eccleſia eſt communio, Ergo etiam communionis priuatio. Simile & illud eſt, Qui credentes admittunt in communionem, etiam contumaces eijciunt. Quomodo admittendi potentiam à Deo acceperunt, ſic etiam eijciendi facultatem habere libenter concedo. Nemo, puto, ægrè feret, quod talibus argumentatoribus pluribus non reſpondeo.

Alterum iactantiæ plus habet, veritatis non amplius. Si enim aliquid habet veri, ad rem non pertinet: quod breuiter etiam indicabo. Primum exponit vſum Presbyterij in

in Eccleſia, quæ mihi meritò licet contemnere, cum ſcripturas nullas proferat. Hoc tamen reprehenſione digniſſimum eſt, quod Miniſtros neminem habere aſſerit, à quibus ex officio corrigantur. Nam Deus hoc Magiſtratui mandauit. Nec excipiuntur Miniſtri, cum ſcribitur, omnem animam ſubiectam debere eſſe poteſtati. Verum bene habet, quod ſeipſos produnt. Quæram ego, quis Preſbyteros peccantes corriget? Reſpondebit, opinor, Miniſtrorum hoc eſſe. Sic muli mutuum ſcabent, dum alteri alteris dicent, tu parcito vnguibus, parcam ego dentibus. Contendit idem, Magiſtratum ſubijci Presbyterio, & nihilominus in excommunicatione ait neceſſarium eſſe conſenſum Magiſtratus. Si ſubiectus eſt Iudicio Presbyterij, ab eoque poteſt excommunicari Magiſtratus, cogetur conſentire, velit, nolit. Quid iſtis opus eſt laruis? Locũ, quo probet, citat ex 1. Cor. Cap. 5. Quis non videat quid agatur hic? Sed de iſta re ſupra ſatis.

Argumentatur idem à comparatis hoc modo, Immundi legaliter arcebantur. Multò igitur magis arcendi ſunt immundi moribus. Contendit hic author, ſolos contumaces excommunicandos. Quod ſi eſt ita, quomodo valebit argumentum ab immundis? Etenim cum primũ aliquis immundus fuiſſet redditus, ſiue volens ſiue nolens talis eſſet factus, ſtatim erat ad purificationem vſq; excluſus. Si ergo valet hoc: Corpore immundus excludebatur, Ergo moribus impurus multò magis eſt excludendus. Si, inquam, hoc valet, etiam illud valebit: Corpore immundus etiamſi non eſſet in hac re contumax, excludebatur. Ergo multò magis moribus immundus ſecludendus fuerit, licet minimè ſit in ſcelere pertinax. Igitur ſi verum eſſet, quod verum nunquam fuit, eſt, erit, Chriſtum Matth. 18. voluiſſe illum excommunicari, qui Iudicium Eccleſię deſpexiſſet, hoc eſt, contumacem, non poſſet argumentum ab immundis non contumacibus deſumi. Conſequens etiam eſt, vt Apoſtolus malè iuſſerit Corinthium illũ excommunicari, vt quem ab Eccleſia conſtet non fuiſſe iſto modo admonitũ, quomodo admonẽdos

dos aiunt: & proinde neq; contumax videtur fuiſſe. Præterea, Petrum aiunt excommunicaſſe Ananiam & Saphiram, ac Simonem Magum: qui certè non fuerunt ſolenniter præmoniti, ſed ſtatim caſtigati. Adde, quod crimen Ananiæ & Saphiræ occultum fuit prorſus. Sed & de Simone Mago nō videtur conſtitiſſe Petro, num eſſet contumax futurus, vt ex textu colligimus. Item citant ex Auguſt. quæſt. 39. ſuper Deuter. Excommunicationem ſubijſſe in locum interfectionis. At interficiebātur olim, (ſicut & hodie Magiſtratus faciunt) qui crimen patrauerant, tametſi eos ſceleris pœnituiſſet. Poſtremò probāt factum Ambroſij, qui Theodoſiū tot menſibus non paſſus eſt in Templum venire, tametſi factum ſuum doleret, miniméque contumax eſſet.

Hoc etiā nomine peccat argumentū ab immundorū cōparatione, quod his non negabatur ſalus: quod non habebātur pro improbis, ſceleratis, ac damnatis: quod admittebātur ad Sacramentorū quorundam celebrationē, ſcilicet Sabbathi & expiationis cōmunis, quę quotannis ſemel fiebat & præcipuū erat mortis ac meriti Chriſti ſimulachrū, ſicut Paul. ad Hebręos dilucidè oſtendit. Cogebātur enim hæc Sacramēta etiā immundi obſeruare, (etſi ad Templū non poſſent venire) luctu, ieiunio, precibus, ceſſationeq; ab operibus: quēadmodū alios quoq; ritus nihilominus obſeruare tenebantur. Non ergo reputabatur immūdus, etiāſi talis moreretur, pro nō Iudæo vel non circumciſo, vel pro deplorato. At excōmunicati, quādiu tales ſunt, inter condēnatos cenſentur.

Peccat tertio, cum rectè ſe concludere putat: Qui noctu præter voluntatē polluebatur, excludebatur ea die è Tēplo. Ergo multò magis excludendus eſt, qui cum ſcorto ſe volēs commiſcuit. Etenim non valet cōparatio inter duo peccata, quorū vtriq; ſua propria conſtituta eſt pœna: ſed cū vtrumq; vna eadēq; pœna punitur. Tūc, inquā, vel leuius ſic punitur, magis ergo grauius ſic eſt puniendū. Idcirco talis eſt collectio authoris. Homicidiū qui præter voluntatem cōmiſerat, ad vrbē refugij conferre ſe cogebatur. Ergo multò magis illò confugere debet, qui aliquem ſciens ac prudens interfecit.

Item,

Item, Hic aliquid inſciens fregit vel contaminauit, vel aliquem pulſauit, vel aliud quidpiam fecit, atque reprehenſionem meruit: Ergo ſi idem ſciens aut volens fecerit vel is, vel alius, magis obiurgandus fuerit. Nimis pauca ſumuntur in concluſione, præſertim ſi certa & peculiaris pœna definita ſit vtriſque. Poteſt hoc intelligi clarius in diuerſis vitijs, vt ſi ſic colligat aliquis: Ebrioſus mulctatur aliquot aureis, multò igitur magis latrocinia exercens ſic mulctandus eſt. Sed de Legis immunditia ſupra fuſè egi.

Adfert poſthæc argumenta, quibus probat, ad Sacramenta non eſſe admittendos vel hæreticos vel pertinaciter in ſceleribus perſeueraturos: in quo à nobis non diſſentit. Nos enim neutros admittendos contendimus. Quæ præter hæc adfert, non ſunt digna, quibus confutandis tempus perdamus, cum ex ſupradictis reſponſio pateat. Leuia ſunt: rem propoſitam non concludunt: & morbo communi laborant, externæ ſocietatis iudicium à Iudicio Diuino non diſtinguunt. Preterea habent Apoſtolum in illis ipſis 2. Capitibus 10. ſcilicet ac 11. Cor. ex quibus deprompta ſunt, apertum aduerſarium, vt in Theſibus primum, deinde in ſuperiore confutatione planum fecimus. Vidimus & expendimus cum hęc tum alia talia, antequam de hac re ſcriberemus Theſes noſtras. Presbyterium vbi in ſacris literis contineatur, non docet: in quo propè totius diſputationis cardo verſatur.

Vt autem clarius intelligatur, quàm frigidè ad noſtra reſpondeat, ex tribus, quae refellere voluit, duo breuiter attingam. Iudæ namque praeſentiam in Coena vltima fruſtra coner anxiè defendere, cum nec ex defenſione commodum, nec ex neglectione incommodum ad nos redeat.

Quanquam ſi maximè conſtaret omnibus, quod ambiguum & inexplicatum adhuc eſt, Iudam nouæ Coenæ non interfuiſſe, non tamen excuſaret eiuſdem præſentiam in celebratione veteris Cœnæ, quòd iſti adferunt, ſcilicet crimina ipſius occulta fuiſſe. Nam ſi potuit Petrus Ananiam & Saphiram, quorum factum erat occultiſſimum hominibus,

bus, Excommunicare (Aiunt enim hos à Petro tunc fuiſſe Excommunicatos.) cur non potuiſſet aut debuiſſet Chriſtus Iudam ſemouere ab agni eſu? Sed iſta omnia libenter praetereo, vt quae cauſam noſtram vix eminus attingant.

Apoſtolus, inquam ego, iuſſit vnumquemque ſeipſum probare: non imperauit Presbyteris quibusdam alios probare. Reſpondet iſte author, eum de ſecretis conſcientiæ loqui. Deinde, inquit, ſequitur hinc, maximè arcendos eſſe aliquos, cum iubeat examinare ſe vnumquemque priuſquam adeat. Falſum eſt, Apoſtolum de ſolis ſecretis loqui peccatis. Manifeſtè namque loquitur de rixas mouentibus, de ſectas excitantibus, de contemptoribus fratrum pauperum, de inebriantibus ſe in loco coenae, de veſcentibus Idolothytis, (quod peccatum ſanè grauiſſimum erat, à Moſe prius, deinde etiam à concilio Apoſtolorum vetitum) & huiuſcemodi alijs. Hos iubet ſe explorare, ne ſibi Iudicium edant non diſtinguendo coenam Domini à coenis alijs. Ad alterum ſupra copiosè reſpondi. Non ſequitur hinc arcendos lapſos: ſed dandam eſſe omnibus operam, vt dignè vſurpent myſteria Dei. Permittit iudicium noſtris conſcientijs, non praeficit eis veſtrum Presbyterium, de quo nunquam ſomniauit Apoſtolus.

Dixi etiam Sacramenta expetentes hoc ipſo teſtari poenitentiam anteactae vitae & deſiderium emendationis. Nam in Eccleſijs noſtris, qui ad coenam acceſſuri ſunt, ſe peccauiſſe, gratia Dei egere, inque ipſius miſericordia propter Chriſti mortem acquieſcere palàm confitentur, emendationemque promittunt. Etiam Hypocritae, inquit iſte author, accedunt, quos tamen non poenitet. Item Eſa. 1. dicere potuiſſent, nos ſacrificando teſtamur, manus nos ſanguine plenas non habere. Vtrum ſimulatè aliquis agat an verè, iudicat Deus: noſtrum eſt de omnibus bene ſperare, cum neſciamus quo momento Deus corda emollire incipiat. Ad Eſaiae cap. 1. ſupra reſpondimus. Si illi dixiſſent Prophetae, peccauimus,

&madent ſanguine manus noſtrae: at pœnitet nos & porrò alij eximus: comprecare nobiſcum Deum, vt noſtri miſereatur: an amplius aliquid petiuiſſet? Quid facturus fuerit, exemplum Iohannis Baptiſtae praeclarè nos docet.

Putat idem author nos plurimum errare, cum aſſerimus Chriſtum 18. cap. Matth. nomine Eccleſiae Synedrium intellexiſſe: vt qui contendat, per vocabulum Eccleſiae, totum coetum ſeu concionem ſeu congregationem ſignificari. Quod adeo firmum putat, vt non vereatur hac in parte Caluinum, Viretum, Bezam, vniuerſam Eccleſiam Geneuenſem erroris hac in re inſimulare: credo, vt nos oppugnet, quod tamen nulla ratione iuſtâ facit. Ad me quod attinet, conſtanter aio, rectam & veram etiam eſſe illorum interpretationem, Dic Eccleſiae, id eſt, Dic Synedrio. Ab hac ſententia cur aliqui eorum, qui publicè priuatímque defenderunt, nunc reſiliant, cauſa quaeri poteſt, niſi ſi ea eſt, quod vident, nos ita probaſse Synedrium Iudæorum legitimum fuiſſe Magiſtratum, vt negare porrò non auſint. Interim lectorem moneo, me non habere neceſſe addere, quæ illi, addunt quaeque ineptè dici author noſter iudicet: ſcilicet Chriſtum iiſdem verbis iuſſiſſe futuras Eccleſias ad analogiam Iudaicae Presbyterium ſeu Conſiſtorium inſtituere, cui offenſus dicat. Ego enim verba haec, Dic Eccleſiae, idem ſignificare aſſero, quod iſta ſignificant, Dic Magiſtratui tuo, ſi non eſt impiae religionis defenſor. Hunc eſse genuinum Chriſti verborum ſenſum, non illum, quem author iſte adfert, nunc iam probabo.

Suppono ergo primum id, quod ab omnibus concedi exiſtimo, Chriſtum Eccleſiae praecepiſse dicere, quae in Iudaea tunc eſset, quámque diſcipuli eſse ſcirent, hoc eſt, Diſcipulos intellexiſse, cuinam Eccleſiae Dominus mandaret dicere. Etenim ſi de Eccleſia fuiſset locutus, quæ nullibi inueniretur, & cuius conſtitutio nondum eſset expoſita, nec ad ſui temporis locique conſuetudinem ſermonem ſuum accommodaſset, à nullo fuiſset intelle-

ctus. At verò Diſcipulos Chriſti verba intellexiſſe, cùm ex alijs circumſtantijs, tum ex eo maximè perſpicimus, quod, cum aliàs ſoepè ſcribantur quaedam non ſatis percepiſſe, hic neque mirati aliquid ſunt, nec dubitarunt, nec declarationem petiuerunt. Hoc ſolum admiratur Petrus, quod toties iuberetur fratri culpam deprecanti ignoſcere: ex quo conijcimus caetera eum rectè intellexiſſe. Ac de Iudæorum Eccleſia Diſcipulos accepiſſe verba Magiſtri, docet Petri interrogatio. Cum enim quaerit, quoties fratri in ſe peccanti teneatur ignoſcere, oſtendit ſe de Iudaeis verba Domini accepiſſe: vt qui Gentilem nullum reputaret fratrem. Nam de ſpirituali Gentilium fraternitate nihil intellexerunt Apoſtoli ante reſurrectionem Domini. Adde, quod ab ipſomet Chriſto iuſſi fuerant Gentiles & Samaritanos cauere, atque ad ſolas perditas oues domus Iſraelis quaerendas proficiſci, Matth. 10. Et quod de eadem Eccleſia Chriſtus fuerit locutus, verba haec, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus, abundè oſtendunt. Quippe Iudaeis Ethnicos opponit, eiſque Publicanos coniungit: quod iurati eſſent Romanorum Miniſtri contra ſuam Gentem: ac proinde ſub ſola Romanorum protectione inſtar Ethnicorum tuti viuerent. Equidem odio eos ita proſequebantur Iudaei, vt, ſi Romanorum potentia non protexiſſet, diſcerpturi ac dilaniaturi viuos viderentur. Moleſtiſſimè ſeruitutem iugúmque Romanorum, imprimis autem tributi exactionem ferebant: vt vel ex vnica interrogatione, qua, vtrum Caeſari tributum ſoluere liceat, quaerunt, liquere poſſet, ſi alia omnia ignoraremus.

Suppono ſecundo, nomina, quibus apud Hebraeos ſignificatur Eccleſia, bifariàm vſurpata fuiſſe. Etenim ſignificarunt aliquando concionem ſeu multitudinem vel totius populi vel vnius vrbis aut loci: aliquando autem huius turbae Senatum, Praefectos, Magiſtratum, aut quocunque modo libet appellare: praeſertim quando non vnus

aliquis, ſed plures ſimul præeſſent. Scio Eccleſiam interdum etiam poni pro collectione, quae in vna domo eſt: ſed haec ad inſtitutum noſtrum non pertinet. Chriſtus enim hic de Eccleſia vel vrbis vel pagi alicuius loquitur. Ac quod totam nomina illa concionem plerumque deſignent, extra controuerſiam pono. Quod autem pro Senatu & Magiſtratu nonnunquam ſumantur, manifeſtum eſt ex cap. 35. Num. vbi quater, & 20. Ioſuae, vbi bis, & Pſal. 82. vbi ſemel reperimus. Septuaginta interpretes nomen, quod in proximè dictis locis Magiſtratum ſeu Iudices ſignificat, & alijs in locis propè omnibus, in quibus totam multitudinem denotat, ferè expreſſerunt nomine τῆς συναγωγῆς. (Obiter tantum hic monebo, idem nomen hoc, quod in modo citatis locis Magiſtratum ſignificat, in exemplari Syriaco legi cap. 18. Matth. vbi Græcè ſcriptum eſt ἐκκλησίᾳ.) Eſt hic loquendi modus nobis admodum familiaris & vſitatus. Dicimus enim Imperium feciſſe, dixiſſe, decreuiſse, quod Imperator cum Imperij ordinibus fecit aut decreuit. Dicimus hanc vel illam Eccleſiam ſic vel ſic ſentire, cum, qui in ea praecipui ſunt, ſic ſentiunt. Dicimus indicauiſse aut conqueſtos eſse aut offerre ſeu dedicare Reipublicae, quod eius Senatui indicauimus. Dicimus nos à Repub. abſolutos, iudicatos, offenſos, donatos, quoties à Senatu aliquid tale tulimus. His ita declaratis, propoſitum ſic argumentor.

Chriſtus vel intellexit Eccleſiae nomine totam multitudinem Hieroſolymae, vel eiuſdem Preſides ſiue Principes ac Magiſtratus: hoc eſt, vel accepit in primo ſignificato, vel in ſecundo. (Nam praeter notiones haſce duas nulla eſt alia, quae noſtrae cauſae aptari poſſit.) Caeterum non potuit multitudinem intelligere. Nam pugnat hoc expreſsè cum Lege & ſtatutis Dei per Moſen promulgatis: contra quae Chriſtum nihil aut feciſse aut iuſſiſse, omninò certum eſt. Equidem tantum abeſt, vt in externa Reipub. gubernatione Iudaeorum aliquid

muta-

mutarit aut reprehenderit, vt prorſus nullum nobis nouum praeceptum de exercendis iudicijs reliquerit. Conſulit Apoſtolus Corinthijs, vt Arbitros ex ſuo corpore eligant, ne coràm profano Magiſtratu de rebus minimis litigare cernerentur: at longius hoc valere non voluit, quàm dum ſub tali Magiſtratu ageret Eccleſia. Quod ſi igitur in ratione gubernandi apud Ethnicos nihil praecepit mutari, quomodo cenſeri poſſit aliquid nouare voluiſſe in adminiſtratione ab ipſomet Deo Patre ſuo imperata? Iuſſit porrò Deus omnes controuerſias & lites, quae inter priuatos amicè componi non poſſent, coràm delectis iudicibus explicari. Sanè à tempore Moſis vſque ad excidium vrbis conſtantiſſimè hoc ſeruatum eſt, vt publica Iudicia, non à populo, ſed à Magiſtratibus exercerentur. Conſtat igitur iam Chriſtum intellexiſſe per Eccleſiam, non turbam, ſed Synedrium.

Confirmat iam dicta, pariterque propoſitum probat, quod Diſcipuli, quos patriarum legum ad obitum vſque obſeruantiſſimos fuiſſe ex Act. perſpicimus, nihil contradicunt: qui non videntur taciturì fuiſſe, ſi contra Moſis inſtituta receptumque morem aliquid imperari ſibi arbitrati fuiſſent. Quod Chriſti mentem perceperint, ex eo liquet, quod de re alia nulla vel dubitaſſe vel interrogaſse eos videmus, quàm de crebra iniuriarum remiſſione. Deinde, quod de alia Eccleſiae gubernatione, quam vſitata & ſua, intelligere non potuerunt. Quomodo enim de Eccleſia poſt Chriſti mortem fundanda & ordinanda intellexiſſent, qui nec moriturum nec reuicturum Chriſtum credebant? Ne tum quidem perſuadere ipſis Dominus potuit, cum Hieroſolymam aſcendens apertiſſimis eis verbis praediceret, Luc. 18, & alibi. Quinimò poſt reſurrectionem quoque ignorarunt, quale Chriſti Regnum eſſet futurum, quod prorſus mundanum & Iudaico ſimile expectabant, adeoque hoc ipſum reſtituendum putabant, priuſquam Spiritu-ſancto coelitus induerentur. Quocirca non de alia Eccleſia verba Chriſti acceperunt, quàm de

Senatu ſiue Synedrio, quod nomine aliàs Eccleſiam quoque ſignificante nominari non neſciebant. Acceperunt autem rectè cum nullus in totis ſacris ſcripturis apex inueniatur, qui non rectè eos hoc loco Chriſti ſententiam percipiſſe indicet.

Probat illud etiam, quod Chriſtus iuſſit Eccleſiae dicere, quae poteſtatem haberet iniurioſum ad ſe vocandi, teſtes examinandi, cauſam cognoſcendi, ſententiamque dicendi. Etenim iubetur ob eum finem is, qui iniuriam patitur, poſt primam admonitionem duobus aut tribus ſibi adiunctis animum iniurioſi pertentare, vt, ſi nihil proficiat, coràm Eccleſia cauſam ſuam idoneè probare teſtibus poſſit. Teſtes autem coràm iudicibus examinantur, vt de controuerſia pronunciari iuſtè poſſit. Certè oportet tales eſſe, qui teſtes audiunt, vt imperare poſſint. Alioqui enim aut venire, aut teſtimonium dicere facile recuſauerint. Caeterum non habuiſſe populum, vel turbam, vel aliàs, vel Chriſti ætate authoritatem vocandi, audiendi & examinandi teſtes per ſe, vel mandandi alijs quibuſdam, nullus eſt, qui neſciat. Rurſus igitur patet, eum non turbæ, ſed Synedrio ſiue Magiſtratui iuſſiſſe indicare; qui ex præſcripto Moſis hanc poteſtatem ſolus obtinebat.

Præterea iuſſit Eccleſiae dicere Chriſtus, cui tum dicere offenſus poſſet. Sed turbæ ſeu concioni indicare quî potuiſſet? Non poterat conuocare populum: quia neque Magiſtratus tuliſſet, neque illa paruiſſet. Quis non videt in contrarias partes mox ſcindendam multitudinem, vbi nullis legibus cohercita liberè agit? Iterum ergo ſequitur, ipſum iuſſiſſe dicere Iudaicae Eccleſiae Praeſidibus & Rectoribus. Si excipias, aliquos à multitudine ad hanc rem deligendos fuiſſe, fruſtra excipias. Primum, quia impoſsibile eſt docere, populum poteſtatem habuiſse tales iudices eligendi, aut tales poſt Moſen habuiſse. Si Chriſtum dediſse ius hoc in praeſente loco dicas, rurſus nihil dixeris. Nam non poteſt hoc ex verbis doceri verum eſse. Deinde contra Moſis legem hoc fuiſset præceptum. Tertiò, quid

quid Phariſaeos ad hoc dicturos fuiſse cenſes? Certe omnes occaſiones obſeruabant, vt eum contra Legem docere aut facere deprehenderent. Si verè de eo potuiſsent affirmare, eum Leges Moſis conuellere: populo dignitatem & ius gubernandi contra Magiſtratum, cui Deus per Moſen hoc imperium tribuiſset, aſserere: contra Magiſtratum ſubditos armare: ſi, inquam, verè potuiſsent haec dicere, an non ſeditionis reum peregiſsent?

Age vero concedamus haec de Chriſtianorum Eccleſia ſola dicta eſse (quod falſum eſse prorſus certum eſt.) Demonſtrare nihilominus oportet, Deum alicubi mandaſsé huic Eccleſiae, vt ex ſuo corpore certos aliquos ad hoc munus eligat, licet Magiſtratum Rectoremque pium nacta à Deo fuerit. At hoc quibus teſtimonijs demonſtrabitur? An dicent, Dic Eccleſiae, idem ſignificare, quod ſignificat, Conſtitue aliquos, qui nomine Eccleſiae talia adminiſtrent? At verò probanda erit haec interpretatio ſcripturae teſtimonijs. Haec autem vbi inuenient? Deinde quod in alijs iſti reprehendunt, hoc ipſum faciunt. Niſi enim concedant Chriſtum in hac dicendi formula, & loci in quo verſabatur, & temporis illius conſuetudinis, quae tunc vigebat, & auditorum captus rationem habuiſse, impoſsibile eſt, vt his verbis adiuuentur. Oportet ergo vt confiteantur, Chriſtum iuſsiſse Senioribus dicere, qui tunc erant, vt ſecundum analogiam nunc intelligamus dicendum illis, qui nunc ſunt. Cum eſset docturus Deo ſacrificia noſtra non placere, ſi odium aleremus aduerſus fratrem, iubet munus ad altare relinquere, & fratri prius reconciliari: non quod neſciret ſacrificandi morem illum mox habiturum finem ſuum: ſed quod per [illegible] & analogiam intelligere nos vellet, quid à nobis poſtulet Deus, quando exaudire eum noſtras preces cupimus. Ergo ipſiſmet teſtantibus iuſsit Synedrio dicere. Tunc enim Eccleſia nulla erat, poſt turbam, cui poſsent homines conqueri, & cauſas ſuas teſtibus productis probare.

Poſtremò nunquam demonſtrare nobis poterunt, quóſnam eligi ex Eccleſiae corpore oporteat: de qua re hodie ingens inter Excommunicatores eſt controuerſia.

Sed donemus hoc etiam in praeſentia, & quaeramus illud potius, vtrum delectis illis concedant poteſtatem admonendi, obiurgandi, & Excommunicandi, an non concedant? Si facultatem habent Excommunicandi, ipſi ſunt Eccleſia, cui Chriſtus iuſſit, dicere. Proinde verum eſt, quod dixi, cauſas tales non debere toti Eccleſiæ proponi dijudicandas, ſed ſolis ab Eccleſia delectis: quibus Iudaeorum Synedrium reſpondebat. Si Excommunicandi facultatem non permittunt, ſaltem authoritatem audiendi teſtes, examinandi, admonendi & obiurgandi non negabunt. Etenim non poterit iſtis negari, quod teſtibus ante hos conceditur, & poſt hos Eccleſiae: praeſertim cum teſtes examinare eos oporteat, vt rem excuſſam, explicatam, difficultatibuſque omnibus liberatam Eccleſiæ proponant expendendam & iudicandã. Concedit eis hoc author hic noſter his verbis. Quod ſi fratres priuatis horum admonitionibus non reſipiſcant, ad extremum officium fuerit totius Presbyterij, nomine Eccleſiæ ſignificati, tales acceſſere, & coràm toto Presbyterorum cœtu obiurgare, corrigere, monere. Notandum hic eſt obiter, quod dicit, ad extremum: & quod Eccleſiæ nomine ait ſignificari Presbyterium: quæ apertè cum ante dictis pugnant. Conſtat autem id, quod dixi, hoſce poteſtatem habere monendi, obiurgandi, corrigendi. Quo poſito, quatuor fuerint gradus, non tres ſolum, vt in Chriſti verbis cernimus. Primũ enim priuatim arguendus erit iniuriam faciens: deinde cum duobus aut tribus alijs admonendus: tertio à delectis Presbyteris audiendus & obiurgandus: quarto, ſi horum dehortationem deſpiciat Eccleſiæ accuſandus: ac demum, ſi ne hanc quidẽ audiat, velut Ethnicus & Publicanus erit habendus. Etenim pro eiuſmodi haberi nequit, niſi qui Eccleſiae obiurgationem ſpreuit: non autem, ſi Presbyteros illos deſpexerit: niſi Presbyteri ſint illa Eccleſia.

Non praetereundum eſt hoc loco, quod ex Aduerſarijs

aliqui dicunt, Magiſtratum tales eligere debere ſaltem ab initio, etiamſi Eccleſia nec petat, nec iubeat, nec conſentiat. Quomodo, rogo te, poterunt iſti vice Eccleſiæ ſedere, qui nolente ea ſedent & iudicant? & non ab ea, ſed inuita ea electi ſunt? Si verum eſt, Chriſtum nomine Eccleſiæ intellexiſſe totam multitudinem, falſum eſt, Magiſtratui hoc permitti, vt nolente Eccleſia hos ei Presbyteros imponat. Quanquam enim Magiſtratus præcipuum eſt Eccleſiæ membrum, tamen ipſiſmet interpretibus non iuſsit Chriſtus membro primario & principi indicare, ſed Eccleſiæ toti: in qua non facit alios alijs potentiores, quod ad hanc rem attinet. Nam ſi principali membro iuſſiſſet indicare, aut facultatem dediſset illum Senatum eligendi, Magiſtratui dediſſet, hoc eſt, Synedrio: quod iſti negant. Quare ſi tota Eccleſia poteſtatem hanc accepit, non habet eam Magiſtratus, niſi populus ei vnanimi & expreſſo conſenſu conceſſerit, aut ipſe ſibi vſurpauerit. Neque excuſat, quod ſemel tantum hoc ei volunt licere. Nam ſi Deus non dedit, nullo poteſt iure vel ſemel vel ſœpius ſibi vendicare. Si autem ſemel iure poteſt, ſemper poteſt: niſi expreſſum Dei verbum demonſtretur, quod ſemel duntaxat permitti mandet. His rationum pugnis & contradictionibus neceſſariò ſe inuoluunt iſti falſa ſua interpretatione.

Reſtat alia difficultas. Conſtat ex ſupradictis & ipſorum pariter conceſsione, multitudinem nihil poſſe ordine decenter iudicare, niſi eligat, qui cauſas quaſlibet audiant, examinent, explicent, iudicent, ac tandem Eccleſiæ perſpicuè proponant. Ergo vt iſta aptè peragantur, & confuſio caueatur, Presbyteros eligendos eſſe clamant, qui ius habeant excommunicandi. Nos verò vnde hoc efficiant nondum videmus. Eſto enim poteſtatem hanc habeat propter iam dictam cauſam cœtus Magiſtratu carens: An propterea conſequetur hoc turbæ in illo quoque cœtu conceſſum eſſe, qui pium ſortitus eſt Magiſtratum? Minimè gentium. Inſcitè namque ratiocinantur à genere ad ſpeciem affirmando, qui ſic colligunt. Vt ordine peragantur cuncta

&

& confuſio vitetur, eligendi aliqui ſunt, qui res regant: Ergo tales quidam ex plebe eligendi ſunt. Cur enim hi potius, quàm alij fuerint eligendi? An quoniam animal eſt, quod mouetur, mox canis eſt,& non homo aut aliud quodpiam? Ordine in Eccleſia ſicut in rebus alijs vniuerſis opus eſt, fateor. At vbi ordinem nobis præſcripſit Deus, ordinem alium quærere non habemus neceſſe. Hic autem præſcripſit. Fruſtra igitur laboramus, vt alio res ordine meliore adminiſtremus.

Certum eſt, Deum Magiſtratui externæ gubernationis imperium & ius omne credidiſſe: nec res politicas tantum, ſed etiam ſacras ita ipſius potentiæ ſubieciſſe, vt has ex præſcripto verbi Dei, illas iuxta ſcriptas leges & æquitatem adminiſtret. Quod cum ſit in veteri Teſtamento à Deo mandatum, à pijs omnibus Iudicibus & Regibus vſurpatum, & in nouo non reperiatur mutatum: meritò dicimus Eccleſiam, quæ Magiſtratum habet pium, non poſſe ex voluntate Dei nouum ſibi eligere Senatum, qui publica exerceat iudicia. Sanè ſi exſtaret aliqua permiſſio aut conceſſio talem Senatum eligendi, non poſſet hæc longius extendi, quàm ad Eccleſias Magiſtratu carentes: ad alias illas non poſſet, quæcunque aliàs poteſtate Magiſtratus ſuos eligendi carent. Non enim armauit Deus vſpiam ſubditos contra ſuos Magiſtratus: nec præcepit partem eis gubernationis adimere, alijſque imponere, qui ipſum quoque Magiſtratum in ordinem redigant, ſuoq; Dominatui externo ſubijciant. Itaque vt maximè ſit verum, Eccleſiam pro tota concione poſitam fuiſſe à Chriſto, ſequetur nihilominus Magiſtratui, vbi is pius eſt, indicandum fore. Nam multitudini dici non poteſt. Ergo eligendi aliqui in eius locum. At in nouo Teſtamento nulli tales iubentur eligi, multò minus definit ſcriptura, qui ſint eligendi. Quare ſi ordo eſt ſeruandus, optimus erit diuinus ordo. Hic autem eſt, vt Magiſtratus iudicijs de moribus præſit.

CAP.

CAP. II.

Refutatio alius libelli pro Excommunicatione.

Conſequens nunc eſt, vt de Germanico ſcripto aliquid inſuper dicam. In hoc plus eſt, arbitratu meo, ingenij, doctrinæ, iudicij, induſtriæ, probabilitatis & veritatis, quam in alijs omnibus, quæ mihi videre adhuc contigit. Idem quoque acerbius & aſperius eſt alijs. Etenim non Vrſinis ſolummodo vnguibus, quibus immeritos dilaniet, ſed etiam Viperinis dentibus, quibus cor ad viuum vſque pungat, armatum eſt. Verum multò me delectat magis venuſta tractatio, & ad veritatem acceſsio, quàm offendat aſperitas diſputationis. Quam ob rem omnibus illis, quæ in nos dicit, omiſsis, de ipſa re agemus. In toto fermè ſcripto contendit nos velle, ad cœnam admittendos omnes, modò ſe nominent Chriſtianos, illos etiam, qui à ſceleribus ſuis diſcedere nec velint, nec cogitent, ſed in eiſdem ſe perſeuerare velle palàm profiteantur. Quin etiam vrgere nos, vt hæc doctrina populo inculcetur. Ad hanc accuſationem reſpondeo, ſummam nobis iniuriam fieri. Semper enim ita de hac re diſputauimus, vt Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem obſeruandam cenſeremus. Deinde ſemper adiecimus, nos de ſolis illis loqui, qui doctrinam rectè intelligunt, eandémque probant & amplectuntur, & denique Sacramẽtis rectè vti deſiderant cum cæteris. Rectè intelligo, quod ad externa attinet, de quibus ſolis iudicat Eccleſia: cum animus vni Deo rectè notus ſit. Hæc cum vbique inculcemus, immeritò inſimulamur alterius ſententiæ. An enim poteſt is doctrinam Chriſtianam intelligere, probare, amplecti, qui ſe in ſceleribus prouoluere ſtatuit inſtar porci in cœno ſevolutantis? An poteſt talis deſiderio teneri Sacramentis ritè cum cæteris Eccleſiæ membris eodémque modo, ſaltem externè, vtendi? Qui ſtatuit malus eſſe non prodibit in Eccleſiæ faciem,

vt ſe pœnitere prioris vitæ teſtetur, ac meliorem promittat.

Semel dicam: hoc nec dixi nec cogitaui vnquam. Illud autem ſcripſi & cogitaui, ſi quis veniat ac ſe pœnitere profiteatur, correctionemque morum promittat, hunc, ſi cum cæteris de Eccleſia rectè cupiat particeps fieri Sacramentorum, repelli à Presbyteris quibuſdam non debere. Idem hoc cum apertis verbis hic Scriptor teſtetur, nulla eſt, nullaque fuit inter nos hac in parte diſſenſio. Sic enim ſcribit: Vbi populus rectè docetur rectéque admonetur, pauci inuenientur, qui fidem & pœnitentiam non profiteantur, quantumuis multi ex his ſint Hypocritæ: præſertim ſi intelligant non liberum ſibi fore, vt ſe Chriſtianos vocitent ac contra Chriſti inſtituta in contemptum Dei pertinaciter viuant. Quod ſi obijciat aliquis, nullum ita forè impudentem, qui admonitus non polliceatur emendationem & reſipiſcentiam: ac proinde excommunicatione minimè opus fore: huic reſpondendum eſt, vehementer de hoc lætandum, & nulla vtique tunc excommunicatione opus fore. Hæc ille.

Itaque in vno ex præcipuis diſputationis noſtræ capitibus pulchrè inter nos conuenit. Non enim concedet author ſcripti, opinor, vt Sacramenta illis negentur, quicunque ea petunt, & cupiunt rectè cum Eccleſia vſurpare, nec excommunicati adhuc ſunt, ſiue quos ipſe iudicat non eſſe Excommunicandos. Etenim palàm ſcribit, Sacramentorum negationem teſtimonium duntaxat eſſe excommunicationis. Quocirca cum teſtimonium alicuius rei, vt eruditionis, nulli demus, aut dare debeamus, niſi cui ipſa competit res ſiue eruditio; ne Sacramenta quidem negare poterunt illi, qui rem, cuius hæc nego teſtimonium eſt, ſcilicet excommunicationem non habet. Aliarum pœnarum ſimilis eſt ratio. Non enim teſtimonio notari debet exilij, niſi qui declaratus eſt exul. Ex his manifeſtè patet, non diſcordare nos in hac parte.

Alterum caput eſt de Magiſtratu & Presbyteris, (ſiue de

de duplici iuriſdictione in vna Republica) in quo leuiter diſſentire videmur. Quippe nos dicimus, Deũ nullibi imperauiſſe Eccleſijs ſub pio Magiſtratu agentibus, Presbyteros eligere, qui diſtinctam iuriſdictionem exerceant à iuriſdictione Magiſtratus: ſiue qui publica iudicia de moribus habeant cum coactione & pœnis, quibus ipſos etiam Magiſtratus ſuos in ordinem redigant. Quippe à Deo ſoli Magiſtratui omnem externam Reipub. gubernationem commendatam eſſe affirmamus: quam tamen ad præſcriptum & Regulam verbi Dei adminiſtrare teneatur. In hoc capite, ſi non omninò ſentit nobiſcum, non tamen prorſus diuerſum ſentit. Etenim in parte nulla ſcripti ſui affirmat, Preſbyteros tales ex mandato Dei neceſſariò eligendos (Qui videlicet iudicent, num ij, qui ſe pœnitere peccatorum ſuorum aſſeuerant, ſeriò id aſſerant, an ſimulatè & fictè dicant.) Etenim duobus in locis liberum videtur Eccleſiæ relinquere: in tertio Magiſtratui hoc ius tribuit. Primus locus ſic habet. Nullus ne pertinax quidem excommunicari debet vel à Miniſtris, vel ab ijs, qui fortè ipſis adiungantur, contra voluntatem & ſine conſenſu totius Eccleſiæ aut maximæ partis eiuſdem. Alter verò ita habet. Proinde vt etiam aliqui melioris & neceſſarij ad executionem ordinis cauſa ad hoc Iudicium deſtinentur, &c. Tertius hic eſt. Oportet inſuper contumaces authoritate publica ex mandato & ordinatione Magiſtratus per conſiſtorium Eccleſiaſticum, aut per alios, quos ad hoc munus deligere volet, ad pœnitentiam ſedulò reuocari. Duobus præterea locis alijs dicit, nihil referre, ſiue ijdem, ſiue diuerſi vtramque iuriſdictionem exerceant, dummodo vtraque exerceatur. Proinde neceſſum eſt, vt vel Miniſtris verbi gladium inſuper concedat, (quod eum velle non arbitror) vel Magiſtratui tribuat poteſtatem Excommunicandi. Aliter enim non poterit vtrumque munus ab vnis eiſdemque adminiſtrari. Confitetur ergo author, hanc iuriſdictionem non eſſe partem tertiam Miniſterij, vt alij contendunt. Item ex eiſdem teſtimonijs, in

quibus

quibus ſolis Presbyterij videtur mentionem facere voluiſſe, manifeſtè perſpicitur, eum non putare, Deum imperauiſſe horum electionem expreſſo mandato, ſed ordinis ſolum cauſa probare. De ordine ſupra ſatis dictum eſt: nunc ſufficiat monuiſſe, nihil poſſe verius dici, quàm Presbyterium illud à totis ſacris literis ignorari, nullóue in loco imperatum eſſe. De magiſtratus autem officio longiſſimè diſcedit hic author ab aliorum propè omnium opinione. Quippe contendunt omnes ferè alij, ipſum quoque Magiſtratum Presbyterij iudicio ſubijci: conſenſum eius non requirunt, dum Excommunicari eum à Presbyterio poſſe confidenter affirmant. Sed quia noſtram ſententiam euidentibus ex ſcriptura & Ioſepho rationibus ac teſtimonijs ſupra demonſtrauimus, non eſt neceſſe, vt hoc iam loco pluribus eadem repetamus.

Quód ſi de his inter vos conſentitis, interroget fortaſſe aliquis quid ergo eſt, de quo controuerſamini? Reſpondeo, in paucis, & ad rei ſubſtantiam non valdè pertinentibus: nempe in particularibus quibuſdam vel ſententijs vel loquendi formulis, & quorundam ſcripturæ locorum interpretatione. Dico ingenuè, ſi tam propè ad veritatem acceſſiſſent alij, me contra neminem diſputaturum fuiſſe. Nunc quia in campum hunc deſcendimus, explicanda nonnulla ſunt, quæ aliàs omitti facilè potuiſſent. Primum dicit, quæſtionem iam non eſſe amplius, qui ſint ad Sacramenta admittendi, ſed qui ſint pro viſibilis Eccleſiæ membris habendi. Puto ſe hac ratione, vt arbitror, definitionem noſtram infirmare. Sed non eſt ita. Nam viſibilem ſocietatem ab inuiſibili ſeparauimus: & de illa ſola nos loqui monuimus. Cum ergo in hac ſocietate omnes illos contineri putemus, qui præterquam quod eandem fidem profitentur, eandémque doctrinam nobiſcum approbant, laudant, amplectuntur, iiſdem quoque Sacramentis ritè cum Eccleſia participant, apertè patet, pro excluſo ex hac externa communione nullum haberi poſſe, niſi qui vel omnibus

prædictis

prædictis, vel aliquibus, vel vno priuatur. At duo priora eripi nec debent nec poſſunt. Conſequens igitur eſt, vt pro eiecto ex viſibili Eccleſia is tantum habeatur, cui Sacramentis interdicitur. Nam & mali, fratres noſtri ſunt propter communia Sacramenta: vt Catholici Donatiſtis rectè reſponderunt apud Auguſtin. in Collatione 3. diei.

At negatio Sacramentorum, inquis, eſt ſolummodo appendix & teſtimonium Excommunicationis: quæ eſt ipſum-met iudicium Dei in verbo eius expreſſum, & Eccleſiæ contra impœnitentes ad promulgandum commiſſum. Reſpondeo, nos de excommunicatione agere, non Diuina, ſed humana ſeu externa: itemque de ea, qua quis à Presbyteris quibuſdam ex viſibili cœtu ſecluſus intelligitur ac videtur, ſiue ſpiritualis Chriſti Eccleſiæ membrum ſit, ſiue non ſit. Cæterum vehementer ſcire velim, quo in loco ſcriptum ſit, Excommunicatos à Deo in ſanctis Scripturis, debere à certis Presbyteris arceri à Sacramentis ab ipſo inſtitutis? Ebrioſos, Hypocritas &c. (niſi reſipiſcant) excommunicauit Deus. Vbinam autem tales circumciſos aut baptizatos iuſſit à Sacramentis, præſertim ſi pœnitentiam vitæ anteactæ præ ſe ferant, repelli? Quocirca nugas & fabulas nobis obtrudunt, qui putidis eiuſcemodi Sophiſmatis illudere nobis ſtudent. Ad Eccleſiam viſibilem quod attinet, pro excluſo nullus habetur, qui Sacramentis nobiſcum vtitur rectè, quantumcunque ex verbo Dei dicatur propter vitia ſua à Deo excluſus. Aliud enim eſt à Deo excludi, & aliud ex viſibili cœtu piorum eijci. Quomodo autem & per quos promulgatio ſententiæ Dei fieri debeat, ſupra declaratum fuit, vbi de hac re multum egimus.

Sed pugnat cum voluntate Dei, vt per verbum alicui remiſsio peccatorum negetur, & eadem per Sacramenta confirmetur. Non inficior. Cui verbum Dei abſolutè negat remiſsionem, ei certè Sacramenta non ſunt concedenda. Cæterum verbum Dei pœnitentiam profitentibus

tibus non negat peccati remiſſionem. Quare ne Sacramenta quidem talibus negari poterant. Poſtulat Deus in vſu Sacramentorum fidem à nobis & reſipiſcentiam: nec rectè his vtitur, qui abſque his vtitur, fateor. At ex hoc non ſequitur, Deum velle Presbyteros eligi, qui fidem & pœnitentiam profitentem tantiſper à Sacramentis abſtinere cogant, dum ipſis videatur verè reſipuiſſe. Fateor illud etiam, Sacramenta Eccleſiæ eſſe inſtituta, non alijs. Sed Eccleſiam oportet cogitare viſibilem ſeu externam & internam: verbum externum & internum: Miniſtrum externum & internum: in Sacramentis quoque eſſe res externas & internas. Secundo ſcire oportet, quæ vnius ſyſtoechias ſunt, non cohærere neceſſariò & ſemper cum rebus alterius ſyſtoechias. Poſſunt enim externa ſine internis eſſe, quod ſæpiſſimè fit: & hæc nonnunquam etiam ſine illis. Icirco non ſequitur, ad illum non pertinere Sacramenta, qui non eſt in ſocietate Eccleſiæ interioris: modò membrum ſit exterioris Eccleſiæ. Sed quemadmodum exterioris tantum ſocius eſt communionis, ita res tantum externas ab externo Miniſtro ſuſcipit: interna dona non percipit, propterea quod inſtrumento ſuſcipiendi ſeu ore animæ caret.

Poſt hæc ad id, quod ex Moſe adduxi, reſpondere conatur. Moſes, dixi, nullos iuſſit à Sacramentis arceri circumciſos, præter legaliter immundos: cæteris autem ſi ea negligerent excidium interminatus eſt. Ergo non habet excõmunicatio præceptum apud Moſen. Deus, reſpondet is, in Teſtamento veteri mandati cuiuſlibet pertinacem violatorem interfici iuſſit, Num. 15. Deut. 17. vt ne profanarentur ab eis Sacramenta. Item, Admirabile eſt, quod Deũ præcepiſſe affirmant, manifeſtos Dei contemptores ad Sacramenta eſſe admittendos: cum in omni ſuo populo talem nullum ferri voluerit: & prophetæ omnes contra hanc Sacramentorum deformationem concionentur. Sed nec aduerſatur quicquã magis huic opinioni, quam quod Deus cũ pertinacia aduerſus mandatũ aliquod (cuius violatio aliàs non eſſet capitalis) peccantẽ, excindi ex populo ſuo mandat.

Nullo igitur pacto ſequitur, Deus apertè impios occidi iubet, Ergo voluit eos eijci ex ſuo populo. Contrarium huius palàm & firmiter cōcluditur: quod apoſtatarū exemplū declarat, ipſiſmet Aduerſarijs teſtantibus. Quocirca nō fuit opus peculiari mādato de depulſione à Sacramentis: cū in illo de corporali poena afficiendis cōprehenſū incluſúmue contineretur. Quid porro egerit ac dixerit Deus, cū tales ex negligentia non ſunt occiſi, ſed ad cultum Diuinū nihilominus ſunt admiſſi, in citatis Prophetarū locis perſpicitur. Illud etiam non ſequitur, omnes in falſa doctrina prauiſq; moribus pertinaces, qui aliter non cōmeruerint mortē, nunc eſſe occidendos: ſed nouū hoc eſt dogma. Et vt ita eſſet, morerētur tamen impoenitentes, non vt Chriſtiani, ſed vt excōmunicati & præciſi à corpore Chriſti. Itaq; de hac re lōgè rectius ſcripſit Auguſtinus, dicens: Hoc enim nunc agit excōmunicatio in Eccleſia, quod tunc agebat interfectio. Hęc iſte: quibus addi poteſt eiuſdem Auguſt. teſtimonium ex 2. Cap. lib. de fide & operibus: vbi aſſerit factum Moſis & Phinehæ in tranſgreſſores gladijs animaduertentium præfigurauiſſe malorum in Eccleſia coercitionem, quando viſibilis in ea gladius ceſſaturus eſſet.

Ad hæc reſpondendum iam eſt. Pertinaces mandatorum Dei violatores occidi iuſſiſſe Moſen, fateor: & cum Deū mutauiſſe conſilium nullibi legamus, eoſdem nunc etiam abſq; peccato interfici poſſe puto. At non hoc in quęſtione erat; ſed illud, An ſcilicet Deus præceperit ſcelere inquinatos, ſi quidem à Magiſtratu iuxta decretū Dei non puniantur, vel à Sacerdotibus, vel à Presbyterio illo cōmentitio, à Sacramentis remoueri? Hoc illud eſt, cuius probationem poſtulauimus: & nunc etiam poſtulamus. At probatum eſt, inquies. Expendamus igitur argumenta. Primum hoc eſt, Deus pertinaciter contra mādatum, cuius tranſgreſſio aliàs non eſſet morte mulctanda, peccātes, iuſſit necari, vt non deformarēt Sacramēta. Ergo voluit eos arceri à Sacramētis per delectos ab Eccleſia Presbyteros. Secundū, Deus manifeſtos ſuorum mandatorum contemptores non voluit in ſuo populo ferri,

vt non poſſent Sacraméta polluere. Ergo ſi Magiſtratus eos non occideret, iuſſit eoſdē Moſes à delectis quibuſdam alijs ab aditu Templi & ceremoniarum ſacrarum vſu prohiberi. Tertium, Omnes Prophetæ accuſant abuſum iſtum Sacramentorum. Ergo Moſes non rectè vſurpantibus iuſſit eorum vſu interdici à delectis ex toto coetu ad eā rem Presbyteris.

Reſpondeo ad primun, falſiſſimum eſſe, quod dicitur, ideo Deum vel pertinaces vel aliter malos pœna capitis afficere iuſſiſſe, vt ne profanarent Sacramenta. Vehemēter velim locum Scripturę citatum, qui ſic eſſe demonſtret. Alias cauſas nobis refert: huius nullo in loco meminit. Non ideo iuſsi ſunt occidi, vt Sacramenta non polluerent: ſed quia occidebantur, polluere ea non poterant. In 15. Cap. Num. non adducitur Sacramentorum pollutio pro cauſa: ſed quia talis Iehouam probro afficiat, verbum eius ſpernat, & præcepta irrita faciat. In Deut. eædem ferè cauſæ adferuntur, cum ſic ſcribitur. Qui Sacerdoti aut Iudici reſtiterit, è medio veſtri tollatur, vt populus tot⁹ audiat & timeat: nec porro ſuperbè. ſeu pertinaciter agat. Quæ hic mentio pollutionis Sacramentorum? An eadem prędicta valent, ac ſi ſcriptum eſſet, Occidite talem, ne ad Paſcha vel Sacrificia admiſſus ea polluat? Non puto. Ergo manebit argumentum noſtrum, quantiſper non fuerit Antecedens probatum. Et ſi poſsibile foret, vt probaretur, non tamen ſequeretur ex eo conſequens: quod per ſe eſt merum purumq; figmentum.

In ſecundo aſperè loquitur, vt nobis inuidiam conflet. At nihil tale nos diximus. Hoc affirmamus, Moſes in ſuo præcepto non excipit licenter viuentes, modò ſint circumciſi & ſecundum legem mundi. Ergo non iuſsit aliquem Iudæū arceri. Cum tantum circumciſos & legaliter mundos admitti præcipit, clarè hoc indicat, ſe eos intelligere, qui Iudaicam religionem patrioſq; ritus probarent & obſeruarent, ſaltem externè. Nam eo fuerūt ingenio Iudei, vt Moſis decreta oppugnantem, aut manifeſtè Deum deſpicientem, vnguibus potius dilaniaturi fuerint, quam eum ferrent,: cuius rei illuſtre exſtat exemplum (Præter ea, quæ apud Ioſephum, Eſ-

dram,& Nehemiam legimus)in lib.3. Machabæorum. Qui in alijs rebus peccarent, & contra Deũ, Moſen,Templum, Patriam Religionem apertè nihil dicerent aut facerent, facilè tollerabantur, quoties Magiſtratus non rectè officium faceret. Nullum in toto veteri Teſtamento verbum reperitur,quo demonſtrari queat, vllum vnquam circumciſum & Moſaicos ritus obſeruare volentem ab eorundem obſeruatione prohibitum fuiſſe à Sacerdotibus, qui propter cõmiſſum ſcelus aliquod à magiſtratu non fuiſſet punitus. Nihil enim tale eos iuſſerat Moſes facere, ſi Magiſtratus negligens eſſet. Quare non eſt cur nobis affingant aſperos iſtos ſermones, aut obijciant Apoſtatas atq; alios tales. De illis ergo agamus, qui pro Iudæis habebantur, & ritus Moſaicos obſeruabant, atque mandata Diuina minimè contemnere videre volebant, tametſi non ſic viuerent, vt ea præſcribebant.

Cum dicimus Moſen hominem Iudæum, ſi peccatum mortè dignum admiſiſſet,occidi quidem mandaſſe, at à Sacramentis repelli, ſi non puniretur, (Quod ſœpè futurum non neſciebat)non mandaſſe:cum,inquam,hoc dicimus,reſpondent iſti,ob hanc cauſam iuſſos eſſe tales occidi,ne Sacramenta polluerent.Hoc ego conſideremus. An non occidendus erat, quiſquis adulterium vel homicidium, vel crimen aliud,cui capitis pœna conſtituta fuerat,admiſiſset, etiamſi eum deinde facti ſui ex animo pœnituiſset? Non poteſt negari. Cæterum vos conceditis Sacramenta nequaquam pollui à verè pœnitentibus, & de emendatione ſeriò cogitantibus. Ergo ob aliam cauſam occiditur, qui ſic affectus eſt. Igitur ſi ex occiſione eorum, quibus pœna capitis à Deo impoſita eſt, probetur, tales à Sacramentis arcendos, concedi & illud oportebit, nullum ad Sacramenta admittendum eſse, qui crimen morte dignum patrauit: ſiue admiſsi ſceleris eum pœnituerit, ſiue non poenituerit. (Etenim tales occidebantur tunc mandato Diuino, & occidedi etiam nunc ſunt, ſiue doleant factum ſuum, ſiue non doleant) At

 iſtud

iſtud eſt inconueniens. Ergo ne prius quidē rectè affirmatur.

Secundo, non potuit hac via profanatio Sacramentorum præcaueri. Etenim facinora hæc ſoepè ſunt occulta. Item ſoepè puniri nequeunt, vt, homicium Ioabi, quod Dauid punire non eſt auſus 2. Sam. 3. Sœpè ob alias cauſas negligentur, quemadmodum eundem cernimus inceſtum filij, ac cædem, quam Abſalon fecit, impunita reliquiſſe. An hos in Templum non veniſſe & Sacramentis vſos non fuiſſe cenſebimus? Aliorum malorum tanta fuit turba, vt Pſal. 14. affirmet ne vnum quidem repertum fuiſſe bonum. Ergo nihilominus erat opus exceptione, vt videlicet tales, ſiquidem à Magiſtratu non punirentur, à Sacramentorum participatione ſubmouerentur. At hanc exceptionem Deus Moſen non iuſsit addere: tametſi præclarè noſſet, quomodo quouis tempore Magiſtratus officium eſſent facturi. Ex quo rurſus efficitur, Deum nihil tale mandauiſſe.

Tertio contendunt Aduerſarij, quoſdam eſſe excommunicandos, qui capitis poenam non meruerunt: vt ſi quis propter leuem iniuriam admonitus priuatim & publicè quieſcere tamen nolit, quia vel ſit ita obſtinati ingenij, vel quia ſe iuſtè facere putet, quod facit: is, inquam, propter pertinaciam excommunicandus, at non interficiendus fuerit. Quod ſi ergo contendatur, Deum voluiſſe tales (vt qui ſecundum ipſos non comprehendantur in numero interficiendorum) à Sacramentis abigi, monſtrandus eſt locus, in quo mandatum hoc continetur. At monſtrari in veteri Teſtamento non poteſt. Manet ergo firmum, quod diximus, Deum ſceleratos occidi mandaſſe, à Sacramentis arceri non iuſsiſſe: modò non eſſent legis immunditia contaminati. Certè qui aliter ſentit, non poteſt à contradictione Moſen vindicare. Nam contradictoriæ ſunt orationes: Omnis mundus ſecundum legem celebret Paſcha: &; Aliquis mundus ſecundum legem (nempe qui licenter vixit, at legaliter mundus eſt) non celebret Paſcha.

Ad tertium reſpondimus ſupra: ideo hic paucis nos expediemus. Prophetæ reprehenderunt abuſum & dehoneſtationem Sacramentorum: at nulli circumciſo interdixerunt vſu eorum. Sacrificia impiorum Deo non eſſe gratiora, quam ſi vetita animalia ipſi offerentur teſtati ſunt: at nullo in loco docuerunt debuiſſe tales à Sacerdotibus repelli. Accuſant Sacerdotes quod præuaricentur, & populum non rectè inſtituant: ſed non accuſarunt hoc nomine vnquam & vſquã, quod indecorè viuentes ad Sacrificia & Templum admiſerint. Loquor de mundis iuxta legem. Inuehuntur in Magiſtratus, & negligentiam eorum in puniendis ſceleribus damnant, adeoq; ſtudium in fouendis exſecrantur: interim non iubent Sacerdotibus, vt publica exerceant ſua quædam de moribus iudicia, criminiſq; conuictos iubeant à Sacramẽtis abſtinere. Deniq; dicunt ſemper hęc turpia & mala eſſe coram Domino: in oculis Domini: in conſpectu Dei: nõ autem in facie Eccleſiæ. Nos autem non quid Deus iudicet hic quærimus: ſed quid in hac re prçceperit in Eccleſia externa facere, inueſtigamus. His nũc addamus, quod ante diximus etiam, ſi ex his locis probare aliquis conetur, eligendos qui turpitudine morum inquinatos à Sacramentis arceant, concedendum & illud fore, eligendos qui malis interdicant orationе, lectione, Eleemoſynarum diſtributione. &c.

Patet ex prædictis, manifeſtè ſequi, quod author ſequi negat. Deus flagitioſos interfici iuſſit: & ſi fortè non interficerentur, non iuſſit eos ab vſu ceremoniarum à ſe in Eccleſia ſua inſtitutarum abſterreri. Ergo non voluit aliquem propter huiuſmodi cauſam à recto vſu ceremoniarũ repelli à quibuſdam alijs, qui non eſſent in Magiſtratus loco & munere. Hoc, inquam, rectè, verè, neceſſarioq; ſequitur, non contrarium, vt is exiſtimat, quicquid de manifeſtis Idololatris & Apoſtatis nos ſcribere affirmet. Hi enim ſi non interficiantur, à Magiſtratu, non à fictis illis Presbyteris ſunt coercendi. Verum de his in præſentia non diſputamus, ſed de illis diſſerimus, qui doctrinam amplectuntur veram, quoſque dolor & pœnitentia peccatorum ſuorum tangit,

etiamſi ſœpè in hac pugna ſuccumbant.

Cum deinde addit, Non fuiſſe opus mandato peculiari de ſubmouendis flagitioſos à Sacramentorum vſurpatione, quia hoc in illo de interficiendis talibus, velut pars in toto, aut anguſtius in patentiore contineretur, manifeſtè ſecum pugnat. Quoniam ſupra dixit, Iudaicum Synedrium ætate Chriſti vtramque iuriſdictionem tenuiſſe: & fuiſſe neceſſarium, vt vtraque ex Moſis decreto adminiſtraretur: & ob id putat, Iudices ex Sacerdotibus ferè ac Leuitis conſtitiſſe. Quod ſi ergo vtramque iuriſdictionem habuit & exercuit, etiam excommunicauit abſq; gladio. At hoc fecit vel ſine mandato Moſis, vel cum mandato. Si abſq; mandato fecit, verè nos diximus, mandatum à Deo per Moſen nullum fuiſſe propoſitum hac de re. Si mandatum habuerunt, falſum eſt, in illo de interficiendo ſic fuiſſe comprehenſum, vt ſeorſum non eſſet opus ponere. Hoc enim modo ſolo gladio & morte excommunicabant. At poſitum eſt, eos abſq; gladio, vt hodie ſolent quidam, excommunicaſſe. (Si aliter intelligunt Synedrium vtramque iuriſdictionem habuiſſe, nempe abſque hac excommunicatione, ad argumentum noſtrum non reſpondent: ac planè ridiculi ſunt (Ergo expreſſum habuerunt mandatum ſine interfectione excommunicandi: quod non potuit in illo de interficiendo contineri. Pugnant ergo quæ ſupra dixit cum præſentibus.

Supra etiam oſtendimus, fieri non potuiſſe, vt excommunicationis huius præceptũ contineretur in illo de interfectione. Sequeretur enim, omnes illos excommunicandos, qui crimen admiſiſſent, etiamſi minimè pertinaces eſſent: quod noſter author cum alijs quibuſdam expreſſè negat. Item, ſolos illos excommunicãdos, & omnes illos, quos Moſes iuſſerat occidi. Item, ceſſante gladio ceſſaret excommunicatio. Si negetur, oſtendere mandatum oportet. Si exſtat ſeorſum, falſum eſt in illo comprehenſum ſic fuiſſe, vt peculiari nullo res egeret præcepto. Nam Magiſtratu officiũ non faciente, non potuerunt vlli alij excommunicare, cum mandatum non exſtaret. Ideo Prophetas neminem hoc nomine

repro-

reprehendiſſe oſtendimus. Ex omnibus perſpicuè patet, ſi Deus voluiſſet excommunicationem in Eccleſia regnare, peculiari eam mandato fuiſſe inſtituendam: At non fecit, teſtibus etiam Aduerſarijs. Ergo exerceri eam noluit ab alijs quàm quibus gladium commendauit.

Vidimus quantum valeat iſta ratiocinatio. Deus turpiter viuentes iuſsit occidi. Ergo voluit eos à Sacramentis arceri, quia interdictio Sacramentorum contineatur in mandato de interficiendis improbis. Nunc quę deinceps ſequũtur, perpendẽda ſunt. Non ſatis intelligo, quo hęc dicantur: Illud etiã nõ ſequitur, omnes pertinaciter malos, ſi aliter non peccarint capitaliter, morte mulctandos eſſe. Eſt hoc nouũ dogma. Et vt ita ſit, moriuntur nihilominus, qui abſq; pœnitẽtia ſupplicium capitis adeunt, non vt Chriſtiani, ſed vt mẽbra à corpore Chriſti præciſa. Primum quidẽ, non diſputaui ego, vtrũ, qui à Moſe iubentur interfici, hodie quoq; ſint omnes capite plectẽdi. Hoc dixi, quod negari à nemine poteſt, illos omnes, quos aduerſarij aſseuerantèr affirmant excõmunicandos, apud Moſen iuberi non excõmunicari, ſed interfici: ac proinde excõmunicationem eam, de qua inter nos litigamus, à Deo non fuiſse mandatam Iudęorum Eccleſiæ. Hoc illis erat refutandum, non quærendum, an ijdem omnes nunc quoq; morte ſint mulctandi? Deus vult ſcelera coherceri, ac poenas conſtituit ſceleratis, vt earum metu cæteri à malè agendo deterreantur. Hanc ſuam voluntatem vult expleri, etiamſi non omninò & præciſè eiſdem poenis in quouis loco & tempore pręceperit vti.

Cęterum ex antegreſsis & conceſsis ab authore, eadẽ illa ſequi, niſi iſto modo, quo dixi, exponamus, haud eſt difficile monſtratu. Probauit is ex 15. Num. & 17. Deut. cum contumacia peccantes, licet aliàs peccatum non ſit capitale, occidendos eſse. Præterea ſcripſit, nihil magis noſtram ſententiam refellere, quam quod Deus pertinaciter peccantes omnes voluerit interfici. Ex his certè ſequitur, aut Deum in nouo Teſtamento aliud imperaſse, aut ſententiam mutaſse, aut concedendum eſt, quod diximus à Ma-

giſtratu gladium tenente eoſdem nunc etiam caſtigandos: licet alijs pœnis eos ad obedientiam reuocare ſeu cogere nunc poſſit: vt ego quidem arbitror. Equidem ſi ita præceptum de repellendis ſceleratis à Sacramẽtis, in edicto de tollendis ex hac vita improbis continetur, vt peculiari mãdato nullo egeat, neceſſum eſt, vt, quicunque excommunicandi ſunt, occidendi etiam ſint. Si id neges, conſequetur peculiari de his mandato opus eſſe: nec complecti hoc totum illud, ſed partem quandam ſolum. Si autem aſſeueres, efficitur quod dictum eſt, nempe cum peruicacia peccantes, tametſi peccatum non mereatur capitis pœnam, capite plectendos eſſe.

Auguſtinum, ſcribit, prudentius de hac re locutum, cum in locum interfectionis ſucceſſiſſe ſcribit excommunicationem. Magna profectò prudentia eſt abſque ſcripturis loqui ſcilicet. Quo loco iuſsit Deus excommunicationem hanc vice interfectionis in Eccleſiam inducere? Nullum de hac re verbum in omnibus ſacris libris reperitur. Et vt maximè largiamur eis, quod hic dicit Auguſtinus, quid hoc ipſis proderit? Cogentur nihilominus concedere conſequentia omnia:

1 Primum, in Eccleſia Iudaica nunquam fuiſſe excommunicationem. Succeſsit enim interfectioni: quę ad excidium vſq; vrbis penes eam remanſit, ſaltem ex parte.

2 Deinde omnes, qui capitale crimen patrarunt, excommunicandi fuerint. Tales enim omnes interficiendi erant, ſiue pœniteret eos facti ſiue non pœniteret.

3 Præterea ſoli illi excommunicari poterant, qui pœnam mortis apud Iudæos meruerant.

4 Item falſum erit, quod aſſerunt, ſolos contumaces excludendos. Nam qui capitale crimen patrarat, occidebatur, licet minimè pertinax eſſet.

5 Poſtremò non habebit ea locũ in noſtris Eccleſijs, quibus Deus largitus eſt piũ Magiſtratũ, ſiue gladiũ. Quippe cedit Vicarius, cum is, cuius vicẽ ſuppleuerat, per ſeipſũ officium ſuum

ſuum facit. Fieri hoc tanto magis oportet, quia interfectio eſt ordinatio Diuina: Excommunicatio non eſt. Idcirco diſceptatio hæc tota iudicari otioſa & ſuperuacanea poterit.

Sed aliter videtur Aduerſario, qui excommunicatione opus eſſe cenſet, tametſi magiſtratus probè ſuo fungatur munere: propterea quod huius & Eccleſiæ officia diſtincta ſint, & magiſtratus externam ſolum modeſtiam quærat, animæ ſalutem negligat. At pugnat ſecum. Quoniam paulò ſuprà dixit, præceptum excommunicationis contineri in mandato de interficiendis improbis: nec peculiari ob eam rem iuſſu opus fuiſſe. Quomodo ergo iam nihilominus opus eſſe affirmat, etſi magiſtratum ſedulò puniat nocentes? Formam Reipub. cuius inter ſe partes aptius cohæreant, ſapientiuſque diſpoſitæ ſint, excogitare nullus poterit ea, quam Deus ipſe fundauit, conſtituit, ordinauit. In hac non fuit neceſsarium peculiare de excommunicandis flagitioſis mandatum, propterea quod capitis ſupplicio punirentur. Igitur ne nunc quidem fuerit neceſsarium, dum vitia, quae apud Iudaeos capitalia erant, propè omnia ſunt capitalia, aut certè alijs grauibus poenis cohereeantur. Item, ſi vicem gerit interfectionis, vbi ea non eſt in Eccleſia, quomodo locum habebit vna cum interfectione?

Adde quod non animaduertunt iſti, ſe tacitè Deum accuſare, qui improbos à magiſtratu puniri iuſsit, excommunicari non iuſsit. An ſolam externam modeſtiam & non ſimul ſalutem populi ſui quaeſiuit Deus, cum praeceptum excommunicationis ſeorſum nullum propoſuit, ſed in praecepto de interficiendis facinoroſis comprehendit? An fortè poſtea eum huius conſilij ſui poenituit, & quæ coniunctim à magiſtratu adminiſtrari tunc voluit, poſtea diſcreuit, partémque alijs quibuſdam à magiſtratu commendauit? Sacræ literæ hoc nullo in lòco referunt. Quippe ſigillatim ſcelera recenſent, quae capitis ſupplicio cohercèri debent, excommunicationis eius, de qua diſputamus, nunquam & nuſquam meminerunt. Ergo pius magiſtratus officio ſuo fungens

ſolam

ſolam externam modeſtiam in Repub. plantabat, ſubditorum & peccantium ſalutem non procurabat? Mira certè res ſit, ſi Deus per magiſtratum apud Iudæos non ſolum externam modeſtiam, verumetiam ſalutem ſuorum quæſierit: per noſtros autem magiſtratus prius ſolum efficiat, alterum per preſbyterium ab eo nullibi inſtitutum procuret.

Quærat hic fortaſſe aliquis, quid tunc faciendum ſit, cum magiſtratus in ſuo munere negligens eſt, ac ſcelera non ea ſeueritate punit, qua oportet? Reſpondeo, id eſſe faciendum quod in ſacroſancto verbo ſuo nos docuit. Non docuit autem hanc excommunicationem: quare non eſt haec pro mandato Diuino Eccleſiae obtrudenda. Quid docuit autem? Quoties Reges non fecerunt officium, miſit Prophetas, qui eos increparent, ad diligentiam cohortarentur & ad obedientiam Dei tum Magiſtratus, tum Sacerdotes, tum ſubditos alios quouismodo impellerent, exhortationibus, obteſtationibus, minis, denique bonorum promiſsione malorumque denunciatione. Tales conciones Prophetarum non legimus habitas ſub pijs Regibus, Dauide, Salomone & alijs: ſed ſub impijs & officium ſuum negligentibus. Non legimus etiam, eos tunc vel excommunicaſse aliquos, vel excommunicari ab alijs iuſsiſſe: ſicut nullo in loco eos reprehendiſse inuenimus vel Sacerdotes vel alios, velut hac in parte negligentes. Idem igitur Miniſtri noſtri imitari debent, & caetera Deo committere: cumque cum pijs cunctis comprecari, vt pro ſua miſericordia rebus afflictis opem ferat, quomodo ipſe nouit eſse ſalutare atque vtile.

Etſi enim nos iudicamus remedium huius mali praeſentiſsimum & ſaluberrimum eſſe poſse excommunicationem: non tamen ita iudicauit Deus, cuius ſtatutis addere nos nil debemus. Ipſe namque homine longè ſapientior non omiſiſſet, ſi quidem vtilem ſuae Eccleſiae cognouiſset. Praeuidit is ac praedixit ſoepè ſuo populo, quales eſſent habituri magiſtratus: at nunquam iuſsit, vt cum non facerent ipſi officium, ſubditi iudicia peculiaria de cenſendis moribus

impro-

improbiſque coercendis poenarum inflictione inſtituerent, quibus ipſi praeſiderent. Vidit prorſus omnipotens & ſapientiſsimus Deus Eccleſiæ multò pernicioſiorem fore abuſum excommunicationis, quàm abuſum imperij magiſtratus. Docuerunt hoc nos ſuperiores ætates. Docet idem ratio, vt noſtras experientias taceam. Nam ſi presbyteri illi in re aliqua non rectè ſentiant, de qua non magnoperè ſolicitus ſit magiſtratus, nunquam quieſcent, priuſquam totam Eccleſiam ſecum ſentire coëgerint: quod & antea factum, & nunc etiam fieri videmus.

Quod praeterea dicit author à magiſtratu caſtigatos non fore meliores, aut non morituros Chriſtianos, mihi non probatur. Primum, quia Dei mandatum eſt, vt, qui aliquid morte dignum patrauit, moriatur, nullóque modo abſoluatur: ſiue doleat propter factum ſiue non doleat. Deinde, quia apud Chriſtianos ſumma diligentia tales ſimul erudiuntur ex verbo Dei: multò, inquam, diligentius inſtituuntur, quàm vlli alij. Tertio, quia ex rebus mundanis & externis nihil eſt ſub hoc coelo, quod magis nos ad agnitionem & inuocationem Dei perducat, modò recta inſtitutio accedat, quàm afflictio, crux, & aduerſarum rerum ſenſus. Qui tunc, cum moriendum ſibi videt, non deſiderat cum Deo redire in gratiam, is nullis excommunicationibus huc pertrahetur. Omnium ætatem & locorum exempla nos doceant, in mortis diſcrimine plurimos ad Deum ſeriò confugiſſe, qui nullis antea exhortationibus mouebantur. Non fruſtra ſub cruce detinet ſuos Dominus.

At non omnes, inquies, reſipiſcunt in ſupplicio. Sed nec omnes in Domino moriuntur, qui domi ſuæ pacatè ex morbo decedunt. Nec omnes excommunicati corriguntur, imò plurimi efficiuntur magni hypocritæ: & ſub ea ſpecie multo plus nocent, quàm alij indiſsimulanter mali. Nullum eſt ſub hoc ſole animal, quod Deo & coelitibus cunctis magis inuiſum ſit, Hypocritâ. Verum vt-ut iſta habeant, non decet nos inquirere in ſtatuta Dei, ſed

eius voluntati obedire, nec ſupra ipſum ſapere velle. Definiuit in ſuo verbo ſceleribus omnibus ſuas poenas: definitæ etiam ſunt in legibus Cæſarum, & iure, quo nos hodie vtimur. Pius magiſtratus ſic res temperabit, vt à voluntate & regula verbi Diuini minimum abſcedat, atque ad eius gloriam & iuſsum omnia dirigat.

Reprehendit praeterea, quod dixi, Iohannem omnes admiſiſſe ad baptiſmum, qui cuperent baptizari: Phariſæos, Publicanos: nec omnes tamen fuiſſe verè bonos & pios, ſed multos extitiſse improbos. Dicit confeſſos fuiſse peccata ſua, ſcio. Nam ſi quis non fateretur peccatum, quî poterat is baptizari baptiſmo poenitentiæ? Non enim pœnitere nos debet ſanctæ & incorruptæ vitæ, puto. Hoc volebam: Iohannem publica peccati confeſsione contentum fuiſse: non poſtulauiſſe neſcio quam ſatiſfactionem: nec arrogauiſſe ſibi facultatem inter verè & ſimulatè confitentes dijudicandi. Si imitari tuos voluiſsent presbyteros, non tam cito ac facilè admiſiſsent Phariſæos nonnullos, quos pro Hypocritis vt viperarum progenie habebat, vt ex verbis eius patet. Sed cum in hac parte non diſcrepet authoris huius ſententia à noſtra, magis miror, cur hæc carpere voluerit.

Contra id, quod dixi, non arcendos à ſacramentis qui rectè eis vti cupiant cum Eccleſia, obijcit cap. *66.* Eſaiæ & Salom. Prouerb. 15. de qua re ſatis eſt dictum ſupra. Miror, quod inter Dei & viſibilis Eccleſiæ iudicium iſti homines non diſtinguant, cum plus differant, quam coelum à terris diſtat. Non dicimus nos, Sacramenta Chriſtum & Belial vnire debere: ſed hoc contendimus, non debere ea diſiungere à viſibili ſocietate, quos Deus iſta via ſeparari nō iuſsit. Faciunt præterea nobis iniuriam (imò vera calumnia eſt) cum dicunt, nos omnes ſine vllo examine velle admitti, qualesquales ſint ac eſſe velint. Quippe ſic volumus vnumquemque admitti, quomodo Eccleſiæ noſtræ conſuetudo & regula iubet. Dixi quoque, fieri poſse, vt repentè aliquis mutetur, qui antè fuerit non bonus, vt exemplum habemus Publicani Luc. 18. item Zachaei, item mulieris

pecca-

peccatricis Luc. 7. Dixi autem, vt oſtenderem, non ſemper malos permanere, qui ſemper antè mali fuerint: benéque ſperandum de eo, qui ſe poenitere affirmet. Hæc cur accuſet, non video. Non ſecretum Dei conſilium, ſed peccatoris confeſſionem ſpectare debet Eccleſia.

Accuſat etiam nos inconſtantiae, & Theſes ſibi ipſis repugnare ſcribit, quia Haereticorum & Apoſtatarum excommunicationem admittant. Vtinam verò ipſi non magis ſecum & cum veritate ipſa pugnarent. Equidem in Theſibus ab initio monui, me de ſola illa excõmunicatione agere, qua aliqui doctrinam intelligentes, probantes, amplexantes & ſacramentis rectè vti cupientes, quod ad externum vſum attinet, ab eiſdem propter anteactæ vitæ turpitudinẽ à quibuſdam presbyteris repelluntur: quia ſcilicet non videtur eis ſeriò dolere, qui lapſus fuit, ac ſibi dolere id profitetur. Sanè vt Idololatrã & Apoſtatam negamus membrum eſſe Eccleſiæ Chriſti, ſic etiam nequitiam ſuam defendentem negamus inter membra Eccleſiæ cenſendum eſſe. Et quemadmodum illos ex Chriſtiano coetu iudicamus exterminandos, ſic hos quoque putamus in eo coetu non eſſe ferendos. Verum neque de his, neque de illis quærunt noſtræ Theſes: ſed diſputatur in eis de ſolis doctrinam amplexantibus, & ſacramentis ritè cum eccleſia vti cupientibus, hoc eſt, poenitentiam eodem modo, quo alij, profitentibus. Quare non pugnant meæ Theſes, dum, quod præter hoc eſt, non oppugnant. An eodem modo ſua ipſi defendere poſsint à contradictionibus, iudicium ſit penes lectores. Malim eos vbique ſibi & inter ſe in veritate conſtare.

Laus Deo. Heidelbergae Prid. Natiuitatis Domini.

CIↃ IↃ LXIX.

QVAEDAM EX EPISTOLIS SVMMORVM THEOLOGORVM AD ERASTVM EXARATIS AD hanc rem maximè congruentia, fideliter deſumpta.

Clariſſ. viro D. Thomae Eraſto doctori Medico, Domino meo honorando, fratri *& amico intimo, Heidelbergam,* *S. D.*

SPero vltimas meas, Domine obſeruande, & frater chariſsime, redditas eſſe tibi: quibus, inter alia, reuocauimus, per te aliquot ſtudioſos noſtros Eraſmum Kauffman, Stephanum Aberli, & Ioannem Heinrichum Locherum. Quòd ſi literae meae tibi nondum ſunt redditae, valdè oro vt eos moneas feſtinent, & reditum non protrahant, ſed rectâ domum veniant. Gratiſsimum mihi foret officium, ſi Ioannes Iacobus Friſius apud vos eſſet, aut in vicinia, id ipſum ei ſignificares, vt & ipſe domum rectà redeat. Sunt cauſſæ iuſtiſsimae, & neceſſariae, ob quas reuocantur. A poſtremis verò meis ad te datis, mox accepi Theſes tuas, inſuper & Tractationem de Excommunicatione. Legi, & auidè quidem. Dedi legenda D. Vuolphio, Lauatero, Hallero, Zuinglio, & imprimis Gualthero, & Simlero, &c. Placent illa nobis. Neque enim exiſtimamus negotium coenæ Dominicæ implicandum huic negotio. Diu cum Anabaptiſtis noſtris contendimus hac de re, & oſtendimus Eccleſiam veram poſse eſse, & dici Eccleſiam, quae excommunicatione hac careat. Rurſus tamen contendimus diſciplinam eſse debere in Eccleſia, ac ſatis eſse, ſi ea adminiſtretur à magiſtratu. Interim nunquam damnauimus Eccleſiam Geneuenſem, quæ ſuam habet diſciplinam. Nos ſi talem inducere vellemus in noſtras Eccle-

ſias

ſias, perderemus certò has citius, quàm ſeruaremus. Vide quid in Confeſsione noſtra hac de re ſcripſerimus. Sentimus nos praeterea vobiſcum, non facere ad ædificationem Eccleſiarum Palatinatus, neque è re vel bono fore Principis, ſi talis inſtituatur diſciplina, id eſt, Excommunicatio, qualem nonnulli volunt: quos optaremus diligentius apud ſe expendere illud Apoſtoli: Data eſt mihi poteſtas ad ædificationem, non deſtructionem &c. Multa ſanè ſunt hic, maximè exulceratiſsimo hoc tempore conſideranda. Breuiter, tecum, mi Domine, & frater, ſentimus. Multum hæc cauſſa nos exercuit.

Vt ad priorem cauſſam redeam, prudentiſsimus & pijſsimus Princeps Elector, pro religioſo ſuo animo, curabit, vt ſcelerati puniantur, & diſciplina ſit moderata in populo ſuo: at vt excommunicationem inſtituat talem, qualem quidem volunt, videt haud dubiè non admodum facere ad incrementum & conſeruationem Eccleſiæ. Dominus benedicat illi, & ſeruet ipſum.

Sed ſi nos id obtinere poſſemus, vt magiſtratus peccata ſerio puniret, & ſcandala auferret, abundè nobis ſatiſfactum eſſet. Non cupimus noua iudicia, neque maiore fungi poteſtate, & miſeros homines exagitare, & ex abalienatis, longe magis abalienatos reddere, &, ſicuti aliquando accidiſse vidimus: inferiores gradus conſcendere, ſuperiores verò intactos relinquere, &c. Aeternum vale. Tiguri 17. Octobris. 1568.

Bullingerus Senior tuiſsimus.

Clariſsimo viro D. Thomæ Eraſto Doctori Medico, *Domino meo honorando, & fratri longè* chariſſ. Heidelbergam.

S. D.

Binas à te, Domine honorande, & frater chariſsime, literas accepi, priores ſcriptas menſe Septembri: poſteriores. 9. Octobr. Prioribus interrogabas, quando primum homines cœperint propter delicta ſola vitæ excommunicari? Ego

Ego verò hic nihil certi poſsum tibi reſpondere. Satis vetuſtum hoc eſse video. Quia cum Eccleſia careret magiſtratu, cito conſilia inijt, quomodo ſceleratos coherceret. Nec tum illis aliud viſum eſt commodius remedium, quàm excommunicationis. Et ne quid hic apud te intimum, & optimum meum amicum, & fratrem dilectiſsimum diſsimulem: Gualtherus, Vuolphius, & ego ſcripſimus literas ad illuſtriſsimum Principem Palat. Elect. ſatis longas, in quibus eius Celſitudini exponimus: Audire nos, propter excõmunicationem, quam alij inductam, alia eiectam velint, exoriri odia, & diſsidia inter doctos, atque miniſtros. Orare itaque ſi quid huius ſit, ipſius authoritate interpoſita, diſsidentes componat, & ne in apertum certamẽ erumpere ſinat malum hoc: cum hoc tempore aliàs ſatis afflicta ſit Eccleſia. Exponimus item eius Celſit. Quanta ſuper hac re ſuſtinuerimus contra Anabaptiſtas, certamina: quibus nunquam concedere voluimus, vt diſciplinam, & coenam commiſcerent. Coenam eſse publicam & laetam gratiarum actionem, & non poenam. Diſciplinam verò comprehendere monitionem, & correptionem, adeoque poenam. Coherceri debere ſcelera & ſceleratos per magiſtratum Chriſtianum. Proinde obſecrare nos, ne noua iudicia erigat in Eccleſia: ſed curet potius, vt coena ſit libera omnibus peccata ſua agnoſcentibus, & veniam à Chriſto petentibus &c. Mulctet verò & coherceat petulantes, & offendentes Eccleſiam alia ratione commoda. Teſtamur, quod res eſt, inſcijs partibus, & ſecretò nos ad illuſtriſſ. Principem illa ſcribere. Interim tamen ſcripti tui De excommunicatione facimus mentionem: id quod à ſtudioſis noſtris huc ad nos reuertentibus acceperimus: indeque occaſionem acceperimus ſcribendi ad ipſum. Probamus autem ſcriptum tuum tanquam ſalutare, & Eccleſijs vtile, veritatique conſentaneum &c. Hæc te neſcire noluimus, vt ſi huius aliquid audieris, ſcias quid ſit. Quanquam arbitramur illuſtriſſ. Principem admonitionem noſtram ſibi ſoli reſeruaturum, qua duntaxat diſsidia manifeſta in Eccle-

ſia prævenire voluimus. Dominus benedicat noſtro conſilio, & labori. Nemo eſt alioqui, cui hoc noſtrum communicauerimus cõſilium. Et præſtat hoc, quod plurima ſint irritabilia valdè ingenia, & quæ cum ſemel odiſſe coeperunt, nunquam in gratiam reduci poſſunt. Dominus medeatur talibus & conſeruet Eccleſias in pace, & auertat ſcandala, præcidátque aduerſarijs ſua gaudia, quæ capiunt ex noſtris diſsenſionibus. Noua memoratu digna non habemus hîc vlla. A te expecto quid habeas. Studioſi noſtri omnium veſtrûm beneuolentiam prædicant. Proinde maximas tibi, omnibúſque vobis ago gratias. Quod ſi peſtis ingruerit, tu noſtris ſis bonus conſultor. Si ſchola non migrauerit in alium ſaniorem locum, tum illis da ſalutaria cõſilia, ſi fortè locum mutent, & aſcendant Argentoratum, aut ad alia tutiora loca, in quibus tamen non negligantur, ſed in literis progrediantur. Apparent etiam in vrbe noſtra aliqua peſtis initia. Dominus faciat, quod bonum eſt in oculis ſuis. Vale aeternum: Dominus benedicat tibi, & ſeruet te. Tiguri 29. Octob. 1568.

Bullingerus Senior tuiſsimus.

Clariſſ. viro D. Thomae Eraſto Doctori Medico, *Domino meo honorando & fratri chariſſ. Heidelberg.*

S. D.

ACcepi literas tuas, honorande Domine, & frater chariſsime, quas ſcribebas die Purificationis, mittebáſque per Albinum noſtrum. Ea exhilararunt me, & contriſtarunt vehementer. Multa mecum Zuleg. contulit de infelice illa excommunicatione. Ego illi reſpondi pluribus. Intellexi illum omnino ex ijs eſſe vnum, & quidem non poſtremum, qui illam cuperet inductam. Tandem hoc conſilij dedi: ſi veſtri diſsident, conuocentur, qui diſsident, & amicè inter ſe conferant, valeatque in collatione veritas. Sit libera coena Domini, gratulatio, & non ſupplicium, ſit in Eccleſia diſciplina, ſed quam adminiſtret bonus Magiſtratus. Tuã reſponſionem, cuius in literis meminiſti expecto, cupidè.

Zuleg. nihil dixi de literis noſtris ad Principem. Si nouit, pulchrè diſſimulauit.

Non diſſimulaui me vidiſſe Theſes tuas, eaſque mihi non diſplicere, vt ne reliquis quidem. Scripſi præterea ad Bezam noſtrum, admonens ne quid contra te in hac cauſſa vulget. Si velit, priuatis literis conferat: ac ſpero ipſum ea quæ pacis ſunt, quæſiturum. Zanchus ad generum meum ſcribit, ſe nolle huic negotio immiſceri: Vuillingus conſtanter videtur meliores ſequi partes. Annitimini omnes, vt quantum fieri poteſt, pax in Eccleſia ſeruetur, & capita, de quibus eſt concertatio, placidè excutiantur. Vale. Saluta D. Thomanum in Cancellaria, & excuſa me, quod nihil ſcripſerim ei. Accepi quas ille ad me miſit Calend. Februarij. Saluta fratres & amicos, imprimis Ioannem Miſcouium, & Caſparem Malinium meos illos Polonos. Tiguri 20. Febr. 1569.

Tuiſsimus Bullingerus.

Clariſſ. viro D. Thomae Eraſto Doctori Medico, *Heidelbergæ agenti, Domino meo honorando &* fratri chariſſ. S. D.

HAc ipſa hora exoptatiſsimas tuas literas vna cum reſponſione ad Argumenta excommunicatorum, accepi, libenter hanc lecturus exhibiturúſq; eandem alijs quoque ſymmyſtis, & fratribus. Quid nobis de ea videatur, breui, ſi quidem tabellionem commodum aſſequuti fuerimus, datis ad te literis exponemus. Nunc verò tot mihi ſunt negotia, vt vix breuiſsimum tempus alimento concedere poſſim; Spero breui plus otij me habiturum. A diſceſſu Zulegeri ſcriptis ad Bezam literis, hortabar ne ſineret animum ſuum exacerbari contra te, vt, quod nonnulli ſperent, publicum ſcriptum edat in tuas Theſes, quibus & alia quædam adieci &c. Ad ea ſecunda Martij his mihi verbis reſpondit: Miror quis illum ſparſerit rumorem, me aliquid editu-

editurum in Eraſtum, ac eius Theſes. Eas mihi diſplicere neque apud te, neque apud illum diſſimulaui. Addidi etiam ad illum ſcribere me miſſurum confutationem, ſed priuatim & amicè ſcriptam. Sic enim ab eo diſſentio, vt valdè probem in eo eximia Dei Dona. Et eum ſpero, re tota expenſa, multa ſaltem in ſua ſententia mutaturum: vtpote veritatis amantem. Vtinam verò, quicquid hoc rei eſt, cum ſolis amicis contentus fuiſſet communicare. Quam reſponſionem omnino ſequi decreueram, & multò etiam magis tuis acceptis literis, ſeruare decreui. Quod eum quoque idem deinceps facturum mihi polliceor. Ipſius libellum contra Aſtrologiam diuinatricem, curaui his diebus hîc excudendum &c. Hæc ille ad me. Proinde te etiam atque etiam hortor, ne quicquid eſt huius contentionis in publicum extrudatur, ſi vlla ratione per aduerſarios fieri poteſt. Nemo credit, quantum gaudium inde conciperent hoſtes noſtri communes. Vale & commenda me bonis & amicis noſtris.

Tuiſsimus Bullingerus Senior.

Ornatiſſ. viro D. Petro Datheno in Palatinatû *Concionatori aulico, Domino meo honorando & fratri* dilecto. S. D.

VLtimis illis tuis ad me datis literis, Petre Dathene, frater in Domino dilecte, quereris quod approbarim Theſes D. Eraſti, contra Diſciplinam Eccleſiaſticam ſcriptas, quas tu non tantum impias eſse dicis, ſed inſuper etiam viam ſternere ad atheiſmum. Vnde me hortaris & obſecras, vt data aliqua occaſione, publicè teſter, me nouas illas Theſes improbare. Quod niſi faciam, futurum vt videar diſſentire non tantum à docta illa vetuſtate, ſed etiam à Zuinglio & Oecolampadio alijſque, adeoque & cum memetipſo pugnare. Qua re nominis mei celebritatem, non tam

 obſcu-

alia ratione cohercendos eſſe, &c. in viam reducendos arbitramur, qui exiſtimamus & credimus coenam dominicam à Domino eſſe inſtitutam, non vt ſit ventilabrum aut cribrum, quo cribrentur aut diſpergantur ab inuicem homines, ſed ſynaxim, id eſt, coagmentationem, ſocietatem, cõmunionẽ & coniunctionem, ad colligendos congregandoſque homines peccatores, eos putamus, qui peccatorum ſuorum mole depreſsi, peccata ſua agnoſcunt, hæc ſibi remiſſa per mortem Chriſti credunt, ideo iam ad coenam Domini accedunt, gratias acturi &c. Hæc ſane non debet tibi, mi frater, noua videri opinio, nuper à nobis inuenta: cum in ſuperiore Germania, inter eccleſias reformatas, Tigurina, quæ ſemper ſic ſenſit, facilè fuerit & ſit omnium prima, vt quæ anno 19. ſupra 1500, plantari cœpit.

Ergo dum clariſsimus vir D. Eraſtus, diuerſum ab his, quoad ſummam totius cauſæ huius, quantum ego quidem in Theſibus eius videre potui, non ſentiat, nec nullam in Eccleſia diſciplinam eſſe velit, ſed magiſtratui Chriſtiano ſuum ius vendicet, atque ita viam oligarchiae eccleſiaſticæ (quæ alicubi ſuppullulare queat) diſsidijs in Eccleſia ſuppeditanti, intercludere, ſtudio pacis & concordiæ, ſatagat, ſcelera interim non impune graſſari, ſed legitime cohærceri poſtulet, ac ſacram coenam, ſancte non prophane, iuxta canonem Apoſtolicum, Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane hic edat, & calice bibat, celebrari, & ab ea nõ temere arceri homines peccatores cupiat, neque admonitionem eccleſiaſticam, aut alia ad emendationem Eccleſiæ vtilia & neceſsaria diſſoluat & abijciat, non video quomodo atheiſmo, vt ais, viam ſternat, maxime cum nullum fidei articulum, tota illa ſua diſputatione, vel in dubium vocare, vel conuellere euertereque cogitet. Quod loca aliquot ſcripturae, vt Math. 18. & 1. Corinth. 5. aliter interpretatur, quam alijs nonnullis videatur, id quidem non ignoras, Petre frater, ipſum commune habere cum alijs ſcriptoribus, cum veteribus tum neotericis, quibus tamen eam ob diuerſitatem, nemo vnquam atheiſmum impegit.

Modeſtiam ergo in te, mi frater Dathene, requiro, ne forte, non ſine cauſa, eam nobis inijcias cogitationem, ſi quando poteſtatem conſequamini in Eccleſia excommunicandi, fore vt omnes, quotquot per omnia veſtra nō approbarint, atheiſmi ſitis condemnaturi, ac expulſuri ad ipſos vſque religionis noſtrae hoſtes truculentiſsimos. Quæ res quem finem tandem conſequutura ſit, & quam graues inde turbæ & omnium ordinum conuulſiones ſint exorituræ, res & tempus ipſum docebunt. Si meliora conſequantur libenter vanus fuero vates, interim puto ſolicitudinem illam meam, non eſſe impiam, & de nihilo conceptam.

Niſi vero Theſes D. Eraſti improbauero, exiſtimas tu me mihi ipſi repugnaturum, hoc eſt, ſcriptis meis contradicturum. Cæterum ſi mecum repetiuero omnia, quæ hac de cauſa in libris meis editis, ſcripſi, non video me vel tantillū à mea diſcedere ſententia, quā ab initio mei miniſterij, per annos circiter 48. tenui, ac vltimò in Confeſſ. noſtra expoſui.

Etenim vt huius aliquid repetam in 1. ad Corinth. cap. 5. principio demonſtro cōtra Anabaptiſtas (cum quibus hac de re perpetua ſunt nobis certamina) excōmunicationem non eſſe exercendam à toto Eccleſiæ cœtu, ſed à delectis ad hoc hominibus. Deinde oſtendo excommunicationem quidem apud veteres fuiſſe excluſionem à cōmunione Sacramentorum. Adijcio tamen ſupplicium eſſe temporale & diſciplinam externam, ad medendū inſtitutam. Tradere ſathanæ nihil aliud eſſe, quam in aduerſitatem conijcere. Ad interitum carnis, ſignificare ad mortificandum externū hominem adeoque ipſum ſcelus deſignatum. Item eſſe Ethnicum & Publicanum ſignificare, eſſe haberique inter facinoroſos, quibus nihil neque officij neque ſynceri committas: vt nos ſolemus mæchos, ἐν αὐτοφώρῳ deprehenſos, honore, honore & trabea exutos, publicè dedecorare. Addo Paulum in 2. ad Cor. 2. cap. vſum ἐπιτιμία, pro ἀτιμία, id eſt, mulcta: & poſteriore hoc loco Apoſtolum expoſuiſſe, quid in priore intellexerit per traditionem ſathanæ.

Concludo & hortor omnes, curent, vt ſalutare hoc phar-

macum

macum, è cœtu ſanctorum, Pontificis auaritia eliminatum, reducatur: hoc eſt, vt ſcelera offẽdentia plectantur. Et ſub finem capitis, ſubijcio S. Auguſtini, de vſu diſciplinae, ſentẽtiam, ex tertio libro cõtra Epiſtolam Parmeniani, vehemẽtem quidem illam, non tam cõtra Donatiſtas, quam contra Anabaptiſtas, & Anabaptiſtas noſtro ſæculo ſimiles.

In 2. ad Theſſalonicen. cap. 3. abſtenſionis memini. Nam habemus abſtenſionem ſeu excluſionem, qua à tribuum ſocietate, & publicorum paſcuorum vſu-fructu excludimus contumaces & omnes admonitiones contemnentes. Interim nõ diſsimulo eundem locum etiam aliter poſſe interpretari. Ab his omnibus, quoad ſummam rei, nihil diſsidet, quod ſcripſi in Comment. meis ad 18. cap. Matth. Sub finem enim inter alia dico, Finis conſilij Domini eſt, (in negotio diſciplinæ) vt corrigantur ſcelerati in Eccleſia, & auferantur ſcandala. Proinde ſi illi corrigi poſsunt & hæc auferri, alio modo, pro temporis loci perſonarumque ratione prudenter, ſancte & vtiliter ordinato, nihil prohibet. &c. Et mox, videant qui hodie cupiunt eccleſiaſticam diſciplinam reductam, ne nimium ſeueri ſint, & imprudenti zelo ſuo, & ipſam Domini coenam omnibus reddant inuiſam, & Euangelij curſum plus impediant, quàm promoueant. Adde, ne dum certos aliquot excommunicare pergunt, non modo hos non ſanent, verumetiam totam cõmunionẽ, maximo cum bonorum detrimẽto & luctu, diſſoluãt.

Ab his nihil variant quae 10. Sermone Decadis. 5. expoſui. Eas audio, vt hoc obiter quoque referam, paulo ante typis Heydelbergæ excuſas, & admodum laudatas, nunc vero prohiberi, ne vel legantur vel diſtrahantur. Quod ſi verum eſt, non video quomodo illi, qui hoc faciunt, factum hoc ſuum excuſare, & leuitatis Papiſticaeque tyrannidis crimen à ſe propulſare poſsint. An enim non oportuerat prius admoneri authorem, amicum praeſertim & fratrem, & ſi qua re peccarat, indicare, eiuſque reſponſionem audire? Verum haec ſunt noſtra illa tempora, in quibus refrixit charitas, abundauit iniquitas.

libro contra Anabap. 6. Poſtremis duobus capitibus, ita perſpicue, opinor, hac de cauſa diſsero, vt ſi quibus videar in prioribus aliquid dixiſse obſcurius, in hiſce poſterioribus lucidiſsimè me loquutum eſſe, fateri cogantur.

Quod ſi qui mea ſcripta mihi maliciosè peruertere inſtituerint, & antilogias contexere, quod & in contumeliam maiorum noſtrorum ab aduerſarijs factum ſcimus, perrexerint: pergam & ego mea rectè interpretari. Interpretatio enim ei competit, qui id, de quo controuertitur, edidit. Hæc quidē copioſius quam ipſe ab initio me facturum exiſtimaueram, expoſui, quo tibi fratri meo commonſtrem, me, ſi quis mea rectius expendat, mecum non pugnare.

Quæ tu verò refers de celebritate & obſcuritate nominis mei, nihil prorſus moror. Scit, qui corda nouit Dominus, quid laboribus illis meis quæſiuerim. Non meam vnquam illis quæſiui gloriam, ſed Dei ac Chriſti eius eccleſiæque & miniſtrorum eius profectum. Vnde certiſsimè ſcio, viros bonos, qui in Belgio alijſque locis, meis vſi ſunt ſcriptis, & vtuntur adhuc fortè, & propter ea me amarunt, ſuaſque preces pro me effuderunt ad Dominum, ideo hoc feciſse, & facere adhuc, quod viderunt ſcriptis illis meis, me recta adducere ad vnicum mundi ſaluatorem Ieſum Chriſtum, in quo fideles pleniſsimè omnia inueniunt, quæ veræ ſalutis ſunt, cui & charitate & vitæ innocentia ſeruiendū eſſe docui: præterea qua potui euidentia, & Antichriſtum, & hunc mundum oppugnaui, erroreſque plurimos detexi.

Hi ſi intellexerint, in his conſtanter me adhuc progredi, neque in his vel iota immutare aut retractare (id quod ſi neceſſe ſit, improbitáſque aduerſariorum compulerit facilè demonſtrauero) licet non probem, quæ nonnulli de excōmunicatione diſputant, & vel nolentibus obtrudere volunt, tamen talem me proculdubio non iudicabūt eſse, qualem me nonnulli eſse, præter meum meritum, deferunt. Quod ſi verò vnam hanc ob cauſam illi me oderint meaq; ſpreuerint, ſuſq; déque fero. Satis mihi fuerit, ſi meos labores approbauerit Dominus. Ei enim probari ſummum mihi eſt gaudiū, improbari mundo nulla prorſus ſolicitudo.

Quantum verò attinet ad doctam, vt ais, vetuſtatem, non malè cum illa mihi congruit. Scio enim illam ſuis feciſſe temporibus, quod potuit, & ad Eccleſiæ ſui temporis conſeruationem facere putauit. Scio item vetuſtatem illam ſanctam, in vſu euchariſtiæ multa obſeruaſſe & eam ad multa attraxiſſe, quæ hodie nec in vſu ſunt, neque probare poſſumus, licet interim cum ipſa non male congruamus. Quomodo temporibus Apoſtolorum Corinthij cœnam celebrarent, nemo neſcit. Et quamuis Paulus eum modum reprehenderit atq; abrogarit, nihilominus tamen vetuſtas illa, Agaparum vſum in coetus ſactos induxit, qui hodie non vſurpatur, nec per omnia & in omnibus probari poteſt. Tertullianus de Monogamia & Cyprianus oſtendunt mulierculas euchariſtiæ reliquias in ſuas aſſeruaſſe ciſtas. Heſychius in Leuiticum commemorat reliquias euchariſtiæ eſſe à priſcis ad templa combuſtas. Nicephorus Eccleſiaſt. hiſt. lib. 17. Cap. 25. teſtatur euchariſtiæ relliquias Conſtantinopoli à pueris è ludo vocatis eſſe conſumptas. Hieronymus atteſtatur coniuges in nuptijs ſuis, in ſuas edes deferri euchariſtiam voluiſſe. Euſeb. Eccleſ. hiſt. lib. 5. Cap. 24. ex Irenæo commemorat, Romæ fuiſſe morem, vt ex alijs Eccleſijs aduentantibus Epiſcopis, paſtor Romanus mittere ſolitus ſit euchariſtiam, pacis vnitatiſq; fidei ſymbolum. Satyrus Ambroſij frater (vt ipſe Ambroſius refert in Oratione habita in funere fratris) agens in naui vel mari, euchariſtiam vel collo ſuſpenſam circumportauit. Cypriani, Auguſtini & Caroli magni Francorum regis ſeculo, data eſt infantibus euchariſtia, & ea de re noſtro ſæculo diſputauit doctiſs. & nobiliſs. vir D. Ioan. à Laſco. Iam etiam ſumpta eſt antiquitus euchariſtia ad conteſtationem innocentiæ & purgationē criminis obiecti. Baptizati ſunt prętereà mortui antiquitus, & impoſita eſt eis euchariſtia in os. Quod tamen abrogatum conſtat Conc. Carthaginen. 3. canone 6. De viatico alijſq; ſimilibus nihil dicam nunc.

Hæc, inquam, omnia vſurpata ſunt à docta illa & ſancta vetuſtate, vt mirum non ſit, ſi eadem diſciplinę Eccleſiaſticę

immiſcu-

immiſcuerint eandem eucharistiam. De qua interim in ſcriptis Apoſtolicis nullũ habemus diſertum & expreſſum mandatum: ſicut & de illis omnibus, quæ apud veteres obſeruata audiuimus, nullum Dei mandatum habemus. Vnde non irreligioſe illis hodie caremus, licet veteribus fuerint in vſu. Neq; vero idcirco male nobis cum docta vetuſtate conuenit. Quid quod apud eoſdem veteres legimus, ſuper pœnitentes conſtitutos Presbyteros iudices (id quod propter Nouatianos circa Cypriani tempora, anno circiter Domini 250. coepiſſe apparet) ad quorum iudicia & iuſſum, ad communionem fideles vel acceſſere, vel ſuſpenſi in coetu ſacro non communicarunt? Atq; ritum hunc apud pleraſq; Eccleſias Chriſti vſurpatum, magna religione, abrogarunt alij viri ſancti in Eccleſia, reducentes libertatem veterem, vt quilibet iuxta canonem Apoſtolicum, ſuę relictus conſcientiæ, ad cœnam accederet, dicente videlicet Apoſtolo, Probet autem ſeipſum homo &c. Neq; Epiſcopi pauci vel obſcuri, aut paucę Eccleſiæ hunc ritum ſunt ſequutæ. Extant huius rei aperta teſtimonia in Eccleſiaſtica hiſtoria, apud Socratem lib. 5. Cap. 19. & apud Sozomenum lib. 7. Cap. 16. Illa ergo cum ita habeant, eaq; ipſa quæ iam vltimo cõmemoraui apud doctam vetuſtatẽ ſint vſurpata, nec paucis in locis aut obſcuris in Eccleſijs, quę hodie in noſtris vſurpatur & nos profitemur, ſine cauſa & in vanum mihi obijcitur docta vetuſtas.

Quantum vero attinet ad clariſs. virum D. Huldr. Zuinglium B. M. primum harum Eccleſiarum Helueticarum reſtauratorem, nihil ille nobis reliquit in hac Eccleſia exercendum, quod non hodiernum vſq; in diẽ fideliter cuſtodiamus. Neq; enim vnquam nouandis permutandíſq; aut alternandis rebus in Eccleſia ſtuduimus, ſcientes quanta inde mala exoriantur in populo, quãta deniq; ſchiſmata & offendicula inde exſtant, & quantam inde anſã conuiciandi ſibi arripiant aduerſarij. Nunquã vero Zuinglius diſciplinæ Eccleſiaſticæ miſceri voluit cœnã myſticam. Nunquam voluit cœnam Domini gratulatoriã & lętam redemptionis cõmemoratioa-

morationẽ vertere, in triſte ſuppliciũ peccatorũ, eorum inquam, qui peccata agnoſcentes, ad Chriſtũ feſtinant, quem credũt tradito corpore & ſanguine ſuo fuſo, ipſis peccatorũ remiſſionem impetrauiſſe, & credentes hoc, inuitare ad hoc conuiuium ſacrum & myſticum. Addebat, apertum eſſe ſatis, quales ipſe Dominus primæ ſuæ cœnæ, quæ haud dubie omnium fuerit abſolutiſs. adhibuerit conuiuas. Neque decere vt nos Dei filio, qui ſolus corda filiorum hominum perſpecta habet, acutiores nobis ſumamus oculos, aut nobis-ipſis in cœna ſumamus iudicium, quod ille nobis neq; præcepto neque exemplo dedit. Attigit huius cauſę aliquid in amica ſua ad Lutherum exegeſi, Tomo operum eius 2. Fol. 359. 6.

Præterea diſputatum eſt in vrbe Bernenſi cum Anabaptiſta Piſtore Meyero, Aprilis 19. anno 1531. viuente adhuc Zuinglio. Cumque vehementer Anabaptiſtæ, vt hodie quoque excommunicationem vrgerent, ſine qua nulla poſſit dici & eſſe vera Eccleſia, rogareturque à Berchtoldo Hallero, qui primus Euangelium ampliſs. reipub. Bernenſ. annũciauit, & quid contentioſiſſimis & turbulentiſs. hominibus hac in cauſa reſponderi poſſit, reſpondit Zuinglius, quod & Berchtold' Anabaptiſtæ reddidit, id quod in Actis folio d.2.b. ſic refertur, Die Apoſtel ſind vnder der heidiſchen oberkeit geſin, welche die laſter nit geſtrafft, ſo ein Chriſt ſchuhen ſol. Da mit nun ouch die kirch ein ſtraff der laſteren hette, hat ſy die warnung vnd vſſchlieſen an die hand genommen, dan mit dem Schwert, das inen nit beuolhen, konteud ſy nit ſtraffen. Das iſt die vrſach deſ bannſ, by inen geſin. Nachdem aber die Chriſtenlich oberkeit die laſter ſelbs ſtrafft, wirt der Bann nit me von nothen ſin.

Rurſus diſputatũ eſt cum Anabaptiſtis Zofingę municipio vel oppido Bernatum in Argonia, menſe Iulio, anno 1532. ac inter alia in Actis fol. 68. & 10. hæc leguntur; Es mag ein andere ſtraaff vnd züchtigung in der kirchen gotteſ gebrucht werden, dan für ein heiden vnd publicanen halten.

halten. Denn Chriſtus nit anderſt will, dann d die laſter ge-
ſtraafft werdind. So iſt ſie nit vnbillich, ſo man glich iezt
ouch ein andere ſtraaff benampſet, alls ſo man es der o-
berkeit befilcht ꝛc.

Neq; variat ab his tantillum D. Muſculus, egregium Chriſti organum, & celebris Eccleſiæ Dei doctor, Bernenſis Eccleſiæ miniſter & profeſſor Theologus. Quid enim ſcripſerit de Diſciplina Eccleſiaſtica, in locis illis ſuis communibus, ſub Titulo, de Miniſtris verbi Dei folio 57. nemini eſt obſcurum. Ex his autem omnibus claret, me hac in cauſa nihil ſentire, vel à Zuinglio vel ab Eccleſijs vel doctoribus Helueticarum Eccleſiarum, qui nunc viuunt & iam inde vixerunt, in Eccleſiarum gubernatione, ab annis 50. diuerſum &c.

Quamuis vero incomparabilis vir D. Ioan. Oecolamp. miniſter Baſilienſis Eccleſiæ, in ea Eccleſia excommunicare cœperit magis, quam opus cœptum abſoluerit, nunquam tamen alijs per Heluetiam Eccleſijs (licet in publicis Heluetiorum fidelium comitijs frequentibus Aromniæ in Argouia celebratis, attentaſſet) perſuadere potuit, vt excommunicationem ex coena Domini excludentem, recipere vellent. Et quanquam Zuinglius ſuis rationibus, quibus hodie adhuc vtimur, niteretur, eaſq; Oecolamp. ſuo exponeret, ac diceret vereri ſe ne ædificium hoc Oecolampadij diuturnum & ſtabile foret &c. deniq; hortaretur illum ne nimis rigide ageret, & myſticam coenam pleriſq; redderet ingratam adeoq; difficilem & oneroſam &c. nunquam tamen regeſſit illi ea, quæ nunc impinguntur nobis, nunquam ille dixit Zuinglium impium eſſe & atheiſmum fouere, quinimo nihilominus cõcordes inter ſe vixere, & mutua in pace ædificarunt, ſibi à Domino creditas Eccleſias, non diſciſſi inter ſeſe, mutuis ſeſe lacerarunt vulneribus, quo nunc proh dolor, res inclinare videntur.

Accedit his illud quoq; quod Baſileę anno 1536. menſe Februario, in Comitia publica vocati, coiere præcipui omnes Helueticarum Eccleſiarum miniſtri, qui cum præſenti-

bus

bus etiam beatę memoriæ D. Capitone & Bucero Argentoratenſis Eccleſiæ miniſtris, & Legatis Neocomenſis Eccleſiæ &c. inter ſe diu & multum, & diligenter de omnibus Chriſtianæ fidei dogmatibus, etiam de excommunicatione contuliſſent, in hanc tandem ſententiam conſpirauere omnes, quæ & noſtra Confeſſ. vltima, cuius & antea meminimus, eſt expoſita.

Quid quod nulla vnquam fuit concertatio de excommunicatione inter noſtram Tigurinam & Geneuenſem Eccleſiam nobis prędilectam. De qua miror te ſcripſiſſe. Neq; putes nos ita eſſe dementes vt hic omnia ad rigorem illum Geneuenſis Eccleſiæ exigere & reuocare velimus &c. Etenim cum ante annos aliquot turbæ eſſent in illa exortæ Eccleſia graues: & nos ea de re requiſiti, occaſionem habuiſſemus noſtra obtrudendi aut commendandi ſaltem, attamen ſequuti ſumus, vt par erat, pacis conſilia. Itaq; neq; illorum inchoatam diſciplinam voluimus impedire, rigidam aut lentam nuncupare, neq; occaſionem aduerſarijs offerre ſæuius tumultuandi. Nam vt in alienas Eccleſias nullum nobis ſumimus imperium, ita ſanè ſi qui in ſuis Eccleſijs, quorum ratio illis rectius quàm nobis perſpecta eſt, aliquos citra turbam & querelas, à coena, per diſciplinam ſuam, ſplendido cum fructu, excludunt, id iudicio Eccleſiæ ipſorumq; fidei permittimus. Interim vero nos, plurimas ob cauſas, neq; coenam Domini gratulatoriam, diſciplinę Eccleſiaſticæ immiſcemus, neq; diſſimulamus rogati palàm profiteri (ſi modo nullum pręſens periculum iam aliquos exerceat) melius videri nobis, talem excluſionem omittere, quam exercere, ſi videlicet periculũ ſit conturbationis ſchiſmatiſq;, atq; adeo eam plus Eccleſiæ obfuturam quam profuturam.

Hæc vſque huc expoſui tibi, Petre frater, copioſius quam ab initio me facturum putaueram, vt intelligeres me non ob paucas nec iniuſtas ob cauſas, nolle in arenam deſcendere cum D. Eraſto, quem prętereà noui iam ab annis aliquot, fideliter & permultum laboraſſe in propagando Euangelio,

gelio, præſertim apud vos in Palatinatû, adeo vt ſi fideles eius labores non præceſſiſſent, tibi alijſq; exulibus vix tale patuiſſet hoſpitium, quali nunc frueris, vnà cum alijs multis. Beneficia eius tum in peregrinos, tum domeſticos collocata, eruditio item eius eximia & ſingularis, deniq; vera eius & ſyncera pietas, ob quæ à bonis laudatur omnib⁹, aliud ſanè ei deſtinarat premium, quam nunc ipſi repẽditur à nonnullis. Aut ſi in hoc negotio videbatur errare tam turpiter, quare non protinus ab initio collatum eſt amicè cum ipſo? Quin audio hoc ipſum multoties ab ipſo fruſtra eſſe poſtulatum.

Aperta eſt autem area ſponte, homini peregrino, cui ne cum ſuis quidem bene conuenire potuit, vt is intempeſtiua ſua de excommunicatione diſputatione, Eridis pomum vobis relinqueret. Aut cur maluerunt nonnulli apud vos, aliena etiam auxilia ex alijs petere Eccleſijs, quam ſine alieno auxilio, vt concordes vtrinq; manerent Eccleſiæ, cum ipſomet conferre Eraſto, qui ad omnia æqua, vt audio, recipienda, ſe ſemper obtulit? Videte ne veſtra illa imprudentia aperueritis fores nunquam terminandis litibus, ac inter ſe commiſeritis viros in Eccleſia opt. doctiſs. atq; præſtantiſs. quos magis oportuerat, ſi qua viſa oboriri nubecula diſſenſionis, diſpellere & in concordiam redigere, quam ad arma & prælia concitare. Beati pacifici, inquit Dominus, quoniam filij Dei nuncupabuntur. Non tantum, mihi crede, vtilitatis veſtra illa excluſione conferetis Chriſti Eccleſiæ, quantum mali dediſtis, ſi noua & acerba inter doctos & pios viros, ob hanc cauſam exoriantur certamina. Ita ſanè luctus grauis pios & pacificos in Eccleſia viros torquebit, & tripudiandi inſultandiq; nobis dabitur communibus aduerſarijs occaſio. Apoſtolus ſemper & in omnibus, ea quæ ad ædificationem & pacem faciunt, ſectari vult ab omnibus, qui etiam palam fatetur, poteſtatem ſibi datam eſſe ad ædificandum, non deſtruendum. Dominum Deum noſtrum pacis & concordiæ amatorem, ex animo oro, vt omnibus ſopitis diſſenſionibus, in vnitate ſancta & charitate

ritate

ritateq́ ſyncera nos coniungat, & in pace conſeruet. Vale Tiguri 1. Iunij. Anno 1570.

Bullingerus tuus.

Clariſſ. viro D. Thomæ Eraſto Doctori Medico, *Domino meo honorando, & fratri chariſsimo Heidelberg.* S. D.

LEpuſculus noſter omnia tua mihi, Domine colende, & frater chariſſime, tradidit. Pro quibus omnibus maximas ago gratias. Legimus reſponſionem tuam poſteriorem, neque diſplicuit cuiquam noſtrûm. Omnes probarunt. Et ego libentius eam legi, quàm priorem, id eſt, proximè Theſibus adiunctam. Non quòd aliquid in ipſa diſpliceret: ſed quòd videatur implexior, & difficilis intellectu. Id quod aduerſariorum tribuo confuſaneis argumentis. Poſtremo hæc expeditior, & facilior eſſe videtur. Ex iſtorum ſcriptis vix me expedio. Diſplicet autem omnibus, & dolet vehementiſſimè; quòd iſti hanc mouent tragœdiam, & ad arma, præter omnem neceſsitatem conclamant. Scripſimus Principi literas, & quidem ſoli. Quòd ſi ipſe eis illas communicat, vt eos nobiſcum committat, dolet nobis eò recidiſſe res. Non libenter cum vllis, nedum cum Symmyſtis, committimur, & concertationum pertæſi, non libenter pugnamus. Ego imprimis, qui iam ſenex, & propè valetudinarius; certaminibus minus ſum idoneus. Continuis propè calculi doloribus diſtringor, ac puto me hoc anno excreuiſſe ſupra ducentos. Exiſtimo me per annos miniſterij mei quadraginta ſeptem propè militaſſe abundè. Dominum itaque oro, vt pacem mihi concedat, aut ſi omnino in pugnam me extrudere ſtatuit, ampliores concedat vires, quàm nunc me habere experiar. Vigor enim animi, & vis memoriæ plurimùm me deſtituunt quotidie. Quia tamen hæc res

videtur ſpectare ad conturbationem Eccleſiarum pernitioſiſſimam, ſcribimus iam iterum Principi illuſtriſsimo, & aliquanto copioſius, exponentes illi pericula varia, & grauiſſima: quæ oritura timemus ex hac excommunicationis inſtitutione. Hortamur item, quàm poſſumus grauiſsimè (tres Eccleſię Tigurinæ paſtores, Gualterius, Vuolphius, & ego) ne quid temere nouent, & miniſtros inter ſe committant &c. Non poſſum ſingula commemorare. Quæ ſcribimus, neque exemplum noſtrę Epiſtolæ tibi mittere, ne fortè Princeps indignè ferret alijs quoque eſſe communicata, quæ nos-ipſi ſoli noſtro ſigillo obſignata mittimus, ſi quando intelligeret, nos eius exemplum ad te quoq; miſiſſe. Pręterea vix ipſum exemplum Principi deſtinatum potui commodè deſcribere. Ergo cum vnum modo ſupereſſet exemplum, quod ipſe quoque ſcripſi, non potuimus illud amandare, & ipſo carere. Necdum planè conualui ex morbo, qui mę diu, & multum, grauiſsimeq; exercuit. Proinde boni conſule, quod exemplum, vel copiam, quam vocant, ad te non mitto. Hoc autem crede, ſummam fidem, & diligentiam eſſe adhibitam pro noſtris viribus, ne quid omitteretur, quod ad hanc cauſam maximè pertinere videtur. Quod reliquum eſt, oremus Dominum, vt apud Principem illuſtriſſ. efficiat, quod Eccleſiæ Dei ſit ſalutare. Ad quod vnicè reſpeximus. Id tamen ſignificandum tibi putauimus, initium nos feciſſe à gratulatione. Gratulamur enim Principi de noua nupta, & optamus, vt illa exprimat moribus Heſteram &c. ſi fortè Epiſtola noſtra in manus veniat Principiſſę, inueniat, quod moueat, & iuuet. Sed & vnicè in hoc intendimus vt ipſe conſtituat diſciplinam legitimam, quę melius poſsit conſtitui, ſi coena non miſceatur, ſed libera permittatur, vt ſit communio, coniunctio, & læta gratulatio, conſolatióue hominum fidelium peccatorum, non autem excommunio, non ſeparatio, & triſtis querela; denique dirum ſupplicium, & poena &c. Dabit fortaſsis Dominus aliâs, vt commodè tibi mittamus exemplum. Aut habes, haud dubiè in aula, inter Principis optimos, & intimos, qui tibi

tibi noſtram poſsint cõmonſtrare Epiſtolã. Hæc dum ſcribo,en adferuntur literæ à fratre noſtro Beza, qui ſub finem Epiſtolę addit:Reſpondi Theſibus Eraſti,& miſi Heidelbergam:mittam etiam exemplum ad vos, ac ſpero,id neq; tibi neq; fratribus diſpliciturum.Illico ergo reſcripſi, id eſt, hodie prima Auguſti,& ſignifico illi, nos expectare, & libenter lecturos,quæ miſerit. Interim quomodo affecti ſimus erga hanc cauſam,non diſsimulamus: hortantes illum,ne oleum addat camino.Eos qui ipſum inſtigent ſubinde ad pugnam, non tales eſſe,quales ipſe exiſtimat.Nec diſsimulamus,nos ſcripſiſſe Principi,eumq; adhortatum,vt diligenter, & prudenter,quid hic inceptet, & quo hæc res tandẽ recidere poſſit,ſecũ expendat.&c. Et multa huius generis alia illi expoſui.Quę fortaſsis illi non probabuntur per omnia.Nos pacẽ Eccleſiarum, & iuſtũ earum incrementum quærimus, & optamus,illúmq; ad ſtudium tale adhortamur, ne, & multos offendat,& noſ-met-ipſos riſui exponamus omnibus noſtris aduerſarijs &c.Habebis ergo,Eraſte frater,quod agas.Hortor autẽ te,mi Domine,& frater,vt & ſynceræ veritatis rationem habeas, & ſanctiſsimæ pacis, coherceáſq; affectus,ſi quos ille tibi mouit,& ſi reſpondere volueris,reſpõdeas perſpicuè,breuiter,& diſpoſitione illuſtri ad rẽ,prætерita perſona aduerſariorum omniũ, quantum quidẽ hoc fieri poterit. Modeſtia ſẽper,& ab omnib⁹ probata eſt,& probatur adhuc. Dominus ſuam gratiã tibi,& nobis omnibus concedat.Scis alioqui Bezã eſſe fratrem noſtrum, & virum eruditiſſimum, & de Eccleſia Dei bene meritũ. Ergo ſicubi videatur vehementior,amore potius,& cõmoda,claráq; necnon euidenti reſponſione lucrandus,quàm odio & conuitijs perſequendus,ſæuiúſq; excipiendus erit,omniáq; huc collimanda,vt ſi fieri poteſt,in pace, ſicuti Dei filios decet, coaleſcamus, & non ſinamus ſemina diſcordiæ, & inuidiæ in corda noſtra ſpargere Sathanã. Verum ſat ſcio, hæc te aliâs ſedulò facturum,pro tua pietate inſigni.Certè me hæc cauſa ita torquet, & vrit,vt nunquam deſinam patrem orare cœleſtẽ, vt noſtri miſertus, affectus coherceat, certamináq; ſedet, pacemque

 concedens

concedēs, nos in ſancta concordia vniat,atq; conſeruet.Nūc vale, Domine honorande, amice integerrime, & frater in Domino chariſsime. Dominus benedicat tibi.Plura ſcripſi, quàm ferè vires admiſerint, & ego me ab initio ſcripturum putauerim. Tuas expecto ad nundinas. Si vixero,rurſus ad te ſcribam,volente Domino. Tiguri 1. Auguſti 1569.

Tuus Bullingerus.

Exemplum Epiſtolæ Bullingeri ad Bezam, ab eodem *Bullingero miſſum ad Eraſtum.*

D. Theod. Bezæ, Henricus Bullingerus. S. D.

LEgam libenter, quæ reſpondiſti ad Theſes Eraſti noſtri. Nollem ego illa publicari.Spero te priuato ſcripto iſta agere.Nam vehementer doleo,vt, quod ex animo ſentio, dicam liberè,& te non celem, Cœnam Dominī,quæ alioqui plus nimium diutinis diſputationibus eſt conquaſſata,& populo parum grata facta, in nouam rurſus rapi controuerſiā: & quę inſtituta eſt à Domino ad congregandam Eccleſiam, ad communionem,ſocietatemq;,& conſolationem, deniq; ad gratulationem,& gratiarum actionem fideliū, nunc propter diſciplinam fundandā trahi ad diſpergendam Eccleſiā, excommunionē,vt ſic dicam, ad ſeparationē, inquam,& triſte ſuppliciū,deniq; ad querelas, & contentionem fidelium.

Mea quidem ſententia, poteſt in Eccleſia iuſta conſtitui diſciplina, vt interim Cœna Domini libera maneat omnibus illis,qui ſe iuxta Pauli doctrinam probarunt, neq; conuertatur in poenam &c.Et quidem magna cum ſolicitudine audimus quoſdam Heidelbergæ, quos tu fortè meliores, & prudentiores eſſe putas, quam ſint, importuniſſimè excommunicationem illam ſuam diſciplinarem vrgere, ac Principem optimum impellere, vt eam inuitis omnibus obtrudat. Rurſus nobiles, ignobiles, & plebeios hoc indigniſſimè ferre, vt periculum ſit, ne ea res in tumultū aliquem,cum alioqui omnia ſint exulceratiſsima, deſinat. Atq; vtinam falsò hęc

hæc metuam. Non ſine cauſa murmurant, quod omnia ferè adminiſtret Princeps per Niderlanderos, ſiue Belgas, homines peregrinos, ſuis illis penitus præteritis.

Proinde te oro, atq; obſecro, vt prudenter in hac cauſa omnia expendas,& agas,neq; oleum camino addas,ne dum iſti, qui ſubinde te inſtigant,& purgatiſsimam Eccleſiam(ne quid hic aliud ſuſpicer) volunt inſtituere, breui nullam habeant, doleantq́; ſe imprudenter egiſſe,in periculum nihilominus adductis bonis omnibus, vnà cum optimo Principe, maximo item cum infirmorum ſcandalo, & hoſtium noſtorum tripudio inſolentiſsimo.

Prędterito itaq; menſe ſcripſimus ad illuſtriſſ. Principem, hortantes ipſum, vt res ſuas hac in cauſa piè, prudentérq; inſtituat,néue in Eccleſia diſsidijs, contentionibúſq; nouis, & perniciosiſsimis occaſionem vllam præbeat,:quin potius iuſta inſtituta diſciplina, & Cœna Domini in libero, & gratulatorio vſu relicta, pacem Eccleſiarum, Miniſtrorúmq; promoueat, atq; conſeruet. Video enim nunc maximè, ſi vnquam aliás, nobis opus eſſe moderatione ſancta, & concordia firma, pręciſis omnibus diſsidiorum,& contentionum occaſionibus. Dominus Ieſus dirigat nos ſpiritu ſuo ſancto. Vale Tiguri, 1. Auguſti, Anno noſtræ ſalutis 1569.

Clariſſ. viro D. Thomæ Eraſto Doctori Medico *peritiſs. Heidelbergæ agenti, Domino meo* colendo, & fratri chariſſ.

S. D.

SPero vltimas meas eſſe redditas tibi, miſſas per Iacobum Lepuſculum. Oro autem mihi digneris ſignificare, quid factum ſit cum literis noſtris ad Principem Illuſtriſſ. ſcriptis, & quomodo res Eccleſiaſticæ habeant apud vos. Concepi mœrorem maximum ex diſsidio illo infelici veſtro, ac peiora ſubinde metuo. Dominum autem oro, vt

omnibus pacatis, ſanctam in Eccleſia pacem conſeruet. Sunt & alia plurima, quæ me contriſtant vehementer. Quibus accedit corporis etiam afflicta valetudo. Subinde enim alijs, atque alijs fatigor. Nunc capitis, & dentium dolor me affligit, ſed & calculus vrit, & curæ me conficiunt, vt iam non commemorem reliquias morbi, quo hac æſtate grauiter laboraui, me ſentire adhuc. Interim agnoſco, Domino ita placere, & ipſum me hoc modo exercere, qui electis ſuis omnia in bonum conuettit. Hunc ora pro me Dominum. Beza nondum miſit, quam promiſit reſponſionem ad Theſes tuas. Expectamus tamen eas. Reſpōdit autem ad meam adhortationem, qua cohortatus ſum ad pacis ſtudium, & ne oleum camino addat, néue illos audiat, qui ipſum ad pugnam incitant, quos vereor, non tam bonos eſſe, quàm ipſe fortaſſis arbitratur. Amiciſſimè mihi reſpondit, & inter alia: Noli dubitare, inquit, de meo animo pacis cupido &c. Dominum ego ex animo oro, vt vtrumq; in vera charitate, & pace coniungat, coniunctoſq; in vnitate conſeruet. Non puto me ſcripturum per Froſchouerum noſtrum, diſcedentem Francofordiam. Vix has ſcribo. Oro ergo, vt boni conſulas hæc. Nam ineptum rebus me fieri indies magis magiſq; ſentio. Sed anni ætatis meæ & corpus exhauſtum hęc adferunt, & fortè adferent magis impedita. Dominus faciat mecum, quod bonū eſt in oculis ſuis. Cuius bonę voluntati me prorſus ſubijcio, cupiens, ſi velit, diſſolui, & eſſe cū Chriſto. Benè vale, Dominꝰ benedicat tibi, & ſeruet te. Tiguri. 23. Auguſti 1569. Saluta fratres, & amicos noſtros. Omnes noſtri te quoq; ſaluere iubēt in Domino.

Tuus Bullingerus.

Clariſs. viro D. Thomæ Eraſto Doctori Medico, Heidelbergæ agenti, Domino meo honorando *& fratri chariſsimo S. D.*

BInas à tua humanitate literas accepi. Priores quidem datas in Roetelen 19. Septembris. Poſteriores autem

tem Heidelbergæ 10. Octobris. Ac initio Dominum oro, vt ipſe nuptijs illis Sororis vxoris tuæ benedicat, tibiq; & tuis fœlices, & fauſtas eſſe velit. Vtinam verò placuiſſet tibi, quando Baſileam vſq; veniſti, ad nos vſq; penetrare. Sed id propter negotia tua tibi fuiſſet fortè incommodum. Proinde gratias Deo ago, quod ſaltem per literas poſſumus colloqui coram, ſi hîc non datur.

In prioribus illis tuis promittis te formulam iuramenti Miniſtris Eccleſiarum nuper à Principe Illuſtriſſimo præſcriptam, elegantem, & bonam miſſurum. Sed per obliuionem fortè factum eſt, dum poſteriores literas ſubmitteres, illam non adieceris. Niſi ergo tibi graue ſit, oro vt poſthac mittas. Cupio enim videre.

Poſterioribus, vt & prioribus, multa commemoras de infelici certamine excommunicatorio. Id quod me mirum in modum affligit. Metuo enim certamen hoc non tam Principi illuſtriſſ. quàm omnibus alijs Eccleſijs maximum daturum malum. Vnde cum nihil aliud poſſim, Dominum oro, vt ipſe odioſas has altercationes, benignè componat, ne incendium hoc latius ſerpens pacificas Eccleſias quoq; inflammet atq; conſumat.

Petis hac in re à me duo: principio, vt tibi deſcriptam epiſtolam, quam vltimò ad illuſtriſſ. Principem hac de cauſa miſimus, ſubmittam. Ego verò, qui in omnibus, hac etiam in re, ſi fieri poſſet, tibi inſeruire ſum paratiſsimus, hoc tamen, quod petis facere non poſſum. Etenim ſcis Principem Illuſtriſſ. nos ab initio primę Epiſtolæ atteſtatos ſanctè, inſcijs partibus vtriſq; hęc ſcribere, & quidem ſoli. Poſtea tamen ſubmiſimus exemplum eius Epiſtolæ deſcriptum tibi. Quod multis vicibus deſcriptum, & ad varia loca tranſmiſſum intelligimus. Vnde fides, & authoritas noſtra meritò apud Principem laborat. Id quod meritò nobis dolet. Ac ſentimus Principis Illuſtriſſ. animum à nobis ab eo tempore alienatum. Non enim ad priores reſpondit, ſed & ad poſteriores vltimò miſſas nihil reſcripſit, ac ne quidem nunciauit. Condonabis ergo nobis ſi aliquandiu

diu adhuc, feruente contentione mittere illas ad te diſtulerimus. At hoc tibi perſuaſum habebis nihil aliud nos illi ſcripſiſſe, quàm quod breui ſumma literis ad Francofordienſes nundinas miſſis ad te, expoſuimus.

Deinde petiuiſti tibi quoque tranſmitti exemplum reſponſionis Bezanæ,tranſſcriptum. Cæterùm in veritate tibi affirmo, huius ne tantum vidiſſe. Promiſit quidem ab initio tranſmiſſurum ad nos exemplum. Eius autem rei, cùm inde ab eo quinas, vt minimum dixerim, literas acceperim, ne verbo quidem meminerit. Neque nos illum promiſſionis vel admonuimus,vel admodum vrſimus. Proinde nihil mittere poſſumus. Nam, nobis crede, nihil ab illo hactenus accepimus. Improbatur autem nobis vehementer,quod ſcriptum ad te miſſum, tibi non redditur. Cuius culpam ſuſtinent maiorem, qui tibi non reddunt.Qui verò illi ſint, neſcimus. Totam enim cauſam hanc ignoramus. Nunc verò ſcripſi ego veteri meo amico, & fratri D. Zanchio Vrſino, quem ſemper expertus ſum hominem eſſe māſuetum, & modeſtum. Adhortatus ſum, vt amicè hac de re tecum conferat.Nec diſſimulaui, quæ hic mea ſit ſententia. Dominum oro, vt infœlix hoc certamen, ipſe ſuâ gratia dirimat, atque componat. Video enim hoc Eccleſiæ noxium valde futurum. Vnde te adhortor, & oro,vt hic te,quantum ſalua veritate fieri poteſt, amica collatione cum Vrſino noſtro committi ſinas. Dominus det ſuam gratiam &c. Optimè vale, frater, & Domine honorande, & dilecte, & reſcribe per primum quemque tabellionem. Tuas enim deſidero. Saluta fratres omnes. Tiguri 5. Nouembris 1569. Noſtri legati à Comitijs Badenſibus nondum rediere. Salutant te fratres omnes.

Tuus Bullingerus.

Appendix epiſt. Bullingeri.

PRomiſerat Dominus Beza ſe miſſurum ad nos confutationem Theſium D. Eraſti, rogans vt diligenter legeremus.

mus'. Sed quî factum ſit, neſcio, quod toto illo anno nihil miſit. Anno demum 1570. miſit, ſimul miſſa eſt ad nos, & D. Eraſti reſponſio ad D. Bezæ confutationem, ſcripta. Proinde vtrumque ſcriptum legimus, & inter ſe contulimus. Quid verò nobis videatur, ſcripſit ad D. Bezam tam ſuo, quàm meo nomine D. Gualtherius. Eodem enim illo tempore ægrotabam. Rogabam ergo, vt ſcriberet tam ſuo, quàm meo nomine.

D. Theodoro Bezæ.

Diutius fortaſsis quam par fuit tuum de excommunicatione ſcriptum apud me detinui, ſed condonabis mihi chariſsime & obſeruande in Chriſto frater hanc moram, cuius cauſas multas adducere poſſem, niſi & tua humanitas mihi perſpecta eſſet, & tu ipſe ſcires, quam multa præter expectationem negotia, incidant ijs qui in Eccleſię miniſterio conſtituti ſunt, quæ illos non ſinunt, pro ſuo arbitrio atque inſtituto agere. Acceſsit his quod eodem ferè tempore, quo librum tuum accepimus, ſuam quoque ad illum reſponſionem miſit D. Eraſtus, quam quia tum tuis omnia conferre oporteret, non ita breui tempore lectio vtriuſque abſolui potuit. Et quia tam hæc mihi cognitu neceſſaria videtur in tanta ſententiarum varietate vtrumque ſcriptum auide legi, rationes quę vtrinque afferuntur expendi, & de re ipſa pro mei ingenij modulo non indiligenter cogitaui, quod & alij quidam ex noſtris fecerunt, imprimis autem pater & affinis meus, reuerendus D. Bullingerus & Simlerus gener, nec puto te indigne laturum, ſi quid ſentiam, libere & breuiter exponam. Video te mi frater multa erudite, multa bene & pie dicere, de quibus non multa nobis eſt controuerſia. Rurſus autem de ijs quæ præcipua ſunt huius cauſæ capita D. Eraſtus ita diſputat vt tuam de illis ſententiam rationibus & argumentis meo iudicio minime contemnendis confutet. Sunt ea:

 1 Primum,

1 Primum, an Cœna Domini, quam is communionis ſymbolum & lętam atq; publicam gratiarum actionem, pro præſtito nobis redemptionis beneficio eſſe voluit, excõmunicationi ſeruire debeat, adeoq; in vſum aliũ conuerti, quam qui nobis à Chriſto monſtratus & ab Apoſtolis traditus eſt.

2 Deinde, an ab eius vſu arceri debeant ad certum tempus qui pœnitentiam profitentur, & cum Eccleſia mortem Domini annunciare cupiunt.

3 Deniq; an ad menſam Domini acceſſuro non ſufficiat ſi ſeipſum probauerit, & fidem in ſeipſo inuenerit viuam cum ſerię contritionis atq; poenitentiæ ſpiritu coniunctam.

4 Poſtremo, an vbi Magiſtratus eſt Chriſtianus Presbyterium inſtitui debeat, cui publica morum diſciplina, & quos illi meruiſſe putarint, à ſacris communibus arcendi poteſtas committatur. Hęc inquam nobis præcipua videntur quę in hac cauſa controuertuntur. Nec enim nobis aliqua (vt puto) lis eſt de alienis à fide, de Chriſtianæ Religionis hoſtibus & poenitere neſcijs, quorum incurabilis contumacia omnibus plus ſatis perſpecta eſt.

De primo autem multi non temerè dubitant, quando vident quam periculoſum omnibus ſæculis fuerit Dei inſtitutis bono etiam zelo abuti. Nec ego videre poſſum, cur conſcientiarum carnificina ex eo fieri debeat, quod vt fidei confirmandæ & recreandis afflictorum conſcientijs ſeruiat à Domino inſtitutum eſt. Et feres nos opinor patienter, ſi hic abs te diſſentiamus. Etenim in lege olim eos qui peccarant non à Tabernaculo & ſacris communibus excluſos, ſed potius iuſſos fuiſſe legimus vt pro delicti ratione ſacrificium facerent. Et cum ob legalem immunditiem, quæ in corpore hærebat à ſacrorum vſu arcerentur, neminem tamen propter delictum aliquod reiectum fuiſſe conſtat. Scio quidem aliquos veſtrum examinis cuiuſdam meminiſſe, quo eorũ qui peccauerant poenitentia probata fuerit, priuſquam victimas offerrent. At nos in cauſa controuerſa non libenter aliquid admittimus quod coniecturis ſolis, non autem expreſsis ſacris ſcript. teſtimo-

teſtimonijs nititur. Prophetas quidem legimus grauiter eos corripuiſſe, qui indignè ſacris communicabant: at cenſores conſtitutos fuiſſe ab illis, qui ſacrificaturos ſingulos vel publicè vel priuatim probarent, & prout ipſis videretur vel admitterent, vel reijcerent, nuſpiam me legiſse memini.

In ſecundo capite maior adhuc difficultas ſeſe offert. Nam vt conſtet aliquem excludi debere, non videmus tamen, eundem, ſi poenitentiam profiteatur, diutius debere ſuſpendi, quo minus Eccleſiæ ſacramentis communicet. Cum enim Coena Domini publ. ſit gratiarum actio, & ad fidei confeſsionē pertineat, durū nobis videtur alicui obſtare, ne quod per ſe bonum, ſanctum & præcipuum eſt Chriſtiani hominis officium faciat. Nitimini vos loco qui Matth. 18. habetur, de quo multa dici poterant, quæ nunc breuitatis cauſa omittimus: ſed vt demus illic excommunicationem eiuſmodi præcipi, eadem tamen eius loci authoritate non poterit longius extendi, quam donec qui excluſus eſt, ſe poenitere fateatur, & culpam deprecans cum Eccleſia reconciliari cupiat. Nam qui dixit, ſit tibi tanquam Publicanus & Ethnicus, idem fratri peccatori ſeptuagies ſepties remittere iubet. Quo præcepto Eccleſiam quoque aſtringi, non opinor negabitis: ſiquidem illic de excommunicatione agi pergetis contendere. Cur enim Eccleſia quæ ſolis Chriſtianis conſtat, rigidior ſit in vindicandis iniurijs quam ſingulos eſſe deceat? Aut qua ratione illa adhuc alienum ducet à familia Domini, quem ipſe paterfamilias in gratiam recepit? Velimus nos exemplum adduci, quo probetur, Deum peccatores ad ſe conuerſos & veniam petentes non abſque omni mora recipere. Annon publice in patrem, in fratrem primogenitum, in totam domum, denique in ipſos coelos peccauerat filius ille prodigus? Annon ſcandalum domi foriſque dederat? Reuerſo tamen & ſcelus confitenti mox ignoſcit pater, dignitati priſtinæ illum reſtituit, annulo reconciliationis reſtitutum ornat, & propter illum mactari vult vitulum illum ſaginatum, vt conuiuium paret, quo tota domus ſimul cum illo gaudeat?

Cur

Cur ergo nos diutius arceamus eos à læto illo & ſalutari epulo Eccleſiæ, qui eandem cum illo confeſsionem ædunt? Cur ſatisfactiones praeterea nouas exigemus? At periculum eſt inquis ne qui penitentiam ſimulent. Fateor. Num vero periculum hoc euitabimus, ſi totos annos à communione arceantur? Hypocritam certe impium nulla temporis mora emendabit. Nec eſt quod nos falli metuamus, dum Dei patris manſuetudinem imitamur. Hypocritae ſuo periculo nos fallent, ſibi ipſis iudicium edent & bibent, nos extra culpam erimus. Te autem rogo, mi frater, an non ipſi quoque falli poſſumus, & eum zelo inconſulto à Coena excludere quem verè commerſum ipſe Chriſtus iam ſuo corpore & ſanguine paſcere dignatur? Quam vero indignum hoc fuerit, ei triſtitiam nouam parere, quem Dei filius in ſe gaudere vult? Qua ratione rigorem eum excuſabimus, ſi eum reiciamus quem Dominus noſter vlnis expanſis complectitur? Hic certè periculum eſt ne ſerui illius nequam ſocij deprehendamur, qui heri in ſe clementiam expertus, conſeruum ſuum durius tractarit. Et cum conſtet Ioannem abſque curioſiori examine ad baptiſmum admiſiſſe omnes qui ſe poenitere dicebant, Apoſtolos item mox baptizauiſse eos, qui fidem in Chriſtum profitebantur, non videmus cur à Coena repelli debeant, qui fidem eandem nobiſcum profeſsi ſunt: peccato autem aliquo Eccleſiam offenderunt, cum qua nunc in gratiam redire cupiunt.

Iſta certè quae infinitis exemplis tam veteris quam noui Teſtamenti probari poterant, nos mouent, vt priuatum illud examen quo quiſque ſeipſum probet, ſecundum Pauli praeceptum, ſufficere putemus ijs, qui ad Domini menſam volunt accedere. Nam ſi quid praeterea voluiſset fieri Apoſtolus, magna erat illud praecipiendi occaſio, cum ex profeſſo de legitimo Coenæ vſu diſsereret apud eos, qui innumeris erroribus atque vitijs polluti ipſam quoque horribili vſu prophanarant. Sed vidit procuIdubiò, quam periculoſum ſit aliorum conſcientias ri-

mari velle, quando nihil facilius eſt, quàm ſeuerius in alios animaduertendo ſanctitatis maioris exiſtimationem venari: & ſæpè tentationum lineis metiuntur per importunos illos cenſores, qui conſolatione potius ſubleuari & confirmari debebant. Ideo in hac ipſa cauſa grauiter monebat videndum eſſe ne à Sathana occupemur, cuius machinationes nemo Chriſtianus ignorat.

Quæ de presbyterio in Eccleſijs conſtituendo ſcribis facilè admittimus illic vbi Magiſtratus non eſt Chriſtianus. Nam oportet eſſe aliquos quorum authoritate in officio contineantur, qui ad peccandum procliuiores ſunt, ne Religio exterorum ludibrijs exponatur. Sub Chriſtianis autem principibus cura iſta ijs commodius & tutius committi videtur, qui ad Reipub. gubernacula ſedent: & neſcio quam tutò noui Magiſtratus poſsint creari, quia multa ſequuntur incommoda, quæ nunc recenſere longum foret. Hoc tamen diſsimulare non poſſum in Palatinatu nulla prius ſcandala tam atrocia incidiſse, quam ea ſint quæ Seniorum illic conſtitutorum culpa acciderunt. Et quis obſecro eos poſthac feret correptores, qui ſceleratiſsimum hominē Siculum Sodomitam, & eundem peſtilentiſſ. calumniatorem impune elabi paſsi ſunt, ne ad iudices legitimos traheretur? Putarunt enim lentius procedendum eſſe vt ipſi eius cauſæ cognitores eſſe poſſent. Hac ratione profectò illos mihi excuſauit homo Italus tibi probe notus & vir bonus cum exemplum illud ei obijcerem. Quid vero eſt Magiſtratus partes ſibi vendicare, ſi hoc non eſt? Eſt equidem inſatiabilis hominum ambitio, & rari inueniuntur qui poteſtate ſibi data non inſolentiores fiant. Et ſi veteres hiſtorias euoluamus maxima & nocentiſsima Eccleſiæ ſcandala ex Epiſcopis & reliquis miniſtris enata fuiſse patebit. Quod ipſum nunc in Germania quoque fieri videmus inter Lutheranos ſuperintendentes, qui nimia poteſtate armati nihil non licere ſibi putant. Quid vero de ijs qui Heydelbergae hanc cauſsam agunt ſperare poſsimus ſatis nos vna hæc audacia admonet, qua ſuae ſententiæ ſubſcribere

nolen-

volentes atheiſmi accuſant, & eos quidem viros in quorum fide, doctrina, moribus nemo bonus aliquid vnquam deſiderauit. Quod ſi ergo nouam in Eccleſijs tyrannidem his principijs ſtabilire poſse metuimus, quis nos abſque cauſa id timere dicet? Quod autem alias ſcripſi non obſtamus nos, quo minus ſuo ſenſu fruantur, qui illa diſciplinæ forma ſe vtiliter vti poſse vident. Hoc ſaltem monemus, ne eundem calceum omnium pedibus induere, vel potius obtrudere conentur, néue ob rem adhuc controuerſam, & cuius eadem formula vbique conſtitui non poteſt, Eccleſias abs ſe inuicem diuellant, & nouas concertationes texendo, laetum communibus hoſtibus ſpectaculum præbeant.

Bene mi obſeruande frater facturos nos putauero, ſi cauſam hanc totam ſilentio poſthac premamus, ne in publicam oſtentationem erumpat, qua de re cum nuper D. Bullingerum ad te ſcripſiſſe ſciam ego prolixior eſſe nolo. Nihil fraterna charitate atque concordia Eccleſijs vtilius & ſalutarius accidere poteſt. Eam nos vobiſcum colemus, quoad vitam Deus dederit, & de nobis omnibus idem vobis pollicemur. Si quid liberius abs me ſcriptum videbitur, tuae humanitatis illud acceptum feres qua fretus ſic mihi agendum putaui. Dolet nobis vehementer vrbem veſtram peſtis flagello indies magis ingraueſcenti affligi, & prae alijs triſte nobis fuit auditu, optimum & clariſs. fratrem D. Remundum periclitari, aut etiam ad Dominum iam nunc commigrauiſſe. Illum quidem ſi iam hac vita defunctus eſt vere beatum viuere, & miniſterij ſui, in quo fideliſſ. fuit, praemia percipere ſcimus, at Eccleſiam membro vtili & neceſſario orbatam eſſe non poſſumus non dolere. &c. Deus pater miſericordiae & conſolationis vobis omnibus adſit, Eccleſiae & ſcholae noſtræ miſereatur, téque imprimis mi humaniſsime Beza & frater obſeruande ſeruet ad ſui nominis gloriam, & ſtudijs tuis benedicat: Amen. Tiguri 3. Auguſti 1570.

Rod. Gualtherus.

D. Carolo Ionuillæo Geneuenſi Rodolphus Gualtherus Tigurinus. S.

SEmper te amaui humaniſſime & doctiſſime Ionuillæe,& quidẽ magno tuo merito:nunc autem te dignum video quem magis amem & colam, qui de ijs quæ de me ad vos perlata ſunt,me tam amice admonendũ eſſe putaris. Qui illi ſint qui hinc ad vos profecti iſta narrarent, aut fortaſsis adhuc nobiſcum agentes iſthuc perſcripſerunt, neſcio, hoc autem non ſine dolore iam annis aliquot experti ſumus, pleroſq; fore qui Geneua ad nos veniunt, de diſciplina quidem ſplendidè diſſerere, vix vero vllam vel ſcholaſticam vel domeſticam diſciplinam, qualis apud nos habetur,ferre poſſe aut velle. Interim ijdem nos accuſant, qui diſciplinam omnem ex Eccleſia ſublatam velimus: & non ſine calumnia nos contra diſciplinam pugnare dicunt:quando non omnia probamus, quæ ipſi de excommunicatione aut potius de excluſione à coena Domini myſtica ſentiunt. Quod ad me attinet illos vehementer falli ſatis arguit, quod Homil. in Lucam 193. diſciplinam Eccleſiæ neceſſariam eſſe affirmo. Quod ſi eam abs me in concionibus publicis oppugnari dicunt impudentior eſt eorum calumnia, quam vt aliquam confutationem mereatur. Nec enim puto aliquem apud vos vel etiam in tota Heluetia tam hoſtili in me animo eſſe, vt tale quid de me cogitare poſsit, cum multis æquo ſeuerior & vehementior in corripiendis corruptis hominum moribus atque delictis eſſe videar. Quae autem contra excommunicationem dico aut ſcribo ad Anabaptiſtas maxime pertinent, ſicuti in eiuſdem operis Homilia 160. eſt videre. Quia enim iſti ſub illius praetextu multis fucum faciunt, non poſſumus non noſtros monere, ne ipſorum praeſtigijs ſeſe ſeduci patiantur. Quod ſi de excommunicatione dicendum ſit, nunquam ea nobis prorſus aut in genere dãnata eſt: quin & legibus noſtris ea praecipitur,qua à tribuum ſocietate & publicorum paſcuorum

vſu

vſu-fructu excluduntur, qui contemptis admonitionibus tam publicis quam priuatis, aliter viuunt quam homines Chriſtianos deceat. Vt vero aliqui à coetibus ſacris aut à coena Domini arceantur, id in noſtris Eccleſijs nunquam receptum fuit: vt nec in multis alijs, quas tamen ob neglectam fidei & doctrinae puritatem, aut ob introductam morum licentiam, nemo hucuſque merito potuit accuſare. Nec enim à quoquam hactenus idoneis & firmis argumentis demonſtratum fuiſse vidimus, excluſionis aut ſeparationis ſymbolum ex ea fieri debere, qua Eccleſia colligi & eius vnitas conſeruari atque foueri debet, quo nomine illam veteres συνάξιν dixerunt. Miror igitur mi chariſsime Ionuillæ, qua ratione dicas me iſtis Eccleſiæ temporibus calamitoſiſsimis nouum quoddam & inauditū velut paradoxon inuehere praeter omnium expectationem. Cur enim nouum & inauditum dicatur, quod in noſtra Eccleſia iam inde ab initio per annos 50 receptum fuit? Zuinglius certe beatæ memoriæ, primus Religionis apud Heluetios inſtaurator eadem diſerte ſcripſit in amica ad Lutherum Exegeſi, quæ hodie nos docemus & ſentimus. Idem etſi cum D. Oecolampadio amicitia & amore ſynceriſsimo coniunctus eſset, nunquam tamen voluit Excluſionem à coena in Eccleſiam Tigurinam introducere, cum ille aliquam eius formulam, bono zelo Baſileæ inſtitueret, quæ nec ipſo adhuc viuente plenè exerceri, nec poſtea diutius retineri potuit, quod prudentiſsimi quique viderent, ſatius eſſe Chriſtianis magiſtratibus ſuam authoritatem confirmare, qua improbi & contumaces, admonitionum diuinarum contemptores facilius ſimul & tutius coercentur, quam cum publici motus periculo presbyterium quoddam nouum aut ſenatum Eccleſiaſticum inſtituere, qui fortaſsis nos multo poſt alio opus haberet, cuius imperio inde enaſcens tyrannis frenaretur. Quid vero D. Bullingerus, præceptor & pater meus vnicè obſeruandus, de hac cauſſa ſentiat, eius aduerſus Anabaptiſtas liber abunde teſtatur, & ea imprimis quae habentur cap. 9. lib. 6. &c. De Muſculo quid

dicere

dicere attinet, qui dum Eccleſiæ Germaniæ ſuperioris magis quam nunc florerent, Auguſtæ magna cum laude, & nõ minori poſtea Bernæ docuit? Is vt paſsim admonet miniſtros de colligendo potius quam excludendo ſollicitos eſſe debere: ita in priorem ad Corinth. hoc negotium ſic tractat, vt non obſcurum ſit eum à noſtra ſententia minimè eſſe alienum. Poſſem his adijcere Conſtantienſis Eccleſiae exemplum, quæ illic docente Ambroſio Blaurero, Conſulatum vero gerente Thoma fratre eius, ſocero meo colendo, diſciplinam exercuit ſeueriſsimam in omnes qui diſſolutius vixerunt: ſed idem excluſionem à Coena ſacra admiſcendam eſſe nunquam putauit. Poſſunt iſta opinor ſufficere aduerſus eos, qui me dogma vel potius paradoxon nouum & inauditum inuehere calumniantur. Adde tamen me nihil vnquam vel docuiſſe in hac cauſa, vel ſcripſiſſe, quod à communi fratrum, qui in noſtris Eccleſijs docent ſententia diſsentiat. De cauſa ipſa nunc prolixius diſputare nolo. Si qui autem Excluſionem à ſacris myſterijs in ſua Eccleſia cum fructu exercere poſſe putant, fruantur illi ſuo ſenſu: Et libertatem hanc nemini nos inuidemus. Nos equidem cum ante annos aliquot veſter Senatus ad noſtrum de hac re retuliſset, non noſtros modo verumetiam Bernenſes, Scaphuſianos, & Baſilienſes fratres monuimus, ne alicuius conſilij veſtris authores eſſent, quo inchoatæ tunc apud vos diſciplinae formula atque morum reformatio poſset impediri. Noluimus enim in alienas Eccleſias nobis aliquod ius aut imperium vendicare. Recte igitur ſcribis nos omnes qui Eccleſiae Tigurinae gubernacula tenemus, concordiae & pacis Eccleſiaſticae ſtudioſos fuiſſe ſemper: nec facilè ad certamina proſilire. Iſtud certe ſtudium nos monet ne temere aliquibus alicuius innouationis authores ſimus, nec libenter in meſſem aliorum falcem mittimus, quod ſciamus innouationes plerunque cum rixis & contentionibus eſſe coniunctas. Quae autem nuper in Luca meo ſcripſi, non contentionis ergò (à cuius libidine hactenus

alieniſsi-

alieniſsimus fui) ſcripſi, ſed pacis Eccleſiaſticæ conſeruandae cauſa, quam ego iam pluribus annis perturbatam fuiſſe vidi ab illis qui excommunicationem violenter obtrudendo, aliorum labore collectas & inſtauratas Eccleſias ſua importunitate diſperſerunt. Certè quanta mala Anabaptiſtae noſtro ſæculo dederint, longum eſſet commemorare. Optas tu vt priuſquam via contentionibus aperiatur, cum doctis & amicis conferam. Non aperui ego viam contentionibus, vbi autem & per quos ea aperta ſit, ſatis iam omnes norunt. Quod ſi quis me petulantius aggrediatur, méque ad ſcribendum cogat, faxo vt omnes me modeſtiae ſtudere, nec quicquam abſque Eccleſiæ noſtrae & ampliſsimi Senatus authoritate atque conſenſu facere intelligant. Contulerunt noſtra ætate ſæpius de hac cauſa viri doctrina & pietate eximij, & in eo ſemper conſenſerunt, diſciplinam in Eccleſia neceſſariam eſſe (quod ipſi quoque adhuc fatemur, imò vrgemus & vrgebimus, quoad vitam Dominus dederit) eius vero rationem atque formulam cuilibet Eccleſiæ liberam relinqui debere, vt ea vtatur quæ Eccleſiam ædificet, non concutiat aut euertat. Nunquam item diſsimulauimus Coenam Dominicam illis vbi Magiſtratus eſt Chriſtianus maiori cum periculo quam emolumento cum hac cauſa miſceri. Cogitare me iubes, quàm multa & grauia incommoda ſequantur ſi excommunicatio ab Eccleſia tollatur neque eius vſus retineatur. At ego non minus diligenter & mature cogitandum puto, quanta animorum diſtractio, & quam horribilis rerum perturbatio oritura ſit, ſi qui apud ipſos receptum diſciplinae modum abſque omni diſcrimine omnibus alijs Eccleſijs etiam nolentibus & reluctantibus volunt obtrudere. Nobis certe ſufficere videtur ſi diſciplina inſtituatur quam magiſtratus legitimus exerceat. Etiamſi nulla fiat per certos homines à coetibus ſacris, ab auditione verbi & Coenæ myſticæ vſu excluſio. Hæc liberius ſcribo, mi frater, quia non tam mea quam Eccleſiarum noſtrarum cauſa hîc agitur: & non ignoro qui præcipui ſint huius fabulæ actores

res, cuius vtinam cataſtrophe ſit læta, & quæ ad Eccleſiae communis ædificationem faciat. Te autem mi frater obſeruande rogo, vt iſta boni conſulas, & de nobis omnibus tibi perſuadeas, nos nihil minus cogitare, quam vt veſtrae aut alijs Eccleſijs turbas demus: & puto veſtros homines non ignorare, quo ſtudio & animi candore Eccleſiam veſtram ſimus complexi hactenus: quam in poſterum quoque amare & complecti non deſinemus. Salutem tibi dicit D. Bullingerus. Tu quaeſo ex me ſalutes D. Bezam, Budaeum, Heſnaltum, & reliquos amicos & fratres mihi in Domino plurimùm obſeruandos. Vale Tiguri pridiè Calend. Maij, Anno Filij Dei in carne manifeſtati. 1570.

Tui ſtudioſiſsimus Rodolphus Gualtherus.

Ex literis ad generoſiſſ. Comitem Ludouicum *Vuitgenſteinium* 26. *Auguſti* 1574.

QVòd autem inter media ſalutis externa diſciplinam eccleſiaſticam numeras, etſi per ſe nequaquam improbem, rogo tamen Excellentiã tuam, ne ægre ferat, ſi de hac re aliquid dixero, de qua hodie inter multos controuertitur, & niſi quorundam ambitioſus rigor prudenti principum authoritate tẽperetur, turbas aliquando dabit maiores quam vt facilè ſedentur, & nouam in Eccleſias tyrannidem inuehet, Pontificia nihilò tolerabiliorem. Eccleſias abſque diſciplina conſiſtere non poſſe, fatemur omnes, & vt ea ſanctiſsimè inſtituatur atque ſeruetur omnino neceſſe eſt. De huius autem formula non inter omnes conuenit. Veſtri homines præcipuum diſciplinae caput in Excluſione à coena Domini conſtituunt: Adhaec excluſis certum tempus praeſcribunt, quo à cõmunione abſtinere debeant: vtque ſuam diſciplinam tueantur Senatu eccleſiaſtico opus eſſe dicunt, cui omnis loci & ordinis homines, ipſi quoque

 principes

principes, ſubijciantur. At iſta eiuſmodi ſunt, vt de eorum veritate pij & cordati non temere dubitent. Etenim non abſque cauſa quaeritur, an cœna Domini, quae vt communionis & ſocietatis Chriſtianæ ſymbolum ſit, vtque fidei confirmandae ſeruiat, à Chriſto inſtituta eſt, in vſum planè diuerſum, adeoque Chriſti inſtituto contrarium, conuerti debeat? vt interim diſſociationis & excluſionis organum & conſcientiarum carnificina fiat? Deinde, annon cum Pauli regula hoc pugnet, qui vt quiſque ſeipſum probet, non vt aliorum conſcientias curioſius ſcrutemur, iuſſit? Item, annon durum & iniquum ſit, peccatorem, qui ſeria poenitentia tangitur, & quem iam proculdubio in gratiam receptum Chriſtus ipſe ſuo corpore & ſanguine paſcit, ab eius menſa arcere, imò prohibere, ne mortem Domini publicè cum Eccleſia, cuius membrum germanum eſt, praedicet? Præterea, annon monſtri inſtar ſit, duos in vno populo magiſtratus inſtituere? Aut enim politicus magiſtratus ab eorum cognitione excludetur, quae ad morum diſciplinam ſpectant: aut vterque ſimul circa hanc occupabitur. Quòd ſi illum excludamus à morum diſciplina, id contra Dei leges faciemus, qui ſua iudicia viris principibus credidit, & iiſdem vt malum è medio populi ſui excindant, iuſſit. Sin verò illam his quoque committemus, vix vitari poterit confuſio, & alter alterum impediet: aut ſaltem ceſſare debebit in hac parte politicus magiſtratus, donec cauſas eiuſmodi Eccleſiaſticus ad illum remiſerit. Ita verò non habebit ille quod agat, niſi prius Seniores illi cauſas cognoſcant, & huic de his decernendi poteſtatem faciant. Emergent ergo hinc nouæ tyrannidis cornua, & paulatim criſtas attollent ambitioſi Eccleſiarum paſtores, quibus facilè fuerit ſuos aſſeſſores in ſuas partes attrahere, cum ipſi inter hos primatum teneant. Et hoc me non abſque ratione dicere intelliget Excellentia tua, ſi quae ſpecimina veſtri illi iam apud vos dederint, diligenter quaeſieris. Etenim à coena abſtinere per illos iuſſi ſunt ſpectatae

pietatis

pietatis & probitatis viri, qui cur hoc iuberentur, nunquam reſcire potuerunt: ſed ſufficiens reſponſum eſſe nouis illis alienae fidei dominatoribus viſum eſt, quod ipſi ſalua ſua conſcientia illos non poſſint admittere. Ergo ne propter moroſi aut importuni paſtoris conſcientiam vir pius à ſacro epulo abſtinere, & in praedicando mortis Chriſto beneficio ſuum officium debet negligere. Tolerabilius multò Pontificij praeſules agunt, qui cur nos pro ſchiſmaticis & excommunicatis habeant, libere edicunt, neque nobis nos purgandi occaſionem eripiunt. Quid ergo fore ſperabimus, ſi quando regnum ſuum ſtabilierunt, cum hæ ſint diſciplinae iſtius primitiae, pro qua illi tantopere digladiantur? Mihi certè conſultius videtur, vt miniſtri intra ſuas metas ſeſe contineant, magiſtratibus verò committantur quae ad morum & vitae diſciplinam pertinent. Scio illos obijcere, Magiſtratus non ſemper officium facere, & proinde alio Senatu opus eſſe, qui illos in ordinem redigat. Ego verò hanc conſequentiam nego, cum quod dicunt nullo exemplo Prophetico ſiue Apoſtolico probare poſſint.

Miniſtrorum quidem eſt, principum ac iudicum vitia moreſque corruptos corripere, eoſdem officij admonere (quod olim Prophetas feciſſe legimus) vt verò eoſdem, ſi ſegnes eſſe pergant aut mali exempli authores ſint alij magiſtratui mulctandos aut excommunicandos ſubijciant, nuſpiam me legiſse memini. Prophetas certè nihil huius feciſſe conſtat. De Apoſtolis non opus eſt dicere, quorum tempore magiſtratus Chriſtiani nulli fuerunt. Quae cauſa fuit, vt in Eccleſijs neceſſariò Seniores conſtituerentur, qui morum diſciplinae præeſſent: quod hodie etiam fieri oportet ſub tyrannis fidei perſecutoribus. Alia longè eſt noſtrarum Eccleſiarum ratio, quibus ex ſingulari Dei beneficio Principes Chriſtiani dati ſunt, qui etſi

ſuos naeuos habeant, tamen eorum authoritatem miniſtri tueri, non ex illis publica ſpectacula facere debent. Rogo autem Excell. tuam,vt aliquandò priuatim de tota hac cauſa cum D. Eraſto, viro pietate & eruditione ſingulari prædito, conferat, neque eos audiat, qui optimè meritum oderunt & perſequuntur, adeóque ex ijs locis eiectum volunt, in quibus ipſi fortaſsis vix nidum inuenturi fuiſſent, niſi alij primam glaciem fregiſſent, inter quos iſtius viri eruditio & ſtudium præcipuè eluxit. Scripſit hic ſub initium iſtius Tragœdiae Theſes aliquot, quibus totum hoc negotium complexus eſt. Probauit has D. Bullingerus cum toto noſtro collegio. At confutationem earundem D. Beza inſtituit: ſed quod tanti viri pace dixerim, parùm profecit. Nolim tamen apud vos nouas turbas excitari. Hoc potius opto,vt quae per nouatores aliquos inuecta eſt confuſio, paulatim aboleatur. Quod facilè fiet, ſi qui rectius & moderatius ſentiunt, tutò per illos agere, & quod animo ſentiunt, modeſtè proponere alijſque dijudicanda proponere poſſunt: Theologi verò à Reipub. gubernatione & bellorum conſilijs atque aulicis negotijs ad ſuggeſtum & ſcholas remittantur: quæ propria eorum arena & palaeſtra eſt, in qua ſeſe exerceant. &c.

Rodolphus Gualtherus.

Clariſſ. viro D. Thomæ Eraſto Doctori *medico, D. meo honorando, & fratri* chariſsimo. Heidelbergam. S. D.

HOrreo ſanè ad commemorationem eorum quæ narras de excommunicatoribus, verùm vt-ut res ceciderit, ſemper deteriora metui. Vnde & illuſtriſſ. Principi ſcripſi, ne ſe huic aeſtuoſo credat pelago. Ac mirum eſt homines iſtos Principi inſtillaſſe, non tam meo conſilio, quàm

Gual-

Gualtheri noſtri inſtigatione, ideoque non tam à me, quam à Gualthero omnia eſſe illa profecta, quæ ad Principem Illuſtriſſ. ſunt & ſcripta, & tranſmiſſa. Sanctè enim tibi affirmare poſſum, vtramque ad Principem epiſtolam à me eſſe ſcriptam: & deinde Gualthero, & Wolphio B.M. exhibitam, vt illi, ſi quid videretur addendum, adimendum, aut mutandum, liberè indicarent. At ſimpliciter approbarunt illi vtramque. Id quod non ſcribo, quaſi non libenter audiam confratrum iudicia, & melioribus libenter cedam, atque acquieſcam, ſed quòd, per Dei gratiam, nunc in 51. Miniſterij mei anno abſoluto, ita res meas temperauerim ſemper, vt nunquam à quoquam pependerim, aut circumducendam me permiſerim contra animi mei ſententiam, citráque diuinae ſcripturæ authoritatem. Pluribus D. Datheno expoſui meam de excommunicatione ſententiam. Vnde ille, & fortè complices eius facilè potuerunt intelligere, me ſentire, vt ſentio, non in vllorum hominum gratiam, ſed propter veritatem ſynceram confitendam, & affirmandam. Mihi quidem maximoperè neceſſarium videtur iugibus precibus rogare Dominum, vt ipſe negotium hoc, ſatis alioqui periculoſum, componere dignetur, efficeréque, vt Princeps optimus emergat. Quod ipſi, & nobis omnibus concedere dignetur clementiſsimus Dominus. Cuius gratiae te, tuoſque commendo. Salutant te noſtri Gualtherus, Simlerus, Lauaterus, Hallerus, Funchius, Stuckius, & caeteri fratres tui amantiſsimi. Tiguri XI. Ianuarij ad lucernam, hora noctis IX. Anno, 1574.

Bullingerus ex animo tuus.

Interpretatio eorum quae Germanicè ſcripta ſunt pag. 363.

APoſtoli ſub Ethnico Magiſtratu vixerunt, qui tamen ſcelera non puniuerunt, à quibus quiſque Chriſtianus abhorrere debet. Sed vt & Eccleſia poenam ſcelerum aliquam haberet: Admonitionem aſſumpſit, & excluſionem,

quia gladio, quòd ipſis minimè committebatur, punire non poterant. Et hæc quidem cauſſa, apud eos excommunicationis fuit. Quia verò iam Chriſtianus Magiſtratus, ſcelera ipſemet ſupplicijs cohercet, ideò excommunicatio non amplius neceſſaria erit.

Poteſt etiam alia pœna, & cohercitio in Eccleſia Dei eſſe, quàm haberi pro Ethnico & Publicano. Quia Chriſtus nihil aliud vult, niſi vt ſcelera puniantur. Atque adeò non perperam fiet, ſi & hoc quoque tempore aliud poenae genus conſtituatur: vt ea nempe Magiſtratui committatur.

Typographus pio Lectori.

HAbemus, pie lector, doctiſsimorum virorum plures alias literas, quas hiſce adiungere poſſemus, ne quis exiſtimet, clariſsimum illum virum & iudicioſiſsimũ D. Thomam Eraſtum paucos habuiſſe in ſuâ opinione ſuffragatores, & ad ſuas Theſes ſcriptis defendendas impulſores. Verum prolixitatis euitandae gratia, ne volumen excreſceret, multa alia omiſimus, quæ huic inſtituto inſeruire poterant. Quod ſi aduerſariorum importunitas eò nos adigat, vt ſcriniola chartulis plena quæ de hoc argumento clariſsimus ille vir ſuis haeredibus reliquit, euoluamus: intelligent Europeæ Eccleſiæ, quàm erudita & pia huius ſæculi ingenia ſupradictas Theſes, tanquam veriſsimas probent & amplexentur. Interim, orandus eſt clementiſsimus Deus, vt per ſuum Chriſtum noſtræ ſalutis authorem, ſuas Eccleſias ſpiritu-ſancto gubernare dignetur, paſtorumque omnium animos ea modeſtia imbuat, vt omni tyrannide in conſcientias Chriſtianorum ſublata, Euangelicam doctrinam indeſinenter propagare conentur omnes, qui à Deo vocati, Chriſtique miniſtri volunt haberi, neq; hoc nomine tantoperè glorientur, vt contradicentem neminem pati velle videantur: quin potius depoſito omni Phariſaico ſupercilio, & inquiſitoria authoritate, alios etiam Dei ſeruos de rebus ſacris in cœtu Chriſtianorum differentes, vti Paulus loquitur, prophetare, non inuitis animis permittant. Vale.

INDEX RERVM, VERBORVM, TEXTVVM, CAPITVM ET Controuerſiarum, quæ in hoc Opere præcipuè *tractantur, agitantur, & diſcutiuntur,* copioſiſsimus.

Prior numerus pag. poſterior lin. notat.

A

Aron ſacerdos eligitur à Moſe. 16.32
Aaroni Moſes officium præſcribit. 164.25
Aaronis munera Moſes obiuit. 262.18
Aarone mortuo Elezarus filius in parentis locum à Moſe ſubrogatur. 165.6
Aben Ezrae Iudaei teſtimonium nihili. 129.5
Abſalon cum patris concubinis rem habuit. 294.2
Actus externi quotuplices. 310.23
Adamus an à Deo excommunicatus. 126.22
Adamus quarè ex Paradyſo expulſus. 127.24
Adamo Deus ſacrificijs vti non vetuit, ſed imperauit. 127.4
Adamo arbor vitæ ſacramentũ. 126.20
ἀδικίαν & ἀνομίαν operantes in Eccleſia tolerat Deus. 84.12
Adminiſtratores quinam fuerunt in Eccleſia. 58.2
Aduerſarius Chriſti quis. 101.22
Africani, quoſnam presbyteros appellarunt. 287.3
Alexander & Hymenaeus quomodo & quarè Satanae traditi. 238.25
Allegoricum quid & quid non. 245.7
Ambroſius quid de Senioribus. 58.9
Ambroſ. quid de Presbyterio. 258.20
Analogicus ſenſus non argumentatiuus. 244.32
Anathema, ſeu maior excommunicatio apud Pontificios, quid 3.5
Anathema fieri: è ſynagoga eijci: velut Ethnicum & publicanum æſtimari: Satanae tradi: à communi victu arceri: excommunicari: diuerſa. 188.27
Apoſtolus quare potiùs dixerit: poculum quàm ſanguinem, & menſam quàm corpus. 118.11
Apoſtoli priuati homines. 112.15
Apoſtoli neminem à ſacramentis arcuerunt. 224.30
Apoſtoli caco-daemones habuerunt ſibi ſubiectos, & quid per hos fecerunt. 251.22
ἀποσυνάγωγον fieri quid. 315.8
ἀποσυνάγωγον fieri aliud quam excommunicari. 313.12
Arbitri litium apud Corinthios ordinati. 286.19
Ariſtocratia erat reſpub. Iudaica tempore Chriſti, 276.11
Argumenta pro presbyterio ex nouo Teſtamento ſumpta confutantur. 283.21
Argumenta contra presbyterium defenduntur. 259
Argumenta pro excommunicatione ex priuato conuictu & 2. ad Theſſ. 3. deſumpta confutata. 247
Auguſt. quid de excõmunicatione. 41.2
Auguſtinus quomodo Eccleſiã abſque immunditia fore intelligit. 138.32
Auguſt. expulſionẽ Adami ex Paradyſo excõmunicationem vocat. 127.36
Auguſtinus & Theophylactus quomodo ligandi & ſoluendi poteſtatem exponant. 205
Auguſtini teſtimonium, hominis teſtimonium. 128.17
Azarias ſacerdos quarè Vzziam obiurgauit. 300.33
Azymos quarè nos dicit Apoſtolus. 12.14
Azymorum feſtum quid ſignificat. 241.17
Azymorum ſeptem diebus fermentum

Iudaeis edere non licebat. 12.5.

B

BAptiſma Ioannis, ſacramentum pœnitentiae. 193.20.
Baptiſma contrà Anabaptiſtas quo argumento confirmatur. 17.24.
Baptizatus nullus à ſolenni gratiarum actione excludendus. 20.9.
Baptiſmus corruptionis noſtræ & renouationis ſymbolum. 147.18.
Beza diſputat cum Deo. 146. 20.
Beza in vna eadémque pagina ſibi contradicit. 192.12.287.28.289.16.
Beza Paulum, Moſen & Deum ipſum corrigit. 229.4.
Beza pro Scripturae teſtimonijs fabuloſos Gentilium Poetas citat. 247.14.
Beza ſcribit excommunicationem hypocritas reddere. 236.33.
Beza vt libet, ſcripturas interpretatur 225.17.
Beza quod vnîus Dei eſt, hominibus tribuit. 91.15.
Beza tres ponit Eccleſiaſticæ cenſurae gradus. 91.25.
Beza vult oſtendere Maiorem Papæ excommunicationem niti ſcripturis 93.1.
Bezae amici de iure gladij penès Synedrium mutarunt opinionem. 185.7.
Bezae Argumenta pro excommunicatione ex vet. Teſtamen; deſumpta confutantur. 126.10.
Bezae argumenta pro excõmunicatione ex Nouo foedere petita conuulſa. 153.
Bezae declaratio de excommunicationis definitione ſibi contraria. 72.4.
Bezae interpretationis verborum Chriſti, Dic Eccleſiae, refutatio. 186.
Bonos in vſu ſacramentorum non polluit praeſentia malorum. 115.17.

C

CAin vndè excõmunicatus. 128.14.
Cain quomodo Lutherus dixit excommunicatum, ibid. 32.
Caïaphae poteſtas in Chriſtum, vnde. 276.16.
Catabaptiſta quis. 301.20.
Caſtigatio ſcelerum, quatenùs ad Deum, & quatenùs ad magiſtratum pertinet. 311.20
Chriſtus Rex & ſacerdos. 165 24.
Chriſtus eſt paſcha noſtrum: verba Apoſtoli: exponuntur. 12.27.
Chriſtus iudicia de Moribus nullibi exercuit. 171.24.
Chriſtus an à Iudaeis ἀποσυνάγωγος factus. 314.10.
Chriſtus nullum vnquam excommunicauit. 115.17.
Chriſtus non nouauit formam Iudiciorum & gubernationis ſui temporis. 34.28.
Chriſtus contrà ea quae Moſes rectè ſanxerat nihil fecit aut fieri præcepit 34.30.& 325.1.
Chriſti in membris quot requiruntur. 2.8.
Chriſti membra quomodo fiunt homines. 2.1.
Chriſtum quare non occiderunt Iudæi ipſimet. 277.13.
Chriſtianos omnes ſacramentis vti oportet. 85.5.
Circumciſi celebrant Paſcha ex mandato diuino. 4.15.
Claudij Caeſaris edictum pro priuilegijs Iudaeorum. 177.3.
Coenæ Dominicæ fines. 24.5.
Coena omnibus ſacrificijs ſucceſſit. 113.4.
Cœna ad ſalutem nõ abſolutè neceſſaria. 223.12.
à Cœna Domini diſcipuli contendẽtes non remouentur. 20.2.
Cœnæ cõmunio nulli neganda. 108.8
Confeſſio exacta à Chriſtianis antequã ad cœnã Domini accedant. 149.10.
Congregationis nomen quid ſignificat. 311.30.
Conſcientia mala vnius non polluit integritatem alterius. 115.9.
κοπιάω vel κοπιάζω quid ſignificat. 52.4.
Corinthij quam poteſtatem habuerũt inceſtuoſum è medio tollẽdi. 228.20.
Cultum impiorum quatenùs Deus reijcit. 304.3.

D

DAuid an toto illo tempore quo in adulterio vixit in templum non ingrediebatur ſacrificare. 294.9.

Dei

Dei voluntas pro ratione. 145. 18.
Deus an præceperit, flagitioſos, ſi à Magiſtratu non puniantur, vel à Sacerdotibus, vel à Presbyterio cōmentitio, à Sacramentis remoueri. 337. 28.
Deus gubernator internæ rectionis hominum. 159.26.
Deus idem ſemper iudicat, ſiue loquatur Eccleſia, ſiue ſileat. 88. 16.
Diſcipuli Chriſti totam Eccleſiam in vltima cœna repræſentabant. 97. 2.
Dogma hominis impugnare & hominem damnare, diuerſa. 56. 17.
Domini cauſa, quid ſignificat. 263. 35. & 275. 5.
Donatiſtæ quomodo eludebant parabolam de Piſcibus. 79. 36.
Donatiſtis quid reſpondet Auguſtinus. 80. 2.

E

Eccleſia quotuplex. 336. 9.
Eccleſiæ nomen quotuplex. 34. 18.
Eccleſia & Sinagoga an idem. 312. 27.
Eccleſia quæ & qualis, de qua Chriſtus, dic Eccleſiæ. 32. 20. & 35. 14.
Eccleſia non fert contraria iudicia. 156. 23.
Eccleſiæ dicere: quid vult. 29. 11. 40. 26. 322. 14.
Eccleſiæ viſibilis à conſortibus quæ requiruntur. 2. 7.
Ex viſibili Eccleſia eiectus quis habendus. 335. 3.
Ex Eccleſia in mundum eijcere quid. 234. 21.
Edentium in Coena Domini duo genera. 23. 12.
Eiectio è Sinagoga quid. 10. 1.
Epiſcopus Conſtātinopolitanus de Excommunicatione quid. 59. 13.
ἐπιτιμία quænam in Eccleſia & à quibus facta. 120: quid. 49. 17.
Errores multi veterum Catholicorum confutati. 56. 18.
ἐθναρχὴς princeps populi apud Iudæos quam habuit poteſtatem. 177. 32.
ἐξαιρεῖν ἐκ μέσου τινῶν, & arcere à Sacramentis, differunt. 47. 6.
Excluſio à Templo quid ſignificat. 146. 34.
Exemplis non viuendum ſed legibus. 17. 6.
Excommunicatio quid. 1. 1. & 3. 10.
Excommunicatio vnde. 1. 7.
Excommunicatio quotuplex apud Lutherum. 71. 12.
Excommunicatio, eiectio è regno Dei à quibuſdam definitur. 77. 13.
Excommunicatio perperam definita ſalutis negatione. 87. 4.
Excommunicatio maior apud Pontificios quid. 3. 3. & 99. 10.
Excommunicatio minor apud Papiſtas quid. 3. 3.
Excommunicatio à Pōtificijs deriuata. 70. 33.
Excommunicatio quo modo infligenda. 2. 14.
Excommunicatio non fit ſine duriſſima obiurgatione. 214. 9.
Excommunicatio, Deus eſt Pont. Rom. quo omnia ſibi ſubiecit. 59. 29.
Excommunicatio nō eſt ordinatio Diuina. 56. 11. & 345. 2.
Excommunicationem figmentū Presbyterorum affirmant aliqui. 89. 28.
Excommunicatio humana ex Diuina colligi non poteſt. 72. 16.
Excommunicatio quos fructus peperit Eccleſiæ. 58. & 59.
Excommunicatio aliquot Imperatorum & Regum centena millia hominum in Germania trucidari fecit. 59. 23.
Excommunicatio, turris Babel, quibus fulcris nititur. 308. 1.
Excommunicatio non damnat. 90. 17.
Excommunicatio humanum inuentū. 25. 14. 56. 11. 67. 31.
Excōmunicationis definitio vera qualis. 69. 1.
Excommunicationis, Bezæ deſcriptio. 70. 15. & 89. 32.
Excommunicationis origo. 57. 1.
Excommunicationis executores quinā. 68. 4.
Excommunicationis an mandatum extet in ſacris literis. 3. 28.
Excommunicationis nulla mentio nec in celebratione nec in inſtitutione Sacramentorum. 23. 28.
Excommunicationis formulam à Moſe propoſi-

propoſitam voluit quidam. 254.30
Excommunicationis gradus ſeu partes 91.7
Excommunicationis gradus varij ſecũdum Bezam. 76.24
Excommunicatio in tyrannidem erũpet. 74.16
Excommunicationis neq; finis neque cauſa exprimitur in ſacris literis. 52.31
Excommunicationis finis. 57.16
Excommunicationis fulmine Rom. Pont. totum ſibi Occidentem ſubegit. 59
Excommunicationis ſententia à quibus ferenda ſecundùm Bezam. 73.18
Excommunicationis ſententia de quibus ferenda, Beza non dixit. 74.18
De excommunicationis vſu. 298
Excommunicationem quarè veteres exereuere. 21.2.& 52.33
Excommunicationem quare metuerũt homines. 57.30
Excommunicationem ſignificauit Deusille fortitudinum apud Danielem. 59.28
Excommunicationem nec docuère nec exercuère Apoſtoli. 21.2.& 52.53
Excommunicatione caruit populus Iſraeliticus. 60.11
De excõmunicatione Petrus Lombardus quid. 70.31
De excommunicatione in ſacris Scripturis nullum mandatum. 67.31
De excõmunicatione abolenda exẽplar decreti Pont. Rom. oblati. 62.& 63
Excommunicatus quibus rebus priuatur. 2.14
Excommunicatur nemo peccans inuitus. 7. 29
Excommunicatores quid poſſunt. 90.4
Excommunicati ſacerdotes Sueuiæ miſſas celebrant. 63 33
Excommunicatis an in vitæ diſcrimine conſtitutis coena Dominica adminiſtretur. 226.30
Excommunicati qui ſint à Deo. 335.17
Excommunicandum nullum ſinè conſenſu magiſtratus volunt quidam. 302.1
Excommunicare quempiam an ſit priuatæ authoritatis. 112.9

F

FAcinus quod ad plures pertinet, non poterit ab vno ſolo remitti. 28.7
Facinoroſos in Rep. Iſraelitica penes quem erat punire. 60.13
Fermentum quid ſignificat. 240.18
Fermentum ſimpliciter ſumptum quid ſignificat. 243.22
De Fermento. 240.6
Fermentorum differentia. 12.17
Fermentum quando licebat Iudæis edere. 12.5
Fides Gentes purificauit. 139.12
Fidelium ſocietas quotuplex. 1.15
Figuræ deſinunt cum res figuratæ incipiunt. 135.18
Figuræ non ſunt rerum præſentium ſed futurarum. 136.15
Flagitia, deus, omnia, omnibus & ſeper prohibet abſolutè. 8.21. & 131.32
Flagitioſi admittuntur ad Sacramenta. 22.19.& 118 28
Flagitioſos quomodo Deus vult punire. 8.23.& 20.19
Flagitioſus quis. 8.30
Flagitioſos negatione Sacramentorum non puniuit Chriſtus. 19.26
Foenerator & mulier Geneuæ excommunicati. 92.4
Fortitudinum Deus apud Danielem, quid. 294.14
Frater peccans in te quomodo reconciliandus & corripiendus. 26.16. & 34
Fratri quoties remittendum. 182. 20
Fratres noſtri quarè ſunt etiam mali dicendi 335.5

G

GAbinius ſynedria quinque inter Iudæos inſtituit. 176.22
Gentibus, non Iudæis ad Chriſtum conuerſis, permiſſum eſt ab Apoſtolis ſine Moſis lege viuere. 21.15
Gnoſtici hæretici quales. 21.25. à Coena non excluſi. ibid.
Gnoſtici hæretici quarè ita dicti. 225.30
Gubernatio hominum quotuplex. 159. 20
Gubernatorum varia genera. 289. 9
Gubernandi forma in nouo teſtamento non mutatur. 171,22

Haere-

H

HÆreticis communio negata. 57. 15
Heli & Samuel iudicarunt Iſraelem. 165. 18
Hieroſolymæ tantùm Paſcha celebrabatur. 2.6
Homo, quotuplex. 88.29
Homo quomodo ſoluitur aut ligatur. 81.4
Homines quomodo ſoluant ac ligent. 80.30
Homines quomodo dicantur dare ſpiritualia. 88.28
Hymenæum & Alexandrum quis Satanæ tradidit. 231.16
Hypocritæ animalia Deo ſuper omnia inuiſa. 229.9
Hypocritas parit excommunicatio.. ibid.

I

IDdolothytis veſcentes an à Coena remoueantur. 117.12
Idololatræ & apoſtatæ non ſunt membra Eccleſiæ Chriſti. 349. 15. 20
Imperatores Chriſtiani ius ſuū defenderunt contra Antiſtitem Romanum. 176.2
Imperio Germanico propter excommunicationem ſuprà quinquies centena hominum millia diuerſis temporibus trucidata. 298.11
Impuritas legis quid. 7.12
Impuritatis legis, & ſceleris diſcrimen. 7.13
Impuritas legis quæ nomina ſortitur. 130.9
Impuritas legis quomodo accidebat. 131.6
Impuri moribus, iuxtà legem mundi. 105.30
Impuritatem legis omnem abſolutè Deus non prohibuit. 8.15
Immundus quis. 6.15. & 131.16
Immundus moribus quem contaminet. 141.5
Immundi & peregrè profecti edunt Paſcha cum Iudæis. 4.10
Immundi & leproſi arcentur à Paſchate. 6.14
Immundi Sacramentis omnibus non interdicebantur. 9.36
Immunditia legis vbi locum habuit. 8.33
Immunditij pœna. 8.4
Immunditia legis quid fuit. 10.26
Immunditia legis quid figurauit. 138.6
Immunditia, aliud ab actione immundi. 138.1
Immunditia quotuplex. 136.8
Immunditiā legis omnem Iudæis Deus ſimpliciter non prohibuit. 131.18
Immunditiam legis & morum Moſes diſtinxit. 113.13
Indignus an accedere ad menſam Domini poſſit. 132. & 123
Iniuria condonanda vt ſcandalum vitetur. 26.4
Interdictio vſus Sacramentorum quomodo in Eccleſiam irrepſit. 226.10
Interfectio, ordinatio diuina. 345.1
Iohannes ſummus Sacerdos quarè interfecit Ieſum fratrem in Templo. 166.10
Ioſaphat vnicum ordinauit hyeroſolymis Synedrium. 271.25
Ioſephus, ſcientiſſimus rerum & conſuetudinum Iudaicarum, quid de præſidibus Iudæorum. 273.16
Iſraeliticus populus, an biceps ſub rege Ioſaphat. 292.15
Iudae crimen an in Coena occultum. 115.33
Iudae flagitioſo & ſiiri miniſterium committitur. 19.22
Iudam nouæ Chriſti Coenæ non interfuiſſe quidam volunt. 19.2
Iudas à Coena non repulſus. 115.32
Iudas proditor à Paſchate non arcetur. 18.30
Iudæi cur abſque fermento iuſſi ſunt Paſcha celebrare. 245.24
Iudaei tributarij Perſarum. 167.2
Iudaica in Eccleſia an fuerit excommunicatio. 344.22
Iudaicæ Eccleſiæ & noſtræ gubernatio quatenùs differant. 313.7
Iudaiſmum negans Iudæus occiditur. 313.8
Iudaicus ſenatus quæ ſortitur nomina. 34.26
Iudices in Scripturis qui vocentur. 274.26
Iudicium Eccleſiaſticum nullum inſtituit Moſes. 270.18

Iudi-

Iudicium politicum quodnam. 271. 1.

Iudicia ciuilia penès Romanos ætate Chriſti. 159. 9.

Iudicia capitalia penès Synedriū Chriſti tempore. 159. 9. 278. & 279.

Iudicia duo diſtincta nunquam in Iudaïco populo fuerunt. 159. 14. & 167. 29.

Iudicia de moribus nullibi exercuit Chriſtus. 171. 28.

Iudicio proprio an ſtandum, vtrum accedamus ad Coenam D. an non. 120. 24.

Iudicialia omnia ſoli Miniſterio non conueniunt. 199 24.

Iureperiti noſtri & Iudæorū quomodo differunt. 262. 7.

Iuriſdictiones ſeparatæ ſiuè iudicia ſeparata in Rep. Iudaïca non fuerunt. 262. 7.

Iuriſdictiones duas, ſiuè duo Iudicia diſcriminata de moribus eſſe debere in vna Rep. negatur. 258. 29.

L

Leproſus qui mundus, qui immundus. 9. 16.

Leproſus, cuius iudicio purgatus. 9. 10.

Legalis turpitudo certo tempori & certæ genti aſtricta. 135. 9.

Legibus non exemplis viuēdum. 17. 6.

Libellorum duorum pro excommunicatione confutatio. 317. 1. & 331.

Ligandi & ſoluendi poteſtas, quorum. 199. 1.

Ligandi & ſoluēdi poteſtas par. 89. 12.

Ligare & ſoluere apud Matth. quid. 42. 9.

Ligare & ſoluere falsò exponunt aliqui, pro, arcere à Sacramentis. 42. 26.

Ligare & ſoluere an poſſint priuati. 206. 26.

Ligare & ſoluere poteſt Eccleſia ſecundum Ambroſium & Auguſtinum. 206. 27.

Lutherus, quid de excommunicatione. 90. 10.

M

Macula corporis, legalis impuritas, quomodo punitur. 7. 20.

Magiſtratus moderator externæ gubernationis hominum. 159. 26.

Magiſtratus vnus & ſacer & politicus. 171. 10.

Magiſtratus duo ſub Iudæis non fuerunt. 165. 28.

Magiſtratus gladius an ſufficiat coercendis malis. 299. 32.

Magiſtratus dicuntur Dij quidam. 171. 18.

Magiſtratus an excommunicandus. 301. 9.

Magiſtratus in ſacris literis inſtitutus poteſtatem habet puniendi. 84. 3.

Magiſtratus facinoroſos excommunicare mandatur. 80. 27.

Magiſtratus an ſanet conſcientias puniendo. 302. 14.

Magiſtratus vnus in Rep. Iudaïca, & quas res gubernabat. 170. 22. & 165. 16. & 164. 12.

Magiſtratus non ſacrificauit. 163. 10.

Magiſtratus Chriſtiani poteſtas in quo conſiſtat. 61. 19.

Magiſtratuum munus & diſtinctio. 159. 19. & 161. 16.

Magiſtratus politicus an à Deo acceperit totam gubernationem rerum ſacrarum & ciuilium. 151. 22.

De Magiſtratu & miniſtris Petrus Martyr, quid. 171. 32. & 172. 3.

Magus quarè argento donum Spiritusſ. emere voluit. 85. 21.

Maior excommunicatio pro poena politica apud Lutherum. 98. 24.

Malorum communio bonos non polluit. 55. 13.

Manaſſes impiiſſimus Rex piè mortuus. 88. 12.

Manuum impoſitio quatenùs Sacramentum. 210. 18.

Manuum impoſitio poſt Apoſtolos ceremonia tantùm. 85. 10.

Manuum impoſitione Apoſtoli Spiritusſ. hominibus impetrabant. 85. 9.

Miniſter, Epiſcopus & Presbyter idem tempore Apoſtolorum. 51. 20.

Miniſter & miniſterium quotuplex. 336. 10. & 88.

Miniſtro priùs indicant ad Coenam acceſſuri. 197. 28.

Miniſtri & concionatores an Magiſtratui ſubditi. 172. 8.

Miniſtri à magiſtratu corrigendi. 318. 4.

Miniſtro

Index.

Miniſtrorum electio à quo. 284. 34.
Miniſterium Iudæ flagitioſo & furi cõmittitur à Chriſto. 19.22.
De miniſtris Apoſtoli Petrus & Paulus quid. 171.33.
Morellus contendit ius excommunicandi non eſſe penès Presbyteros ſed Eccleſiam. 69.33.
Morelli liber exuſtus. 70.1.
Mores praui quo modo polluant Templum. 108.32.
Morum turpitudo ſemper & vbique turpis. 135.11.
Morum improbitas longè deteſtabilior corám Deo quàm ceremonialis turpitudo. 144.12.
Mori non potuiſſe aliquos priuſquam Cœnæ participes fuiſſent, quorundam ſtulta opinio. 226.31.
Moſes magiſtratus ſupremus Reip. Iudaicæ. 164.14.
Moſes Aaronis munera obiuit. 262.18.
Moſis præcepta à Chriſto non ſublata poſt mortem Chriſti ſeruabant Apoſtoli. 21.11.
Moſaicarum legum obſeruantiſſimi Apoſtoli ad mortem Chriſti. 25.5. & 43.25.
à Moſe & Prophetis abhorrens nihil docuerunt Apoſtoli. 21.19.
Mulier Iſraelem rexit. 165.26.
Mundus, quatenùs Satanas in eo regnat, quid. 233.23.
In mundo qui & qui non. 234.29.
Muſculus, quid de Magiſtratu. 61.16.

N

NAturæ corruptionem generans genérato communicat 141.22.
Nouati tẽpore excommunicandi conſuetudo in Eccleſiã introducta. 57.9.

O

OBſtinati tantum excommunicantur. 210.23.
ὄλεθρος quid. 48.26. & 218.3.

P

Παραδίδωμι quid ſignificet. 48.8.
Paſcha celebratur tantum Hieroſolymis. 6.2.
Paſcha celebrare præter immũdos omnes lex iuſſit. 11.17. & 113.9.
Paſchatis eſu mali non arcentur. 5.21.
Paſcha celebrant peregrini cum Iudæis ſecundum Moſis legem. 4.8.
Paſcha negligens qua pœna plectebatur. 4.12.
Paulus ſecta Phariſæus Iudæorũ mores optimè nouerat. 96.30.
Petri animalia munda quos figurabãt. 139.10.
Petrus Martyr in quo errore. 172.35.
Phariſæi Sadducæos hæreticos à Sacramentis non remouerunt. 109.25.
Phariſæi participes Imperij Iudaici. 167.7.
Phariſæi ſacerdotio fungebantur. 109.29.
Pœnitentia à nobis flagitat Deus. ibid.15.
Politicæ res ac priuatæ diuerſiſſimæ. 251.3.
Politicus magiſtratus, qualis. 61.25.
Pompeius Iudæam occupauit. 176.13.
Pontificij ciuilem poteſtatem quo modo diuidant. 172.14.
Pontificij commenti ſunt excommunicationem contra apertam Scripturam. 3.7.
Pontificiorum excõmunicatio maior, anathema, quid. 3.4.
Pontificiorum minor excommunicatio qualis. 3.2.
Pontificij quibus deferant excommunicandi poteſtatem. 72.20.
Pontificij qua ratione Pontificem, ſupremum Reip. caput declarant. 161.4.
Pontificij triplicem fidelium ſocietatẽ comminiſcuntur. 1.13.
Presbyteri nomen in nouo Teſt. pro quo poſitum. 286.7.
Presbyteri omnes Sacerdotes apud Veteres. 291.17.
Presbyterorum electio. 285.1.
Presbyteros præter miniſtros non nouit hiſtoria Eccleſiaſtica. 287.1.
De Presbyterio. 258.
Presbyterium quotuplex. 258.
Presbyterium, legitimus magiſtratus Iudæorum, ius gladij poſſedit. 258.10.
Presbyterium excommunicantium an ſucceſſit Synedrio Iudæorum. 284.8.
Presbyterium penès vtrùm fuerit poteſtas.

ſtas excommunicandi. 294.30
Presbyterium puniendi poteſtatem in ſcripturis nullam habet. 84.4
Presbyterium excommunicantium ab Autore oppugnatum. 258.2. & quid ibid.
Presbyterium, quod Beza vult ſtabilire, à Deo ordinatum monſtrari nequit. 91.10
De Presbyterio quid in Hiſtoria Eccleſiaſtica & alibi reperiatur. 73.13
Propoſitio hæc: Paruum cui negatur, negatur maius, vbi vera. 250.20
Publicanus quid. 50.27
Sit tibi tanquam Publicanus: verba Chriſti: exponuntur. 30.31
Sit tibi tanquam Publicanus, & ſit tibi tanquam Excommunicatus, multum differunt. ibid.
Publicanus ac religioſus aliquis ſimul eſſe potuit. 190.32
Publicanus quia Publicanus nuſquam à Chriſto condemnatus. 30.32
Publicani nomen nuſquam pro excommunicato vel facinoroſo poſitum. 194.26
Publicani circũciſi à Templo & ſacrificijs non excluſi. 111.10
Publicanum cum Ethnico quare coniunxit Chriſtus. 30.9.& 189.32
Purificatio quid ſignificat. 14.1
Purificatio per aquam luſtralem quid ſignificauit. 10.32
Purificationi certum tempus præſcriptum. 133.10.

Q

Qualitas qualitati, actio actioni cõparanda. 138.4

R

Rabbini, quid Iudicium capitalium vocent. 274.17
Rectionum diuiſio vbi tolerari queat. 162.13
Rectores duo ſupremi in omni rep. quínam. 159.24
Regnum Chriſti in hoc mundo quale. 173.6
Regis negotium quid notat. 274.30.& 275.6
Reſp. Iudaica omnium perfectiſſima. 162.22
Reſp. Iudæorum quando ſub optimâtùm gubernatione. 179.2
Reſp. mõſtroſa in qua plures magiſtratus diſtincti æquè ſummi. 260.30
Reſp. biceps monſtroſa. 172.4
Rex electus iubetur moſis libros propria manu tranſcribere. 61.24.& 166.18
Romani inter Iudæos de quibus iudicabant. 41.25

S

Sacramenta an authoritate & dignitate verbo præſtantiora. 24.25
Sacramẽta inuitamẽta ad pietatẽ. 13 13
Sacramenta & ſacrificia vbi celebrata. 110.30
Sacramenta Veterum quatenùs eadem cum noſtris. 17.21. & 21.9. & 22.16. & 118.23
Sacramenta negare credentibus nullibi mandauit Chriſtus. 43.6
Sacramentorum vſu nullibi interdixit Chriſtus. 18.14
Sacramentorum negatio an teſtimonium excommunicationis. 332.32
Sacramentorum negatio, quâ ratione excommunicatio dicenda. 98.20
Sacramentorum finis. 24.3
Sacramentum donorum ſpirituſſancti omnium Chriſtianorum non commune. 210.23
à Sacramentis arcere aliquem, & in præſentia Eccleſ. arguere, diuerſa. 53.4
à Sacramẽtis nemo in Vet. Teſt. propter morum delicta remouetur. 17.14
à Sacramẽtis vtrùm aliquis remouẽdus ſit propter commiſſum peccatũ. 3.18
Sacerdotes, Iudices & præfecti, munera politica obeunt. 165.1. & 292.25
Sacerdotes quarè imperabant. 165.22
Sacerdotes Sueuiæ quid docuerunt de excommunicatione. 63.32
Sacerdotis præſentia ad Paſcha celebrandum non requirebatur. 6.3
Sacrificia, vera ſacramenta. 94.8
Sacrificium pro quibus peccatis non potuit offerri. 106.30
Sacrificia pro quibus peccatis imperata. 113.38
Salomon Ebiather ſummum ſacerdotẽ à ſacerdotio remouit & Sadoch ei ſubſtituit. 166.27
Salomon magiſtratus Iſrael quid fecit. ibid.22

Satanæ

Index.

Satanæ traditio & hodierna excommunicatio, diuerſa. 50.21
Satanæ traditio, vt caſtigatio & virga, an neceſſaria poſt mortem Apoſtolorum. 295.16
Satanæ tradere, quid, ſecundum Veteres. 50.5
Satanæ tradere, maius & aliud quam à Sacramentis ad tempus remouere. 45.33. & 46.18
Satanæ tradere Apoſtolicæ poteſtatis proprium, non aliorum. 46.5
Satanæ tradere Corinthium quatenus Apoſtolus voluit. 218.28
Satanæ tradidit Paulus neminem ad diſciplinam. 221.17
Satanæ tradi, maius quam à Sacramentis amoueri. 215. confirmatur Patrum teſtimonijs. 216. & 217
Scelera quomodo inueſtigata & punita apud Iudæos. 47.1
Scholaſtic* magiſtratus qualis. 161.27
Sectarios & rixoſos à Sacramentis non remouet Paulus. 22.28
Seniores an Paulus Corinthi inſtituit. 260.5
Seniores cuius locum tenebant. 58.16
Seniorum in Eccleſia poteſtas. 72.28
Seniorum meminit Pet. Martyr. 172.23
Seniorū munus quando ceſſauit. 58.14
Similitudines, quando nihil probant. 234.2
Societas fidelium quotuplex. 1.14
Societas fidelium quomodo differat. 1.15
à Societate Chriſti homines ſeparare non poſſunt. 78.10
Soluitur aut ligatur quis. 81.4
Synagoga quid ſignificat. 15.8
Synagogæ multiplices inter Iudæos. 99.33. & 109.29
ex Synagoga eiectio quid. 16.1
ex Synagoga eijci, & à Sacramentis repelli, multum differunt. 16.27. & 17.1
Synedrium, an politicus fuerit magiſtratus. 275.26
Synedriū ſummū quodnā fuit 264.26
Synedrium Hieroſolymitanum, quale. 263.21
Synedrium & ſynagoga idem. 15.20
Synedrium legitimus magiſtratus tempore Chriſti. 36.19 & 179.21
Synedrium ius gladij nō habuiſſe contendunt aliqui. 38.11
Synedriū quo tēpore de politicis & ſacris rebus pariter iudicauit. 179.30
Synedrium de quibus cauſis iudicabat. 179.30
Synedrium occidit Herodes. 39.4
Synedrium, de quo loquutus eſt Chriſtus, quando inceepit. 267.22
Synedrium Eccleſiaſticum apud Iudæos nullum. 283.9
Synedrij officium. 272.16
Synedrium penès erat coërcitio ſcelerū & ius gladij inter Iudæos. 26.28. & 36.19. & 39.23
Synedrij poteſtas tēpore Romanorum. 176.12
Synedria duo diſtinctaneæ à Moſe, nec à Ioſaphat deſcripta. 269.8

T

Tabernaculū quid ſignificauit. 10.29
Templū & Synagoga, diuerſa. 99.30
Templum quo modo immundum factum & ſordidatum. 10.20
Theodoſius Iunior quare excommunicatus. 39.10
Theodoſius Senior excōmunicatus ab Ambroſio. 59.17
Theologi diſputarunt contra excommunicationem. 47. plus-minùs annis lapſis. 62.24
Tollere è medio, quid apud Auguſtinum. 227.32
Turcico vel Pontificio ſub Magiſtratu Eccleſijs quid faciendum. 62.1. & 184.17

V

Verbum Dei quotuplex. 336.10
Veteres, non quid fecerint, ſed quid rectè fecerint, attendendum. 101.15
Veterum Catholicorum errores plurimi. 56.19
VVirtenbergenſes Theologi duplicem Presbyterorū ordinē reijciunt. 291.36
Vitium nobis congenitum aliud eſt ab actione eius ſeu flagitio. 138.3

Laus Deo.

PESCLAVII,
Apud Baocium Sultaceterum.
CIↃ IↃ XIC.

Ad Lectorem.

ERrata quae inter excudendum irrepſerunt, rogamus candidum Lectorem, vt benignè condonare velit. Exemplar enim manu-ſcriptum, propter crebras lituras & in margine notationes, magnum & Correctori, & Compoſitoribus characterum magnum ſubinde negotium faceſſebat, adeo vt ſi qua irrepſerint, excuſatione maxime digni videantur. Nos verò ea hic tantummodo errata annotauimus, quae aliquo pacto ſenſui incommodabant: caetera, quae cognitu facilia benigno lectori emendanda reliquimus; orantes vt omnia aequi boniqua conſulere dignetur. Vale.

Errata.

Prior numerus pag. poſterior lineam notat.

In Epiſtola Typographi.

1. 9. ciuſdam eiuſdem. 12. atque áque. 18. blateis blatis.

In Epiſtola Authoris.

4. 11. qniuerunt quiéuerunt.

In textu.

2. 2. eandem eaedem. 25. inquiat inquiet. 26. 22. ininrium iniuriam. 49. 26. 22. Epiſt. 2. Epiſt. 50. 9. non magis magis. 68. 51. ab eam ob eam. 27. exiſtimant exiſtiment. 84. 6. innifibilis in viſibilis. 27. exiſtimam exiſtimem. 94. 52. paenit poenit. 31. vos nos. 32. ἀποσυνάγγωγον ἀποσυνάγωγον. 95. 23. enim eum. 101. 24. ſi ex Niſi ex. 105. 11. voluot nolunt. 113. 7. ab ea ad ea. 116. 10. perditurus proditurus. 117. 32. ne nae. 131. 5. conſtat conſtet. 135. 22. nota oata. 137. 1. alium aliam. 148. 1. coottractam contracta. 9. illos illas. 35. repetitur repetetur. 155. 10. & ex. 158. 21. contrareum contrarium. 25. exiget exigat. 164. 59. totum totam. 165. 6. eiſdem eijſdem. 168. 13. alijſque alijque. 179. 18. ligi legi. 180. 14. Reſpub. Reſpon. 15. Reſpub. Reſpoo. & ſic deinceps. 53. vales voles. 25. vtere vterere. 183. 2. collocam collocem. 189. 34. illam illum. 190. 6. aijlqne alijque. 193. 29. venirent veniret. 199. 4. miror mirer. 201. 23. ceremoniale ceremoniali. 204. 17. ratam ratum. 207. 29. verita veritate. 210. 2. negabit oegauit. 212. 17. feciſſe iuſſiſſe. 113. 21. cuim eum. 118. 33. ab aliam ob aliam. 219. 29. tum tum. 220. 24. tradicent. tradicant. 223. 19 ligit legit. 224. 4. optarem notaram. 236. 56. bas bras. 237. 27. toquet torquet. 238. 28. Satanae Satana. 240. 14. quod ego quid ego. 248. 23. & ex. 253. 4 tunonitutionis. 255. 15. nos vos. 257. 27. at ae. 263. 9. indicare iudicare. 264. 26. ego ergo. 273. 2. & 3. aliter alter. 279. 8. Stephano Stephani. 72. falſum falſam. 284. 26. Presbytero Presbyterio. 71. quod quid. 285. 12. Ergo Ego. 287. 19. ne in. 294. 14. delectaueris delectareris. 305. 20. huis huius. 308. 6. Tali aut Tali autem.. 310. 35. eadem eaodem, 314. 35. γέγνεσθαι γίνεσθαι. 316. 22. pem ſpem. 12. γέγνεθαι γίνεθαι 319. 9. interficebantur interficiebantur. 322. 21. illi, adducunt quaeque illi adducunt, quaque. 332. 35. nego oegatio. 356. 4. percipiſſe percepiſſe, 334. 27. Puto Putat. 337. 25. καφαλῆς κεφαλῆς. 339. 22. ego ergo. 35. occidedi occidendi. 340. 4. homicium homicidium. 341. 5. offerentur offerrentur. 341. 3. flagitioſos flagitioſis. 347. 14. aetatem aetatum 452. doceant docent. 36. dos nos. 351. 18. quidem quidam. 358. 32. honore, honore honore. 361. 34. aduerſrij aduerſarij. 363. 33. Argonia Argouuia. 36. beyden heyden. 364. 1. anderſ anders. teil wil. q das. 2. teercind wercind iteye. 19. Aromniae Arouuiae.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-5-2

Digitized b

Digitized by Google